Digitized by Google

XIII
E
37

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
E
37
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FEDERICI
BORROMÆI
CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI
MEDIOLANI
SACRARVM
CONCIONVM
VOLVMEN SECVNDVM.



MEDIOLANI
ANNO M.DC.XXXIII.

VITTORIO EMANUELE
NAPOLI

Digitized by Google

TITVLI
ET
ARGVMENTA
SACRARVM
CONCIONVM
VOLVMINIS SECVNDI.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

CONCIO I.

De Generatione æterna Filij Dei. fol. 1

Arduum eſt in cæleſtia arcana inquirere. 1

Quomodo Scriptores, et Poetæ antiqui diuinorum myſteriorum partem aſſecuti fuerint. 4

Quinam verus modus Diuinæ generationis ſit. 6

Quantopere ea colenda ſit. 8

CONCIO II.

De Nomine, myſterioque celebritatis huius. 9

Priſco Eccleſiæ more inſtitutum eſt, vt de fidei myſterijs ad populum verba fiant. 9

Incarnatio Chriſti cum ſcbala Iacobi comparatur. 11

a *Quo-*

Quomodo ſchala hæc variè coniungatur cum Cælo Diuinitatis, et cū terra humanitatis 11
De incredibili Benignitate diuina in redimendo humano genere. 13
Increpantur illi, qui cum alioqui docti ſint, in fidei myſterijs nihil ſapiunt. 16

CONCIO III.

Cuiuſmodi natalis iſte fuerit, & cuiuſmodi circumſtantiæ eius. 18
Chriſti exortum extra Naturæ fines. 18
In hoc Caleſti exortu tria explicantur. 20
Explicantur circumſtantiæ eius. 22
Hortatio ad chriſtianos omnes, vt animos ſuos domicilia Chriſto offerre velint. 26

CONCIO IV.

De Diuinitate, & Humanitate Chriſti. 28
Conſideratur pro captu humano Diuinitas illius, qui hodie naſcitur. 29
Explicatur Chriſti humanitatis adſpectus, dum in Bethlehemitico antro iaceret. 30
Conſideratur natus hodie Saluator, vti pauper et inops. 32
Hortatio ad auditores, vt velint gratias agere Infanti, atque imitari mores ipſius. 34

CONCIO V.

Cur Eccleſiæ ritibus inſtitutum ſit, vt anniuerſaria ſolennia celebrentur. 35
Comparatur varietas celebritatum cum va-
rie-

rietate anni temporum, ac de vtilitate, quam contemplatio ipſarum affert. 35
Celebritates ſæpius repetitæ animum noſtrum emendare, atque excolere poſſunt. 37
Conſideratur Præſepe; ſimul voluntaria noſtra mala conſiderantur. 39

CONCIO VI.

Fructum peccatoribus nullum afferre celebritates anni repetitas, & cur Chriſtus Præſepe ſibi domicilium elegerit. 43
De ſimilitudine anni temporum cum Eccleſiæ celebritatibus. 44
Improbos non ſentire cadentem è Cælo imbrem munerum diuinorum. 45
Quomodo futurum denique ſit, vt ſurdæ peccatorum aures aquas iſtas exhauriant. 46
Cur Chriſtus Præſepe domicilium ſibi elegerit. 49
Populo ſuadetur, vt imitari Chriſtum, et gratiæ fontem ingredi velit. 52

CONCIO VII.

Aduerſus delicias. 52
Celebritatem hanc originem eſſe aliarum omnium. 52
Exemplo Saluatoris erudiri nos ad vitandas Mundi delicias. 53
Anima guſtum corrumpi, eamque inſici voluptatibus humanis. 54
Confutantur illi, qui voluptatibus nonnullis

a 2 cul-

culpam abeſſe contendunt. 54

Reprehenduntur qui vitam inter delicias agunt. 56

CONCIO VIII.

Qui titulus, & inſcriptio Præſepij eſſe debeat. 57

Varia de titulo hoc proponuntur. 58

Deum humana menti impenetrabilem hodie manifeſtari atque aperiri. 58

Concluditur cuiuſmodi titulus eſſe debeat, atque ſuadetur, vt ea fiant, quæ Præſepij diſciplina ſuadet. 61

CONCIO IX.

De ſplendoribus obſcuri Bethlehemitici Antri. 63

Verbum æternum in Præſepio collocatum fuiſſe. 63

De Paſtoribus, qui ſtudio videndi Saluatoris, accurrēre illuc. 65

Mariam in ea ſpelunca modis inuſitatis fulſiſſe. 67

Conſideratur fructus ex huius diei celebritate communis animis omnium. 68

CONCIO X.

Quomodo Chriſti natalis cum Sancti Caroli Canonizatione conueniat. 70

Sanctum Carolum non ſolùm viuere, ſed inclyꝫ

clytum beatumque viuere in Cælo, terriſque. 71
Quemadmodum à Chriſti natali natalis omnium Sanctorum oriatur. 73
Eſſe mortem Sanctorum vitam ipſis. 74
Optatur, vt ne populo vita mors ſit, ſed potius mors vitam afferat. 75

CONCIO XI.

De paupertate extrema Filij Dei. 76
Simpliciter, et apertè ab Apoſtolis, et Euangeliſtis hanc fuiſſe deſcriptam. 77
Unde humanus, diuinuſque amor originem duxerit. 81
De timore, quo affici par eſt omnes, dum Chriſti paupertatem contemplantur. 83

CONCIO XII.

Cæleſtem legem numquam impedimento eſſe legibus Principum iuſtis. 84
Confutantur eorum argumenta, qui ſecus affirmant. 86
Oſtenditur vtilitas, quam Euangelium Principibus affert. 86
Euangelium ſemper eſſe, ſemperque fuiſſe Mundi perfectionem. 98
Quàm expertes rationis ſint, qui politica inſtituta ſectantur. 92

CON-

Digitized by Google

CONCIO XIII.

Cur in Saluatoris exortu non apparuerint ſigna illuſtriora Maieſtatis eius. 93

Quæ fuerint itinera Mariæ in Saluatoris exortu. 93

Miracula ingentia expectata fuiſſe. 94

Quàm pauci faciat Deus proſperos, ſiue aduerſos caſus hominum in hac vita. 96

Quomodo Gentes conatæ ſint calumniari Chriſtianæ fidei veritatem. 101

Optatur, ne Chriſti fideles immodico ſtudio humana ſectentur. 103

CONCIO XIV.

Paſtoris officium ſingulis hominibus magnopere conuenire. 104

Apta ſimilitudine demonſtratur, quales ſint diuinæ curæ Paſtorum erga greges ſuos. 104

Quantum honoris paſtorali officio tribuendum ſit. 106

Quanti referat paſcendo gregi hac potius, quàm illa loca elegiſſe. 108

Quàm ſit hæc ingrata ciuitas aduerſus tot diuina beneficia. 109

Reſpondetur iis, qui cùm aſſiduè peccent, aiunt tamen ab æterni exitij periculo ſe fore defendendos. 114

Ciuitas veluti mater alloquitur nobiles ſuos. 117

CON-

CONCIO XV.

De Angeli ſpecie Paſtoribus oblata, dum gregem ſuum paſcerent. 118

Cur narrandum fuerit, Angelos in hoc cæleſti negotio legationem obiiſſe. 119

Quo ore apparuerit Angelus, quo loco, et tempore, et quomodo Paſtores eum audierint. 120

Quàm vera iſta ſint, et quàm ab omni cogitatione remota. 122

Aduersùs nobiles, principeſque viros, qui ſimplicitati Paſtorum non inuident. 126

IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI.

CONCIO I.

Chriſtum in hac vita expertem fuiſſe omnium humanarum voluptatum. 133

Statim natus pati cœpit. 133

De dolore, et miſericordia Virginis ob Filij ſui tormenta. 135

Suadetur Chriſtianis, vt purgare, et reſcidere linguam velint. 138

Laudantur illi, qui in tollendis lingua vitijs ſtudium omne conſumunt, proſperaque cuncta

cuncta eis optantur. 138

CONCIO II.

Cur Saluator circumcidi voluerit. 140

Quid ſignificare potuerit in Saluatore mos antiquus circumciſionis. 140

Explicantur cauſa Chriſti circumciſionis. 140

Quanta mala ſcandalum gignat. 144

Quanta pœna digni ſint illi, qui ſcandalum alijs offerunt. 146

CONCIO III.

In ea circumciſione magna ſigna elucere humilitatis. 147

Quàm arduum ſit agere de humilitate Filij Dei. 147

Quot modis humilitatem ſuam ille declarait. 148

Acerrimè reprehenduntur qui honores, et opes aſsiduè quærunt. 151

CONCIO IV.

Cur Dei Filius proprium ſibi nomen imponi voluerit, quo appellaretur. 153

Magnam in eo fuiſſe Saluatoris humilitatem. 153

Obiurgatur humana ſuperbia; illique vituperantur, qui ſanctum Dei nomen verbis impijs violare audent. 156

CON-

Digitized by Google

CONCIO V.

De magnitudine nominis Ieſu. 160

Altiſsimum, et cæleſte plenumque myſteriorum eſſe nomen hoc. 161

Ieſu nomen non ſatis intelligi poſſe. 162

Increpantur illi, qui nomen id minimè venerantur; atque vana ipſorum excuſatio confutatur. 164

CONCIO VI.

De ſpirituali noſtra Circumciſione. 167

Varijs nominibus circumciſionem ſpiritualem inter ſacrâ monumenta appellari. 167

De conditionibus, et natura ipſius. 169

Numquam eam intellexiſſe Hebræos. 172

Qualis eſſe debeat induſtria Chriſtianorum ad eam exequendam. 173

CONCIO VII.

De Circumciſione corporis apud Hebræos. 175

Quorſum circumciſio ſpectaret. 175

Quàm cedat ea ſacramentis nouæ legis. 177

Arguuntur qui ſacramenta contemnunt. 180

CONCIO VIII.

Quæ fuerit cauſa Circumciſionis apud Hebræos. 183

Quàm fauerit Deus populo Hebræo. 184

Chriſtianos improbos Hebræi vincunt. 187

CONCIO IX.

Chriſtum auctorem eſſe ſpiritualis circumciſionis. 190

Nullam legem vnquam infeſtiorem fuiſſe prauitati, quàm chriſtianam, nec honeſtati, et virtuti amiciorem. 191

Prauum Chriſtianum eſſe prauiſſimum omnium. 193

Ambigitur de ſpirituali circumciſione nonnullorum; ſuadeturque eis, vt ita circumcidi velint. 194

CONCIO X.

Spiritualem circumciſionem non eſſe differendam. 196

Cauſa explicantur, ob quas recens nati Infantes ſanguinem profundere deberent. 197

Spiritualem circumciſionem non eſſe differendam in id tempus, cùm ætas in grauescere cœpit. 198

Stultos eſſe, qui culpas ſuas circumcidere cunctantur. 201

CONCIO XI.

Quàm vtilis ſimul, & quàm benigna lex circumciſionis ſit. 202

De inſatiabili fame animi noſtri. 202

Ad eam inhibendam præcipitur circumcidi cor. 203

Lex Mundi ſeuerior eſt Chriſti lege. 205

CON-

CONCIO XII.

De ſeueritate legum humanarum, ac de ſuauitate Chriſti legis. 208

Duriſſima lex fuit, quæ corpori circumciſionem adhiberi iubebat. 208

Suaues ex diuerſo Chriſti leges ſunt. 209

In eos, qui dictitant difficilem eſſe Chriſti legem, leges verò Mundi facillimas. 211

CONCIO XIII.

Circumcidendum eſſe noſtrum quoque intellectum. 215

Quàm graues ſint mentis animique noſtri errores, et quanta damna inde ſequantur. 215

Quàm difficile ſit remedia inuenire tam graui malo. 221

Qui nimium ſibi arrogant, ignorant ea, quæ ipſos ſcire oportebat. 222

Optatur animi lumen iſtis. 223

CONCIO XIV.

Aduerſus delicias. 225

Quæ ſit forma, et imago Mundi deliciarum. 225

Quanta mala delicia inuexere Mundo. 226

Delicias ipſi Cælo bellum intentare. 232

Variè ad fugiendas, vitandasque delicias erudimur. 233

Qui ſit habitus corporis, et animi eorum,

b 2 qui

Digitized by Google

qui voluptatibus immodicè indulgent. 233

CONCIO XV.

De inconſtantia, & duritie cordis, animique humani. 241
De duplici genere circumciſionis. 241
Difficiliorem eſſe animi circumciſionem. 242
Quanta ſit animi humani leuitas, et inconſtantia. 245
Qui ſtatus, et conditio perditorum ſit. 247

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

CONCIO I.

De virtute Sanctorum Magorum. 255
Conſiderantur priuilegia eorum. 256
De Magorum alacritate, poſtquam adſpexere ſtellam. 257
Sermo Magorum ad Herodem. 261
Hortatio ad populum, vt Magos imitari velit. 262

CONCIO II.

De timore Herodis. 263
Cur timeat Herodes. 263
De crudelitate, et perfidia illius. 265
Quàm ſtolidus, ignoranſque eſſet. 267
Aduersùs Principes, qui poteſtate ſua contenti

tenti eſſe nolunt. 269

CONCIO III.

De timore apud Herodem, & Ieroſolymitanos orto ob noui Regis natalem. 270

Cuiuſmodi timor iſte fuerit. 271

De cauſis ipſius timoris. 271

Quàm facilè praua exempla ſequantur omnes, ab honeſtis verò refugiant. 273

Mariæ exemplum proponitur imitandum. 275

CONCIO IV.

Quomodo Herodes prauè ſimul, probèque egerit. 277

Quomodo Herodes Chriſtum veſtigauerit. 277

Habito ſeniorum, prudentumque conuentu conſultat. 279

Profanam ſimul, Eccleſiaſticamque poteſtatem coniunxit. 281

Populo ſuadetur, vt inueſtigare Chriſti natalium ſedem velit. 283

CONCIO V.

De adoratione Magorum. 284

De ſignis vnde natum, ſiue non natum eſſe Chriſtum coniectare Magi potuerunt. 284

De alacritate, et humilitate Magorum in Saluatore adorando. 287

Increpatur languida populi pietas, excuſatioque refellitur. 289

CON-

CONCIO VI.

Quid fuerit ſtella illa dux Magorum. 294

Cæleſtes orbes hodie munere oratorio perfunctos eſſe. 294

Variæ opiniones de ſtella hac afferuntur. 297

Multa ſigna ſunt, quæ peccatores ad pœnitentiam compellere deberent. 301

CONCIO VII.

De auro per Magos oblato Saluatori. 304

Quæ ſint huius auri myſteria. 304

Pleraque populo ſalutaria proponuntur. 308

CONCIO VIII.

De Thure, quod Magi obtulerunt. 311

Quæ fuerint interpretamenta Patrum de Thure. 312

Nullam religionem veram, ſiue falſam vnquam fuiſſe chriſtianæ religioni comparandam. 313

Suadetur auditoribus, vt rectorum exemplorum thura velint offerre Saluatori. 315

CONCIO IX.

De Myrrha per Magos oblata. 318

Quid ſignificaret eiuſmodi donum. 319

Chriſtiani debent offerre Chriſto myrrham mortificationis. 320

Quā prauè faciant illi, quibus nulla cura eſt mortificandi domandique corporis, quive potius id omni labe contaminare pergunt. Ibid.

CON-

CONCIO X.

De magnitudine Bethlehemitica. 323

Ea minima vrbs partum excepit, quem maxima vrbes capere non potuerunt. 323

Quanam maxima vrbes, et quantì ea ſint apud Deum. 325

De conditione improborum, qui vrbes eas incolunt. 327

Arguitur vrbs Mediolanum, quia virtutum cumulo careat. 329

CONCIO XI.

Suam vnicuique ſalutem poſitam in eo eſſe, vt ſtellam ſuam, & cognoſcere, & ſequi ſciat. 332

De ſtellis neceſſarijſque luminibus, qua Deus humano generi donauit ad regendam vitam inter Mundi tenebras. 332

Grauiſſimè peccare eos, qui calamitates ſuas non agnoſcunt, veluti diuinum aliquod ſidus. 334

Non minùs falli, peccareque eos, qui ſecundarum rerum ſidus numquam occidere vellent. 336

CONCIO XII.

De prudentia Magorum in capeſcendo itinere, deque felici itineris eius exitu. 338

Prouidè capeſciuere iter Magi, ac de felici iti-

itineris eius exitu demonſtratur, arguiturque multorum inertia in diuino obſequio. 340
Procul ab omni ſuperbia fuere Sancti Reges; damnaturque faſtus, et falſa prudentia Principum. 342
Magorum iter et ipſis, et Mundo vniuerſo fauſtum fuit. 345

CONCIO XIII.

Occulta malignitate percunctatur Herodes à Sacerdotibus, & Scribis, vbi Saluator natus eſſet. 348
Mens humana in ſenſuum alienorum perueſtigatione cæca eſt. 348
Arguuntur infelices illi, qui inter myſteria confeſſionis fraudes doloſque miſcent. 351
Abditos Principum ſenſus perueſtigare arduum. 353
Arguuntur Principes, qui poteſtatem ſuam miſcere ſacris audent, 358

CONCIO XIV.

De cupiditate inſita animis cognoſcendi veri. 360
Cauſa explicantur Herodianæ interrogationis de nouo nato Rege. 360
Quàm parùm ſolicitus vnuſquiſque ſit ad ea cognoſcenda, quibus continetur ſalus. 363
Prauè agunt qui numquam de lege Dei cogi-

cogitant. 368
Hortatio ad nobiles, vt in occulto ſaltem ſanctè agere velint. 369

IN DIE RESVRRECTIONIS DOMINI.

CONCIO.

De communi gratulatione ob rediuiuum Saluatorem. 374
Quomodo Chriſtus de morte triumphauerit. 374
Hodie geſtiunt omnia, ſed natura præſertim humana geſtit. 376
Ambigitur, an populi à culpis verè ſurrexerint. 378

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

CONCIO I.

De gratulatione Ieroſolymæ Cæleſtis. 383
Cur geſtiat triumphetque Cælum. 384
Delicias, honoreſque terræ non poſſe comparari delicijs, honoribusque Cæli. 388
Ibi tantùm vera gaudia triumphique reperiuntur. 389

c CON-

Digitized by Google

CONCIO II.

De lætitia, gratulationeque hodierna Terrarum. 391

Quale certamen terra cum Cælo eſſe poſſit. 391

Terrarum cauſa aperitur hodie Cælum. 393

Aduersùs impios, qui in publica gratulatione, et honore mœſti, inhonoratique relinquuntur. 394

Precatio ad ſanctam Chriſti humanitatem, ut nos tueri velit. 396

CONCIO III.

De admirabili noua pompa, nouaque gloria Terræ. 397

Minima pars diuinæ magnitudinis eſt, quam mortales aſſequi poſſunt. 397

Saluatoris in Cælum aſcenſus noua celebritas eſt. 399

Amicorum Dei magnum hoc et ſingulare munus, ut corporis mortem quietis et ſomni nomine appellare poſſint. 402

Qualis vita impiorum ſit. 406

CONCIO IV.

Celebritatem hanc cumulum eſſe cæterarum omnium, gloriamque iuſtorum. 408

Saluatoris excellentia, et magnitudo omnis, dum in terris ageret, huc ſpectaſſe videtur, ut Cælo redderetur. 408

Nibil

Nihil vlli mortalium felicius, maiuſque accidere poteſt, quàm vt admittatur in Cælum. 411
Huius diei triumpho efficitur, vt mors ad inſtar theſauri expetatur. 413

IN DIE PENTECOSTES.

CONCIO I.

De oleo Gratiæ pectoribus Apoſtolorum infuſo. 418
Cur Spiritus Sanctus cum repentino ſonitu venerit. 419
Sonitus ille ad inſtar venti fuit. 422
Diuini huius venti quænam fuerit vis. 423
Optatur Diuini Spiritus aura pectoribus animiſque noſtris. 424

CONCIO II.

De myſterijs Cæleſtium flammarum. 425
Inuſitatum hunc euentum non caruiſſe myſterijs. 425
Quanta myſteria tulerit ſecum hæc flamma caleſtis. 426
Chriſti aſſeclæ tria experiuntur, quæ propria ſunt elementaris ignis. 429
Cæleſti igne purgatos nos eſſe oportet, ne diuinæ iuſtitiæ ignem experiri cogamur. 433

CONCIO III.

De illuſtri dono cæleſti, & cur forma linguarum venerit. 434

Quomodo diuina munera immitti ſoleant. 435

Cur donum hoc facie adſpectuque linguarum. 436

Putres et marcida lingua impiorum arguuntur. 438

CONCIO IV.

De Spiritu Sancto ſuper Apoſtolorum capita conquieſcente. 441

Quid ſignificauerit hac ſuper capita Apoſtolorum Spiritus Sancti quies. 442

De ſtabilitate, et robore per caleſtem hanc auram animis Apoſtolorum illato. 443

In eos, qui aſsiduè peccant. 445

CONCIO V.

Quid egerit Spiritus Sancti aduentus. 449

Terra modis inenarrabilibus fœcundatur igne; nec incendia ampliùs ſæuiunt. 450

Quàm plena gratia fuerit Apoſtolorum. 451

De mirandis effectis huius diuini incendij. 452

Primum omnium fuit mutatio linguarum. 454

In eos, qui turpiter atque obſcenè loquuntur. 455

CONCIO VI.

De miraculis apparitionis huius. 458

Cur inuſitata, et noua tantopere placeant. 458

Spi-

Spiritus Sancti apparitio mirifica effecit, fuitque ſplendida pompa eius. 461
Cæleſtis ignis fœcundus munerum eſt, plurimasque virtutes continet. 464

CONCIO VII.

De certaminibus aſſiduis noſtri ſpiritus. 469
Concordiane, an diſcordia magis vniuerſa conſeruentur. 469
De pugna ſenſuum, et rationis. 472
Vbinam Cæleſtis Spiritus vis et flamma extincta ſit. 473
Magna eſſe hodie debet animi noſtri conſternatio. 476

CONCIO VIII.

Cur miraculum linguarum Ieroſolymæ acciderit. 478
Res mira fuit, Apoſtolos repente loqui varijs linguis. 479
Cur id miraculum in magna Ieroſolymorum vrbe ſpectari voluerit Deus. 480
Ex magnis vrbibus tam bona, quàm mala ad alios manare poſſunt. 486
Vrbs Mediolanum, quibus in rebus magnam ſe atque inclytam oſtendere debeat. 488



Digitized by Google

Digitized by Google



FEDERICI BORROMÆI

CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI SACRÆ CONCIONES HABITÆ PRAECIPVIS ANNI DIEBVS AD POPVLVM MEDIOLANENSEM.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI;

CONCIO PRIMA.

DE GENERATIONE ÆTERNA FILII DEI.

I*LLE tantopere celebrati nominis Iob, magiſter ille patientiæ, fortitudiniſque animi, ille princeps afflictorum, qui tam multa, et tam ſapienter cum mortalibus ſimul, et cum Numine ipſo diſputauit, qui Cæli, qui Naturæ arcana perueſtigauit, philoſophando diſſerebat in hunc modum.*

Iob cap. 38. u. 19. *dum. Quinam ratione deprehendere poteris vnquam cubilia, ſedemque tenebrarum, et lucis? Et*
Ibid. u. 24. *lux ipſa cum exoritur generi humano, quo veniat itinere, vnde tandem ipſe coniectabis? Iam Cæ-*
Ibid. u. 33. *leſtium Orbium conuerſiones, deſcriptioneſque admiranda quomodo tandem patebunt? Sunt quidem abstruſa hæc, et abdita et difficilia cognitu, quantum opinari quiſquam poßit: ſed eadem ipſa ſi ad æternam illam lucem, domiciliumque illud Diuinitatis, et immobilis, infinitæque naturæ motus comparata erunt, ſatis facilè ab vno quoque cognoſcentur. Quomodo cognoſcere poterimus, inquit Sanctus Baſilius, arcana et myſteria illa,*
Baſil. Homil. de humana Chriſti gener. vbi nec tempus, nec æuum intercedit, nec modus intelligitur, nec ſpectator adfuit, nec eſt qui exponat? *Deinde ſubdit;* Neque dicas quando, aut quomodo: nam quando tempus habet, quomodo verò ad modos corporeos refertur. *Quam in ſententiam diuinitus pronun-*
Pſal. 109. u. 3. *tiata illa plurimum maieſtatis habent;* Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te. *Quorum verborum extrema tantummodo deligā, auditores, hodierno ſermoni argumentum. Et quoniam varijs temporibus ſæpe vobiſcum egi de generatione humana Dei Filij, nunc altius aliquantò aſſurgam, et agam de altera illa æterna gene-*

......, quæ ſublimis et excelſa procul ab oculis, captuque mortalium abeſt. In qua quidem tanta obſcuritate, et altitudine myſterij, non ſanè nobis difficile erit explicare verborum illorum ſententiam; Ex vtero ante luciferum genui te; *quaſi verò ante id tempus, ſiue longum, ſiue breue, ſed vtique in tempore Dei Filius genitus fuiſſet. Eſt hoc in ſacris Litteris ſolenne atque vſitatum, vt æternis quoque rebus, et ab omni temporis dimenſione remotiſſimis, forma nonnulla dicendi miſceantur, tempus ſpatiumque notantes. Ita Chriſtus locutus eſt, dum de ſe, vtì Verbum æternũ à Patre genitum, loquebatur;* Antequam Abraham fieret, ego ſum. *Et Spiritus Sanctus de Sapientia, hoc eſt de Verbo;* Ante colles ego parturiebar. Quando præparabat cælos, aderam. *Quomodo autem dici potuit,* quando, *vbi nulla veſtigia temporis expreſſa et notata eſſe poſſunt? Ideo Gregorius Nazianzenus diuinaru Litterarum interpres, et myſteria illa, conſuetudinemque ſermonis ante cæteros omnes aſſecutus, ſcriptum ita reliquit. Particulæ iſtæ,* Vſque, Quouſque, Donec, *non ſemper diſcrimen ſpatiumque temporis notant; eiuſque rei exemplum cernere eſt in prima ad Corinthios Epiſtola, ſic Apoſtolo ſcribente;* Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. *Quæ verba in eum locum ex*

Ioan. cap. 8. u. 58.

Prouer. cap. 8. u. 25. & 27.

Gregor. Nazianz. Orat. 4. de Theolog.

1. ad Corinth. cap. 15. u. 25.

A 2 Pſal-

Pſalmo centeſimo nono tranſlata fuiſſe videntur. Non igitur ille regnabit poſtquam domitos habebit victoſque hoſtes? Quæ forma regni, quæ victoria, quod triumphi ſpectaculum iſtud denique foret? Ideo, ante luciferum genui te*: ſed nullis finibus, nullaque circumſcriptione temporis generatio æterna includitur atque determinatur. Vltra hæc vix poteſt animi noſtri acies penetrare, cùm generatio hæc eiuſmodi ſit, cuius neque exemplum aliud extat, neque tempus, neque modus aſsignari poteſt. Neque verò dixerit quiſpiam, antiquitati quoque notam fuiſſe formam aliquam huiuſmodi generationis. Namque notitia illa veterum rudis admodum, et obſcura fuit. Tantum porrò eſt lumen, tantaque vis veritatis, vt Gentium quoque tenebris radij nonnulli affulſerint, quorum ſplendore multarum rerum vmbram, incertamque lucem cernere potuerunt; illius inſtar, qui in lumine clariſsimo, licèt clauſis oculis, ſedens, partem vtique luminis eius videt; et vt in perpetua caligine et tenebris verſaretur, planè cæcum eſſe eum oporteret. Eam ob rem ait Clemens Alexandrinus, Poetas quoque, et inter eos, Orpheum præſertim ex parte vidiſſe myſteria noſtræ Fidei, et Verbi Incarnati lucem aliquam affulſiſſe Græcis. Atque is in extrema Pædagogi parte rem ita concludit: Verbũ igitur Sapientia erit, ſicuti Bachillides ait. Et Iuſtinus*

Clem. Alexan. in Protrep.

tinus Martyr affirmat, nonnullam de Verbo mentionem inter Orphei carmina factam eſſe. Sed et Mercurius ille, quem Iouis filium, internuntiumque Deorum fabulæ finxerunt, creditus eſt ineffabile Verbum deſignare voluiſſe. Atque in eo, inquit Iuſtinus Martyr, apparet Chriſtianos nos nominis ſaltem ſocietate cum Gentibus eſſe coniunctos. Sed et in ipſo nudo nomine veritas cum mendacio ſimilitudine quadam coniuncta fuiſſe videtur. Nam quoties Filium Verbumque nominauere, deſignauere Mundum, Ideas, et partus humanæ mentis. Quòd ſi quærat aliquis, quonam modo expers veri antiquitas potuerit ita loqui, triplicem eius rei cauſam aſſignare poſſe videor. Vna fuit cauſa, quòd Orpheus, et Linus, et Muſæus, et Heſiodus ex lectione Prophetarum, ſicuti Clemens Alexandrinus ait, hauſere multa, quæ ad res diuinas pertinerent, licèt ea cognitio rudis admodum, et erroribus admiſtis, inquinata et deprauata eſſet. Altera poteſt eſſe cauſa, quòd, ſicuti Iuſtinus idem ait, ſapientiæ ſtudio Græci veteres peragrauere Ægyptum, valdeque eos ſcripta Moyſis adiuuerunt. Tertia cauſa, ex Iuſtini Martyris etiam auctoritate, aſſignari poteſt in hunc modum, quòd nempe canerent illa Poetæ Dæmonum inſtinctu, quibus ars iſta fuit, imitari, et exprimere Gratiæ myſteria, imaginemque veri

fa-

Iuſtin. Martyr Orat. Parænet. ad Gentes.

Iuſtin. Mart. Def. ad Ant.

Clem. Alexan. lib. 5 Strom. cap. 2.

fabulis adumbrare, vel potiùs adulterare, ita vt veritas ipſa per ora hominũ olim pro fabulis abiret. Ita miſcendo falſa veris, Æſculapium dixere Apollinis eſſe filium, atque per id commentum, ad rem ipſam prope acceſſere. Nos verò per fabulas et commenta Poetarum ſatis adhuc vagati, iam redeamus ad id, quod initio propoſitum fuit, vt Diuinæ generationis viam ex parte inueſtigemus, videamusque de re tanta quàm humiliter, et obſcurè ſenſerint, egerintque profani illi, quàmque obſcuriùs etiam intellexerint ea, quæ tractauere verbis: at è contrariò, quanta ſit Chriſti Diſcipulo excellentia cognitionis huius, et quàm vera cognitio, et quàm propria Chriſtianorũ eiuſmodi notitia, pari perſpicuitate, et breuitate demõſtraturus ſum. Omnis humana procreatio ſemper in tempore aliquo fit, egetque neceſſarijs ad id rebus, ætatis incremẽto ſcilicet, atque educatione, ſummaque cura. At de generatione Diuina quid dicatur, audite; Thronus tuus Deus, in ſæculum ſæculi: *nempe ſtatim natus, magnus ille fuit. Eaque inſuper de eius exortu audiuntur;* Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. *Inter fabulas verò et commenta veterum, Maieſtas ſtatim vt nata fingebatur, ſimul adulta fuit, et in Iouis ſede conſedit. Ita partus hic, omni remota vanitate fabularum, magnus ſemper fuit, neque paruus vnquam. Humanorũ*

Ad Hebr. cap. 1. v. 8.

Michææ cap. 5. v. 2.

præterea

præterea partuum, ac mortalium rerũ procreationis ea conditio eſt, vt nullus pater filium poſsit procreare quem vellet; nec poteſt quiſquam filium aliquem ſuum propriè dicere, cum generationis eius partem plura ſimul trahant, materia nempe, et forma humana, et mater, et locus, et tempus, et pleraque alia, quæ adiuncta eſſe ſolent. At Dei Filius propriè, verèque Filius cœleſti voce nuncupatur, nempe quia totus à Patre genitus eſt. Ita namque ſcriptum legimus; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. *Et alibi;* Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Præterea, nullus vnquã pater parem et æqualem ſibi filium procreare poteſt. Namque procreans ille, vt initium et cauſa rei, ſemper à ſe procreatum dignitate antecellit; cumque ſibi parem gignere nequeat, ſicuti natura ſuadente optaret, ſimilem ſaltem ſibi gignit. At in Deo, cui eſſentia infinita eſt, et generans, et genitus ſunt inter ſe pares et æquales. Itaque ſic Apoſtolus;* Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. *Et alibi;* Ego, & Pater vnum ſumus. *Humana præterea generationis vitium id labeſque eſt, vt dum alius procreatur, languidior alius, infirmiorque fiat, decidantque procreantis vires: at in generatione æterna id, quod Pater dat, à Patre non abſcedit, et mirifica intellectus operatione, partus ille infini-*

Matt. cap. 17. u. 5.

Pſal. 2. u. 7.

Ad Hebr. cap. 1. u. 3.

Ioan cap. 10. u. 30.

tus vigore infinito producitur. Potuit ne mea lingua aſſequi hoc, vt tantarum rerum myſteriorumque magnitudinem ex parte aliqua intelligatis, atque perſpiciatis? Hæc diuina ſpectacula rudi, et inchoata cognitione cernere ſaltem ex longinquo potuiſtis? Et vilia tamen iſta vobis erunt? Impia verba, luxum, et ſordes, adulteriaque nihilominus ſacrilegi continuabunt? Quò mens humana peruenire non poteſt, illuc audacior mente voluntas enitetur, Deique Verbum contumelijs iniurijſque violabit? Si Diuinam Maieſtatem cæcitate tua videre non potes, ſaltem enitere, vt eam toto animo reuerearis. Ad primum Angeli conſpectum attonitus perculſuſque Manue, vocē hanc emiſit. Nos moriemur. Nec alius, quàm Angelus ille erat, comiterque et benignè, non irato vultu apparuerat; ipſeque viciſſim Angelum reuerenter, non contumelioſè acceperat. Tu verò non timebis Deum meritò iratum tibi, et ſæpe à te offenſum? Species nonnulla honoris vtique timor eſt. Cur igitur non times ſaltem ipſe Deum, timendoque occultè non adoras? Cur non apud animum tuum talia dicis, præceps ruam in ſempiternum exitium, ſi poſteaquam myſteria diuina ab oculorum ſenſu remota vidi, pergam ea dictis, factiſque violare? Numquid percuſſiſti fœdus cum morte, cum morte inquam duplici,

Iudic. cap. 13. n. 22.

Iſaiæ cap. 28. n. 15.

et

et quæ breuem hanc, et quæ ſempiternam illam vitam perdit? Ita ſecuro viuis, tranquilloque animo, tamquam nullum ab interitu periculum tibi immineat? Breue tibi vitæ ſpatium reſtat, et fœdera, quæ cum Inferno iuncta habes, breui rumpentur. Inſtabilem fluxamque ſenties eſſe tibi bonorum ſortem, ſicuti malorum item ſors breuis, nec perpetua fuerat. Voluptatumque iactura tunc propior erit, quò magis inter voluptates ipſe conſenueris, quas caue putes, non breuis æui eſſe.

DE NOMINE, MYSTERIOQVE Celebritatis huius.

CONCIO II.

VETERE *Eccleſiæ inſtituto decretoq; Patrum etiam, laudabiliter hoc factum ſemper fuit, vt Antiſtites Paſtoreſque populorum non ſolum de ijs, quæ ad morum diſciplinam pertinerent, ſed de Chriſtianæ Fidei myſterijs etiam ſæpe concionarentur quantum aſſequi poſſent, ea dilucidè explicando. Cuius antiqui inſtituti rationem illam aſſignare poſſe videmur, quòd cùm duæ præcipuæ ſint animi noſtri partes, intellectus, et voluntas;*

B *cùmque*

Digitized by Google

cùmque duo ſint, quæ Deus à nobis præcipuè requirat, fides nimirum, et opera conſentanea fidei, ideo, et articulos fidei, ſummamque noſtræ religionis exponi populo oportet, et ad mores emendandos atque excolendos, curam laboremque conferri. Accedit eò, quòd in tanta celebritate, myſterioque diei huius turpe eſſet, ſi nomen tantùm titulumque celebritatis audientes, atque vſurpantes, ipſius myſterij naturam ignoraremus: longè verò turpiſsimum, ſi ipſum quoque nomen ignoraretur; qua ſanè ſuſpicione non plane liber mihi animus eſt. Haud ſanè ego ambigam, Mediolanenſes, quin ſciatis, Chriſti ſolennium dierum ſacratiſsimum hunc eſſe, qui hodie celebratur. Natalem hunc eſſe diem noſtræ ſalutis, tantique miraculi memoriam ſacra recoli gratulatione totius Chriſtiani cœtus: hæc omnia vobis nota eſſe, probèque comperta ſcio. Verumenimuerò ſi quis huiuſmodi verbis apud vos loquatur; natus eſt hodie Deus, et Verbum, quod caro factum erat, apparuit, quomodo tandem affirmare poteritis, hoc vobis rectiſsimè eſſe intellectum? Hinc igitur videte quanta ſit veſtri luminis obſcuritas, et quàm ſitis ipſi infantes, rudeſque diuinarum rerum: ſimul attentas mihi aures præbete, dum celebritatis huius magnæ et nomen, et myſterium vobis aperire ingredior; quod ipſum vt commodiùs fiat,

altius

altiùs aliquantò mihi repetenda res eſt in hunc modum. Vidit Patriarcha Iacob pertingentem in Cælum vſque ſcalam, quæ fixa humi caput, Cælo inferebat. Per eius ſcalæ gradus Angelici Spiritus commeabant, Cælumque Terris ingenti commercio ita iungebatur. Hæc ſcala Incarnatio Chriſti eſt, auditores. Vna ſui parte Terras, altera Cælum hæc ſcala contingebat: myſteriumque Incarnationis factum eſt, ita vt carnis noſtræ terra cum Cæli diuinitate ſociaretur. Commeant per gradus ſurſum, deorſumque Angeli, hoc eſt beneficia, et dona, quæ in genus humanum ex pretioſiſſima illa humanitate Chriſti proficiſcuntur; viciſſimque muneribus et donis illis confirmatæ animæ, per ſcalam Incarnationis in Cælum vadunt. Conſociatio autem ſcalæ huius cum Cælo Diuinitatis, humanitatiſque tellure, multiplex eſſe poterat. Vnionis namque genus vnum accidentale eſt, veluti cùm iungitur corpori veſtis, et loco res ipſa, quæ in eo eſt: talique vnione numquam fit, vt aut veſtem corpus eſſe dicamus, aut locum rem eſſe illam, quæ poſita in loco eſt, contra quàm dicere nos poſſumus, et Deum eſſe hominem, et hominem eſſe Deum. Vnionis præterea genus aliud eſt, quod eſſentiale appellatur, in qua nimirum vnione, partium eſſentialium altera connectitur iungiturque alteri, ſicuti cùm materia formæ

iungitur. Alia item vnio eſt, quæ vocabulo, et conſuetudine ſcholarum, integralis appellatur, quali nempe modò et ratione iuncta eſt corpori manus: et in vtroque vnionum harum genere numquam partes iſtæ nomine eo appellantur, quo totum. Numquam ſcilicet dixeris, aut manum eſſe corpus, aut materiam eſſe compoſitum illud, ſicuti verè
Ioan.cap.1.n.14. *dicimus, Deum factum eſſe carnem.* Et verbum caro factum eſt. *Vnionis denique ſpecies alia eſt, quam docti homines hypoſtaticam nuncupauere, nimirum ita ſignificantes, naturam humanam, vt ſubſiſtat, pendere à perſona diuini Verbi; eamque propria carentem ſubſiſtentia, diuina ſubſiſtere; factamque ita eſſe vnionem humanæ, diuinæque naturæ in vna perſona; talemque vnionem eſſe ſecundum perſonam, atque ab ea vnione prauentam eſſe ſubſiſtentiam, quam habere debuiſſet natura humana ſecundum ſuam conditionem, eamque ſuſtentari à ſuppoſito Verbi Diuini. Tantam vim vnio hæc habet, vt ea, quæ coniuncta ita reperiuntur, proprietates ſuas inuicem communicent, atque impertiant. Id ea ratione fit, quia operationes ad ſuppoſita pertinent, iiſque tribuuntur, indeque et nominantur, atque extimantur. Atque hinc eſt, cur de Chriſti perſona nonnulla verè dicere poſſimus, quæ ad ipſum pertinuere, non tantummodo*

quate-

quatenus Deus eſſet, ſed quatenus et Deus, et homo ſimul. Ideo, propriè quis loquitur, ſi dicat; Deus paſſus eſt: Deus mortuus eſt: vt ſcilicet et mors et tormenta iſta ad naturam Chriſti humanam, non autem ad diuinam referantur, licèt et patiendi, et moriendi verbum de tota Chriſti perſona dici poſſit. Propriè item et rectè loquitur qui ita dicit: Deus hodie natus eſt; hoc eſt natum eſt ſuppoſitum illud, cui conuenit ratione vnionis hypoſtaticæ naturæ humanæ cum Verbo, vt et propriè naſci potuerit, et verè natum ſit. Non poteſt lingua hæc et oratio mea altiùs eniti vlteriuſque progredi, auditores; atque per Iacobi ſcalas conſcendere Cælum hodie mihi non datur. Ita cum Patriarcha ipſo depreſſus, abiectusque humi, ſublatis illuc oculis, Cæli portas non ſine metu, ac trepidatione adſpicere conatus ſum. Verùm, ſicuti tentandum nobis eſt, vt myſteria tam alta interpretemur, atque tantarum rerum intelligentia et cognitione animus excolatur: ita voluntati etiam, ſtudijſque noſtris ſubſidia, et ſolatia quærenda ſunt, ne deſerta et inculta relinquatur: ſcilicet inter ſancta hæc etiam excelſaque myſteria locus erit increpandi perditos, atque corruptos mores hominum, et ſumendi inde documenta virtutum. Sed antequam id facere ingrediamur, conſideret vnuſquiſque mecum di-

uinæ

Digitized by Google

uinæ miſericordiæ magnitudinem infinitam; quæ eò proceſſerit, vt viam atque rationem inueniret, qua patrando humanæ ſalutis operi perſonam ſuam Diuinitas ipſa admoueret. Si aliquem videas eniti atque conari, vt aliquam tui ſimilitudinem effingat, ſtatim natura ſuadente, flectitur atque mouetur tibi animus, vt fauere ei et commodare velis. Quòd ſi deinde nomen ille tuum etiam ſumpſerit, magis adhuc fauebis ei, promptiorque fies. Quòd ſi mores demum, ingeniumque tuum, habitumque animi induat, magis eum adhuc, magiſque complectere. Verùm, ſi iſte propenſione erga te voluntatis, ſtudioque gratificandi eò perueniret, vt alter tu fieri vellet, idque nullam aliam ob cauſam, quàm ob charitatē et amorem tui, quæ tandem eſſent mutua ſtudia ſignificationeſque voluntatis, quibus tanta rei meritum compenſari poſſe videretur? Iam igitur ſciendum tibi hoc, intelligendumque eſt; æternam illam infinitamque naturam amore et benignitate erga nos non conquieuiſſe, donec id molita eſt, idque perfecit, vt quod nos ſumus, ipſa fieret. Atque de eo quantum, et quale iſtud ſit, vt amore inducta Diuinitas mortalitati noſtræ ſimilis eſſe voluerit, accipite quæ dicam. Magna fuit miſericordia Numinis tunc, cùm Parentem noſtrum Adamum ob admiſſam culpam reprehendere verbis et caſtigare volens,

in eo

in eo ipſo reprehenſionis munere ad illius, noſtramque ſalutem, exhibuit ſigna nonnulla conditionis, ſimilitudinumque humanarum. Ideo, ante reprehenſionem diuinam hæc verba leguntur; Deambulantis ad auram poſt meridiem. *Quoſnam putamus eſſe paſſus, quemve gradum illius, qui dimetitur manu Cælum? Quamve auram captaret ille, qui pennas calcat, alasque ventorum? Quæ meridiana tempora ſunt ei, qui ſidera circumſcripta et obſignata tenet, ſinguloſque ſtellarum motus regit? Attamen Diuina Maieſtas ad ſarcienda damna peccati deſcendere voluit ad huiuſmodi rerum ſimilitudinem; quæ nimirum ipſa ſimilitudo iam tunc effigies, et figura erat alterius magnæ ſimilitudinis, qua Filium ſuum olim aſsimilare nobis parabat. Verùm, adumbrata hæ et obſcura, multùmque remotæ ſimilitudines ſi comparentur nouiſsimis iſtis, per quas formam imaginemque noſtram expreſſit, nihil commune habebunt. Namque dum homo fieret Deus, formam, et inſignia, faciemque noſtram ſumpſit, ita vt Apoſtolus dixerit;* Debuit per omnia fratribus ſimilari. *Quæ ſanè verba ab intelligentia ſenſuque mortalium adeo remota ſunt, vt Seraphinos ipſos admiratione confundere, non tantùm noſtris luminis aciem perſtringere poſsint. Sed et longiùs amor ille proceſsit, Patribuſque antiquis admirationi*

Gen. cap 3 u.8.
Iſaiæ ca 48 u.13.
Pſal.103. u 3.
Ad Hebr.cap.2. u 17.

Exod cap 3 u 6. *rationi fuit, cùm verba illa audirent*; Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. *Quale eſt iſtud, quod dici audimus? Ego ſum Deus id ipſum factus, quod Abraham fuerat, dum nomen naturamque eius ſumpſi. Ideoque* Ad Rom.cap.1. u. 3. *verè dicitur*; Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. *Et ad Hebræos*; Ad Heb. cap. 2. u. 16. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. *Sed et maius, ampliuſque quiddam diuinus amor adinuenit. Quippe non ſatis fuerat formam, ſimilitudinemque noſtri ſumpſiſſe Numen, et mortale corpus iunxiſſe ſuæ Diuinitati, niſi etiam mortalitatis ipſius, et naturæ noſtræ proprietates indueret atque aſſumeret. Id enim ita factum eſſe declarant verba illa*; Ioan. cap. 1. u. 14 Et verbum caro factum eſt. *Vera ſiquidem, et mortali carne indutum ſequebantur ſimul ea, quæ ſunt propria carnis. Nec dum ſibi ſatisfecerat magnitudo amoris diuini, deditque naturæ ipſi humanæ ſuppoſitum, reſque diuinitus ita inſtituta eſt, vt Deus fieret id, quod antea ipſe non erat, fieretque id, quod tu es, vinculo humanitatis. Atque hoc loco, Mediolanenſes, concutiuntur et contremiſcunt columnæ Cæli, dum pulcherrimo hoc et fauſtiſſimo nobis die carmen hoc Eccleſia modulatur*; Et Homo factus eſt. *Magna ſunt hæc planèque admiranda, ſed magnum ſimul nouumque illud animo meo obijcitur, non ex magnitudine myſteriorum, ſed*

ex

ex animi humani ſordibus, atque vitijs; quomodo ſcilicet fieri poſſit, vt multi reperiantur, qui cùm alioqui prudentes, et litterati ſint, ne minimum quidem curæ conferre ad id volunt, vt myſteria Fidei percipiant, ac depreßi ſemper humi, nuſquam ad contemplanda munera Gratiæ caput attollere velint. Miſerrimi ſanè mortalium, et meritas denique pœnas pro tanto flagitio ſubituri. Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? *Quid nobis Diuinæ iræ ſupplicijque ſempiterni effugium patebit, ſi gratiam, ſalutemque hanc aſpernati erimus; quæ ſalus, et gratia tanta efficacia, et virtute, tantaque ſolicitudine et cura nobis præſto eſt ad omnia, vbi ſubſidio ſit opus? Veſtrum nunc iudicium eſt, auditores, ſtatuere, atque exiſtimare de magnitudine benignitatis, miſericordiæque Diuinæ. Quòd ſi hæc omnia, quæ à me demonſtrata ſunt, tanta fuiſſe reperietis, quanta fuiſſe apparet, eritne vnquam tanta vecordia, et tanta vlli ſtoliditas, vt quaſi momenti nullius rem incuria et obliuione prætereundo, dedecus clademque ſempiternam ſubire velit? Hæc breuiter à me perorata ſint inſtar omnium, quæ aduerſus incurioſa et obliuioſa pectora dici poßent. Magnitudo namque myſterij ſilentium potiùs imponere nobis videtur, quàm orationem expoſcere longiorem.*

Ad Hebr. cap. 2. ¶o 3.

C CVIVS-

CVIVSMODI NATALIS iſte fuerit, et cuiuſmodi circumſtantię eius.

CONCIO III.

QVID ego dicam hodie, Mediolanenſes? Intuearne terras, an potiùs Cęlum; hominem, an Deum; carnem, an Verbum? Si Cælum adſpicio, video cadentem inde imbrem aureum: quoties ad Terram oculos refero, cerno iacentem ibi theſaurum. Obſcuritasne igitur hodierni myſterij, an verò lux claritaſque eius mihi ſermonis argumentum erit? Hic tenebrę, hìc ſplendores; hìc terra, hìc Cęlum; et in eadem ſede Deus, et homo. Vetus mos, et conſuetudo Naturę ſublata cernitur, imperiumque maius ac nouum adeſt. Humana diuinis; fluxa et caducę sẽpiternis; cęleſtia terreſtribus hodiè miſcentur. Inferiora hęc ſplendorem et decus ſuperne accipiunt, pariterque ſupera diteſcunt, atque augentur. Porticus, et Schola Philoſophorum hodie conticeſcunt, impoſitiſque frenis compreſſi noſtri ſenſus cohibentur, Gentes erubeſcunt, et concitatur in rabiem Hebręorum furor. Dominetur iam fabuloſa Diuinitas, Numinaq; ficta ſolitos hoſtiarum honores depoſcant ſibi, et honores amiſſos, clauſaque templa conque-

conquerantur. Iam tandem Orci voracis fauces contrahat Cœlum, Cœliq; portæ pateſcant, et ſæua regna culparum hodie deleta, et ſublata ſint. In tantis gaudijs, et tantarum rerum gratulatione compleantur omnia laudibus, lætoque concentu Cœlum, et Terra pariter exultent. Omnes Gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. *Atque hæc omnia, non tam quia magnus ſit, potenſque Deus, quàm, quia paruulus, infirmuſque ſit: non tam quia Rex ille ipſe Regum, quàm quia Regibus vltro ſubiectus: nec tam quia vltor vindexque acerrimus, quàm quia manſuetudo illi, et quies, et mitis Agni forma. Poßumuſque in gratulatione iſta, et plauſu repetere Vatis antiqui illud;* Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. *Nullus vnquam vel auri, vel argenti prouentus, nulla inuenta gemma potuerunt æquare æterni roris diuitias; qui aureus imber hodie labitur è Cœlo. Sed ſicuti à Sancto Gregorio Nazianzeno admonemur, minimè exiſtimandum eſt, tam fauſti diei celebritatem eſſe recolendam humanæ laſciuiæ ritu luxuque potius, quàm pietate meditationum, quæ deliciæ ſunt, et oblectamenta animo. Atque ita quiſquis clariſſimam hanc lætiſſimamque diem rite celebrare cupit, cogitare debet, et quinam ſit iſte Infans, et cur*

Pſal. 46. u. 2.

Iſaiæ cap. 9. u. 3.

Gregor Nazianz. Orat. 38. de Nat. Dom.

C 2 natus

Auguſt. de Symb. Tract. 4. *natus ſit, et cur in ſtabulo natus: unde fames ei, tremuluſque rigor: et quomodo conueniant inter ſe iſta, ut doloribus innutriatur idem, uiuatque ſucco lactis, et rurſus alat ipſe, regatque ſidera: ſit loquendi rudis, ſitque ipſe Verbum. Vt verò celebritatis ipſius apparatus et pompa, quàm magnificentiſſimè, et quàm floridiſſimè adornetur, agè ſanè verba illa contemplemur, quæ ex Euangeliſtæ ore Spiritus Sanctus humillima ſimul, et excelſa,* Lucæ cap. 2. n. 7. *pauca, et multa, clara, et obſcura pronuntiauit.* Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio; quia non erat eis locus in diuerſorio. *Duo verbis hiſce continentur: Chriſti natalis, et æterna memoria digna circumſtantiæ quinque. Expoſuerat primum omnium Euangeliſta, quemadmodum ex Cæſaris edicto ad profitendum ſuum quique nomen irent: eius rei cauſa profectos diuinos coniuges Mariam, et Ioſephum, Betlehemque perueniſſe: cum ibi ſubſtitiſſent, exactis iam menſibus, et maturo cæleſtis puerperij tempore, ſuperueniſſe noctem illam, quæ fuit omni luce clarior, tenebraſque illas humano generi felices. His ita expoſitis, Euangeliſta pergit cætera exequi, aitque de Maria Virgine.* Peperit filium ſuum primogenitum, *Dum igitur dici audimus, Parentem hanc noſtræ ſalutis peperiſſe filium, tria ſunt, de quibus hoc verbo erudimur.*

Digitized by Google

mur. Monemur in primis, abfuiſſe Virgini ſolita tormenta puerperarum, cùm ita dicatur. Peperit filium ſuum, *non autem* parturijt, *cui verbo ſignificatio doloris ineſt, ſicuti legitur*; Ibi dolores, vt parturientis: *et apud Iſaiam,* Quaſi parturiens, dolebunt. *Porrò tam fauſti partus forma ſimilitudine admirabili repræſentata eſt apud eundem Iſaiam in hunc modum*; Florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. *Idemque propheta alibi* Antequam parturiet, peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum. Quis audiuit vnquam tale? *Atque in eius rei contemplatione Damaſcenus ita ait*; Quos in partu dolores effugit, Paſſionis tempore ſuſtinuit, vt quæ pro materno ſuo affectu viſcera ſibi lacerari ſenſerit. *Ideo, et Sanctus Ambroſius, et Sanctus Auguſtinus cenſuere, cæleſtem Mariæ partum abſque vllo dolore editum fuiſſe. Peperit igitur, et non parturijt. Quòd autem dicitur peperiſſe filium, ea res argumento eſt, et reperiri matrem. Maria igitur propriè, et verè mater eſt, contra quàm Neſtorio placitum fuerat, qui non Dei, ſed Chriſti matrem eam fuiſſe contendit. Et filius veræ matris hic fuit ſolido, vitalique, et humano corpore, non ſpectrum idolumue aliquod, aut ex diuerſo carnis genere conpactum, ſicuti Manichæorum, et Marcioniſtarum ſecta affirma-*

Pſal. 47. u. 8.
Iſaiæ cap. 13. u. 8.
Iſaiæ cap 35. u. 1.
Iſaiæ cap. 66. u. 7.
Damaſcenus de fide hort. lib. 4. cap. 15.
Ambroſius ſerm. 3. de Nat. Dom. Auguſtin. lib. de Aſſump. Mariæ.
Euſeb lib. 4. Hiſt. Eccleſ.
Damaſcen lib. 3. cap. 12.
Tertull. de carne Chriſti.

affirmauerunt. Fuit igitur propriè, et verè mater Virgo Deipara, Chriſtuſque verè, et propriè filius fuit, manifeſto Valentinianorum errore, qui cenſuerūt delapſum è Cælo Saluatoris corpus, nec aliter in Virginali vtero ſediſſe, quàm velut in hoſpitio, itinereque, et via. Ita tria capita ſanctiſſimæ noſtræ Fidei verbo hoc Peperit filium, *Euangeliſta incluſit. Nunc reliquum eſt, fratres, filijque in Chriſto chariſſimi, vt circumſtantias illas quinque cōſideremus, quas in Diuino exortu natalique Saluatoris initio conſiderandas eſſe propoſueram. Maria fuit mater, verèque, et ſine dolore mater, et verus ei filius Saluator, vti demonſtratū eſt. Is ita propriè et verè fuit Mariæ filius, vt nulla matrum humanarum editum à ſe partum tam propriè et verè dicere ſuum poſſit, quàm Maria poteſt. Nam (quod ad terram, humanumque genus, et creata omnia attinet) verus ipſius filius, non alienus fuit. Filius hic ipſius erat, primogenituſque filius, hoc eſt vnicus. Namque ad illa verba,* Donec peperit filium ſuum primogenitū, *notat, docetque Baſilius, particulam illam,* donec, *licèt videatur circumſcribere ac definire tempus aliquod, minimè tamen id efficere, ſed eò pertinere tantùm, vt conditio rei durantis abſque vlla temporis definitione intelligatur. Sic et Chriſtus ipſe dixerat.* Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationē ſæculi, *licèt non ad tēpus aliquod, ſed*

Iren. lib. 3. cap. 31.

Baſil. Homil 25. de hum. Chriſti gener.

Matt. cap. 28. u. 20.

ſed in omnem æternitatem cum Sanctis duraturus ille eſſet. Vox autem ipſa, vocabulumque Primogeniti, *quomodo accipi debeat, declarat Iſaias.* Ego Dominus primus. *Alterne igitur erit Deus? Minimè ſanè. Ideo ſubijcit;* Et nouiſſimus ego ſum. *Hac ratione igitur Dei, Mariæque filius primogenitus fuit. Sed quàm grata illa, quàm elegans, et iucunda cognitu circunſtantia eſt, quam Euangeliſta deſcribit his verbis;* Et pannis eum inuoluit? *Itaque Sanctus Hieronymus Pſalmi illud,* quia vnicus, & pauper ſum ego, *ad Chriſti paupertatem refert; qui ſcilicet abſque peccati labe vnus fuit, pauperque idem, et Mundi ipſius pretium. Hoc loco dum paupertatis pauperiſque veſtimenti mentio fit, memoria mihi renouatur, Mediolanenſes, quanto faſtu, quantoque luxu veſtimenta iſta veſtra fœdata conſpiciantur. Sanè turpis eſt ſemper nimius ille corporis cultus, ſed longè turpior, ſi pretio et impenſa maiore paretur, quàm quantam noſtræ fortunæ conditio ſuſtinere poſſit. Peſtifera tabes, mortiferumque venenum ſunt deliciæ omnes, ſed capitaliſſimæ omnium illæ, quæ aſſumuntur inſtrumenta peccandi; ſemperque luxurioſa veſtis interpres impudicitiæ habita eſt. Sed quis in paupere humilique veſtitu incedit hodierna die, auditores? Ille, qui* operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam. *Velant ſibi*

Iſaiæ cap.41.u.4.

Pſal. 24. u.16.

Pſal. 146. u.8.

ora

ora faciemque Seraphini videnda tantæ Maieſtatis cauſa: ipſeque ſe daturus in conſpectum humano generi, carne priùs, deinde verò vili hoc integumento velatur. Quorſum autem velamenta hæc, et faſciæ, incunabulaque, et inuolucra infantiæ Saluatoris? Chriſtus, dum ita tegitur, reuelat ſe nobis, non autem tegitur, ad hoc ſcilicet, vt hominem ſe eſſe fateatur. Atque in eo plus hominum generi tributum eſt, quàm Choris Angelorum. Nam Seraphini tegunt ora, vultuſque ſuos, vt agnoſcant videantque Deum; at hodie Deus velamenta ſumit iſta, per quæ mortalium oculis adſpici poſſit. Moyſes etiam quò familiariùs verſari poſſet inter ſuos, faciem ſibi velarat: nubeſque leuiter prætenta Soli, Solem ipſum aperit magis: et incarnatio ſcala graduſque fuit ad Diuinitatem, et humana natura hæc, ceù fabrefacta cryſtallus, ſpeciem admirandæ rei meliùs, clariùſque repræſentauit. Iam hoc loco ex pauperie ſqualoreque præſepij, et ex cincta Saluatoris infantia tam paupere cultu, quartam natalium ipſius circumſtantiam conſiderare optimè poterimus, non minore ſanè ſpectaculo, quàm quo ſuperiores aliæ fuerunt. Et reclinauit eum in præſepio. *Deus optime maxime, tu ille es, qui fulgurans olim fulminanſque illic in monte excelſo, vetabas appropinquare quemquam, iumentaque, et homines procul à conſpectu tuo arcebas.*

Nunc

Nunc idem in obſcura, et abiecta ſede moraris; quodque longè admirabilibus eſt, inter viliſsimas pecudum. Quonam modo tandem ex monte in vallis huius infima deſcendiſti? Speciem imaginemque refers raræ auis, quæ per conuexa Cæli ſecuta prædam, in ſtagna deinde paluſtreſque campos pari volatu deſcendit. Et Verbum quidem vitæ, ſalutiſque mortalium, non mortis cauſa patrauit iſta et egit: nos verò infelices et ingrati intra tantum munus, claudimus Saluatori pectora, et eum intro admittere recuſamus. Cor, animuſque noſter præſepe eſt, in quo ſtabulantur iumenta perturbationum; talique hoſpitio prohibetur Chriſtus, vt eo repudiato, fœda animalia faciliùs retineantur atque admittantur. Quòd autem in humili obſcuroque diuerſorio decumbens inter bruta animalia Saluator cernitur, ea res non leuem fiduciam miſerijs hominum præbet. Siquidem hoſpitium Saluatoris ita iungitur cum rudibus etiam, vltimiſque mortalium, quibus virtus abeſt, perturbationeſque noſtras, velut manſueta iumenta, ſuſtinet, niſi ad culpam vſque exceſſere; labemque peccati, quæ munus gratiæ prohibeat arceatque animo. Sed cur tandem Maria partum ſuum in præſepio collocauit? Hæc vltima circunſtantia erit, quæ à nobis in Saluatoris exortu conſiderabitur. Quia non erat eis locus in diuerſorio. *Prouidè namque et ſapienter à di-*

uinæ Hiſtoriæ ſcriptore ea cauſa affertur. Inprimis reuerentia Deiparæ declaratur erga partum ſuum, quem non ob contemptum, ſed ex neceſſitate ibi collocauit; non ſecus atque Regum etiam aliquis in militari aliqua expeditione nuda in humo cubare ſolet. Simul declaratur ſtudium et diligentia matris experientis omnia, ſedúloque tentantis, ut partum ſuum commodè collocaret. Denique id ita factum eſt, ut intelligeretur, elegiſſe Chriſtum eam ſibi vitæ conditionem, qua nihil humilius eſſe poſſet, neque in tanta paupertate cubile aliud expediri potuiſſe Infanti. Sunt aliqui in ſumma opulentia pauperes: ſed Chriſtus in ſumma paupertate pauper eſſe voluit. Hæc autem ita repetita mentio paupertatis, ſtabulique, et præſepij, non ſplendidæ domus, non opulentæ ſupellectilis, non honorum, monet, ut excitemur ipſi etiam ad offerendum aliquod Chriſto præſepe, nempè cordis animique noſtri obſcuritatem, et anguſtias. Præſepe namque verè iſtud, diuerſoriumque eſt, quo viatorum turba colluuioque rerum omnium recipitur, ſicuti Clemens Alexandrinus ait: Si miſera tua ſorte minus alta domicilia virtutum adornare potuiſti, quibus natum hodie Saluatorem excipias, reuerenter ſaltem, trepidèque offerre debes ei tumultuantem tuam confuſamque mentem, eaque, veluti humili tugurio, excipere illum, in qua viuia adhuc perturbatio-

Clemens Alexan. Lib. 1. Strom.

nes

nes ipſæ unà cum gratia habitare poſſunt, dummodo ibi minimè dominentur. Denique nullum in toto terrarum Orbe Dei Filio receptaculum fuit, niſi intra præſepia pecudum admitteretur, quia ſcilicet homines ipſi iam infra beſtias erant, quæ excipiunt admittuntque Chriſtum, quem homines ipſi repudiauere. Hinc fit, ut brutorum ſocietatem minimè adſpernetur Deus, fugiat tamen peccantium hominum commercia et cœtus. Hæc inter ſe non diuerſa ſolùm, ſed etiam contraria ſunt hodie repræſentata vobis, Mediolanenſes, confuſa fortaſſe etiam noſtra hac oratione, obſcuritas ſcilicet ſimul, et excellentia myſteriorum, noſtræque ipſorum culpa manifeſtæ ſimul, et turpes. Quò clarior hodie lux Diuina Mundo affulſit, eò magis tenebræ noſtræ diluceſcunt, quas pelli pectoribus animiſque mortalium tandem aliquando tempus eſſet.

Namque Sol animorum iam extulit ab exortu caput, cunctaque illuſtrat.

DE DIVINITATE, *ET* *Humanitate Chriſti.*

CONCIO IV.

IAM *lux Mundo affulſerat: iam nato Infante, Paſtores audierant colloquentes Angelos, myſteriaque edocti erant, cùm ſimplices illi communi conſilio ſtatuerunt ire, et ſuiſmet ipſorum oculis vſurpare pulcherrimi luminis adſpectum, atque* Lucæ cap.2.u.15 *his inter ſe vocibus hortati, ſuſcepere iter.* Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt. *Singularem vnum Angelum viderat Manue, ſtatimque ad eum ad-* Iudic. cap. 13.u. 22. *ſpectum, funeſtam huiuſmodi vocem dedit;* Morte moriemur, quia vidimus Deum. *Ego verò, non funeſta, ſed læta et triumphali voce vos hodie alloquor, atque ita affirmo. Viuemus, viuemus, fratres, quia Saluatorem vidimus, aſſiduèque videmus fidei oculis. Fauſtoque carmine concinit Eccleſia* Epiſt. ad Titum cap.3. u.4. *in hunc modum.* Benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei. *Sed quoniam aduersùs diuini luminis claritatem hebete nimiùm acie ſumus, ideo enitendum nobis eſt ſemperque conandum, vt magis magisque propinquantes, eum videamus, diuinorum videlicet myſteriorum contem-*

platione

platione, atque intelligentia. Itaque, Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt. *Primum omnium, quantum aſſequi poſſimus diuina, conſideranda nobis, intuendaque Diuinitas eſt partus illius, qui hodie in lucem editur. Deus infinitus, æternus, primaque intelligentia eſt, perfectiſſimuſque idem tum in eſſentia, tum in operatione, ac perfectiſſimè ſe ipſum intelligit. Hanc in Deo intelligentiam reperiri neceſſe eſt, cùm ſit hoc ſummæ, veræque perfectionis ſubſtantiarum excellentiſſimè agere, quantum in ſe eſt, modiſque eximijs. Hanc intelligentiam ſterilem atque infructuoſam minimè eſſe conuenit, debetque ipſa gignere rem ſibi aptam atque conſentaneam. Ideo, Deus intelligentia ſua concipit, gignitque conceptum, qui ex diuina eſſentia ipſius cognitione oritur. Atque cùm Dei æterna ſit intelligentia, conceptus hic æternus eſt, et cùm ſit infinita, infinitus. Dicitur appellaturque Verbum intelligentiæ reſpectu: dicitur, appellaturque filius pro ea intelligentia et captu et conſuetudine, quæ propria humanæ mentis eſt. Ex intelligentia namque noſtra res ea gignitur, ita vt tamen in Deo non ſit accidens, ſicut in nobis, quæ veluti partus eſt intellectus, et intellectui ſimilis, gigniturque ſimilitudine quadam; eaque conceptus appellatur. Hoc Verbum diuinum eſt; hic Filius*

æternus:

æternus: hæc vera imago Patris. Vidiſtiſne igitur repræſentatam hac mea oratione myſterij magnitudinem? Vidiſtis Verbum, lumenque iſtud? Quòd ſi dicas, non eſſe iſtud cernere ac videre, ſed perſtringi aciem, et allucinari, accipe quæ dicam. Non tam cernis ipſe Solem cernendo, quàm hoc ipſo, quòd cernere non poſſis: nec minùs intelligis illum eſſe Solem hoc ipſo, quòd fixis eum oculis intueri non potes, quàm ſi penitus in eam lucem intenta tibi oculorum acies eſſet: tuncque dico ego videre me Solem, cùm illius ſplendore victus, fateor hebetes mihi ad videndum eum eſſe oculos. Id ipſum dici poteſt de Deo. Namque non poſſe intelligere, et videre Deum, non ſemper argumentum eſt non videndi, et intelligendi eum: atque allucinatio hæc Iſaiæ cap. 6 n. 2. *perfectus adſpectus dicendus eſt. An quia Seraphini velauerant ſibi ora, ideo cæci orbique lumine fuerunt? Fortaſse etiam inter beatos illos Spiritus ità comparatum eſt, vt qui minus viderint, minus allucinentur? Sed tempus iam eſt, auditores, deijcere oculos, ne tanto lumine perſtringantur atque offundantur; tẽpus, inquã, flectere eos ad Chriſti humanitatem; eaque res erit altera, quam in Bethlehemitica ſpelunca reperire poſſumus. Ecquid igitur vides: ecquid in ſtabulo inter iumenta, in tenebris, in horrore antri contemplaris? Primum omnium occurrit vnum mortale corpus inter homi-*

nes

nes natum. Triplicem eſſe viam, qua alter alteri prodeſſe poßit, ait Clemens Alexandrinus; documentis nimirum, et exemplo, et legibus. Hac triplici via ſæpe Deus varijs temporibus conſuluit humano generi: ſed documentis, legibuſque in veteri teſtamento frequentius, exemplo magis in noua lege vſus fuit, propter eam nempe ſimilitudinem, quæ carni Saluatoris cum noſtra carne fuit; de qua quidem ſimilitudine ita Apoſtolus: Debuit per omnia fratribus ſimilari. *Nec ſolum, figuram corpuſque humanum vides, ſed teneri etiam, et recens nati infantis figuram, atque corpus; quem tamen infantem fidei oculis vides diuinitate infinitum, humanitatis verò lege, veram carnem, remque finitam, et oculorum ſenſui ſubiectam. Naturæ opera, rerumque vniuerſitatem, mariſque, et terræ circulum hunc Iob admiratus, talia dicebat;* Quis conclusit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? Cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. *Quæ tanta vis, et ſapientia potuit mare Diuinitatis cogere in paruuli infantis ſinum, ita vt nullis terminis finibuſque circumſcripta Diuinitas, quæ antea dice-*

Clemens Alexan. Lib. 6. Strom.

Ad Hebr. cap. 2. u. 17.

Iob. cap. 38. u. 8. & ſeq.

batur,

batur, nunc certos intra terminos, fineſque conſiſtat? Quis pelago Diuinitatis circumdedit iniecitque veſtem? Quanam arte effectum eſt, vt pretioſo et ſubtiliſſimo humanitatis velamine veſtita Diuinitas, faſcijs incunabuliſque pareret? Quis immenſitatem hanc in certa ſede locauit? Atque, vt magni Propheta verbis tanta rei miraculum

Iſaiæ cap. 40. n. 12.

exequamur; Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? *Ipſa ſe Diuinitas coarctauit atque reſtrinxit; nec poteſt mens humana contemplando ſcandere atque eniti altiùs. Quòd ſi oculorum aciem vlterius intendere voles, videbis Infantem hunc humillimũ, pauperrimumque et deſtitutum iacere. Parentem humani generis Adamum Diuina Maeſtas inſtruxerat om-*

Gen. cap. 1. n. 28.

nium rerum opulentia et dominatu; Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli: *at ijs rebus abutendo, ipſe redactus ad paupertatem eſt, noſque progeniem ſuam miſeria et egeſtate demerſit. Pauper Chriſtus ingreditur terras, ditatque mortale genus, et quoad Humanitatem, victoria ingenti ſi-*

Matth. cap. 28. n. 18.

mul ipſe trahit, adipiſciturque cuncta. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. *Pater idem humani generis in media Paradiſi ſede collocatus, princeps ibi fuerat dominuſque rerum, ac de principatu dominatuque illo ita legi-*

Gen. cap. 2. n. 8.

tur; In quo poſuit hominem quem formauerat.

Poſtea

Poſtea ſibi, nobiſque principatum abrogauit, atque effecit, vt extorres exuleſque viueremus. Præterea, collocatus hic in Præſepe Infans, licèt deſtitutus ita, ingloriuſque iaceat, Saluator tamen eſt, à quo vita Mundi totius, à quo bona omnia pendent. Poteſt æternæ mentis Numen ad naturam ignis rectè comparari. Elementum namque illud ſimplici ſua natura, quale reperitur in ſua ſede, deuorat abſumitque omnia, terrorique eſt: vbi verò ad ſalutem, vſumque communem miſcetur, temperaturque materia, gratiſſimum fit vitæ inſtrumentum, neque finis vtilitatum, quæ inde ad res creatas manant. Haud diſſimiliter æterna illa Natura ſupremaque Poteſtas in prima legis maieſtate tonabat, fulgurabat, complebatque cuncta terrore, et Deus ille vltionum dicebatur. Verùm, vbi carnem ſibi humanam induit, immiſcuitque ſe mortalitati et rebus iſtis, quæ ſunt mortalibus ante oculos, quàm profuſa, quàm larga erga nos benignitate agere inſtituit? Creauit præterea lucem, ſicuti ſacræ Litteræ loquuntur, eamque Soli iunxit, quò magis Mundo prodeſſet. Ita nimirum etiam humanitati Chriſti Diuinitas adiuncta fuit, quò ampliora munera inde perciperemus. Atque, vt à contemplatione et adſpectu Præſepij tandem abeamus, quid vltra reliquum eſt, niſi vt Infantem

hunc Deum, et hominem eſſe conſideremus? Atque in ea re, quam tandem emittere vocem poterimus eadem illa pleniorem atque fauſtiorem, de qua nobis mutua gratulatione eſſe plaudendum initio dicebamus? Viuemus, viuemus, quia vidimus Dominum. Quid gratius, quid ve iucundius accidere poteſt ad aures noſtras, dummodo fructus excipere velimus eos, quos Benignitas Diuina nobis offert? Vidiſtine igitur ex longinquo thronum ſoliumque Verbi Diuinitatis? Crede ſcilicet, atque deiectis reuerenter in terram oculis, adora. Vidiſti iacentem in Præſepio perſonam humanam? Eius reſpectu, ac veneratione cuſtodi tuam ipſe carnem, honoremque et gloriam ei habe, ne qua labe contaminetur, memor ſemper tremendæ vocis; Verbum caro factum eſt. *Vidiſti Infantem humillimo pauperrimoque cultu inuolutum? Abſit omnis à te faſtus, nec inflet vlla ſuperbia tuum animum; cùmque humilis abiectuſque ſis, deſine ſpiritus aſſumere nimios, cùm maieſtas ipſa ſalutis tuæ cauſa ſe ſe abiecerit atque inclinauerit. Vidiſti Saluatorem? Amplectere ſalutem beneficiumque oblatum. Vidiſti Deum, qui factus homo eſt? Obmuteſce, contemplare attonitus, atque adora. Quod vt cumulatè præſtare poſſis, Deus tibi concedat.*

CVR

CVR ECCLESIÆ RITIBVS *inſtitutum ſit, vt Anniuerſaria Solennia celebrentur.*

CONCIO V.

REDEVNT anniuerſaria ſacra ſolenniaque Saluatoris, auditores: et diuina illa Lux Mundo exoritur: deſcendit in terras Deus: congratulantur hominibus Angeli: ſolia Regum Præſepe ſuperat fulgore ac maieſtate; paupereſque Regibus anteponuntur Euangelij principatu; et iumenta demum ipſa fruuntur parte tanti honoris. Et quemadmodum viciſſitudo atque conuerſio anni temporum ſalubris corpori eſt, grauiſſimaque interdum mala arcet: ita celebritatum harum repetita ſæpiùs atque iterata ſolennia ferunt animis ſalutem, ſuoque perpetuo recurſu plurimas maximaſque vtilitates generi humano important. Verùm, ſi anni tempora etiam, varietate et ſucceſſione ſua, apud prudentes atque attentos vim habent commouendi noſtri animi excitandique ad virtutem, vt vnà cum illis etiam ipſi renouati, meliores honeſtioreſque ſiamus: quanta in id ipſum vis facultaſque erit temporibus et diebus; quæ tempora, et dies Auctor ipſe Naturæ, non ſerua eius et miniſtra Natura deſcripſit atque

inſtituit? Quòd ſi intelligere velit aliquis, cuiuſmodi ſit diſciplina iſta et tacita inſtitutio, quam nobis adhibent anni tempora viceſque variatæ, huic deſiderio ac ſtudio libenter à me ſatisfiet. Prima inditia veris comiter nos iucundèque admonent, vt deſcendat in ſe quiſque, tentetque animum ſuum, et exploret, maneatne ſpiritus diuini vigor, an verò emortuus ibi repreſſuſque ſit. Deſideria honeſta ceù floſculos in hoc animæ campo perquirat, videatque, num fructus operum adhuc apparere cœperint, et reſpondere floribus ipſis. Si nihil tale
Cant.cap.2.u.11. *repereris, erit ſanè cur dicas; nondum hiems tranſijt; nondum imber abijt; nondum flores apparuerunt in terra noſtra. At calor æſtatis documento eſt, ſtrenuè adeundos eſſe labores, neque in vllo virtutis opere fatiſcendum. Ea namque mater operum eſt: ea pulchro ſudore rigat humum. Autumnus imaginem nobis huius vitæ offert. Renident cuncta læto prouentu: ſed mox defluxere humi frondes, honorque arborum euanuit: in vicino ſtat hiems, hoc eſt mortis horror, ac vitali paulatim calore defecta corpora, breuis horæ momento flaceſcunt. Hiems quoque ipſa mœſtitia Cœli, et Terræ ſqualor, et caligo rerum, haud dubiè triſtiſſimam corporis humani faciem repræſentat, qualis ſcilicet futura ſit, morte ſuperueniente. En vt temporum anni vices vniuerſas*

breuiſſi-

breuiſſimi temporis momento videre potuiſtis? En vt mens veſtra Solis ipſius penè curſum atque velocitatem æquare, vel etiam ſuperare potuerit, ita vt vnico ferè puncto mentis acies luſtrauerit quidquid ille ſolido anno et perpetua duodecim menſium conuerſione metitur ac videt? Sed vnde abieram, eò iam rediens, hoc dico; cùm à Natura deſcriptæ temporum varietates, ceù appoſiti nobis et aſſignati magiſtri tantarum rerum eximia documenta præbeant nobis perpetuòque tradant; quantò vberior præſtantiorque diſciplina erit ex diuinis Gratiæ temporibus, quæ Sanctis Eccleſiæ ritibus inſtituta et plena myſteriorum recurrunt toties atque iterantur? Inter cæteras verò cauſas, ob quas Sancta Mater Eccleſia inſtituit iſta et ſanxit, illud præcipuè ſpectauit, vt altè infigerentur animis noſtris res eæ, quæ cognoſcendæ et percipiendæ eſſent; vtque per huiuſmodi ritus atque cæremonias, induceremur ad ea complectenda, quæ et vera, et vtilia, et honeſta eſſent. Hoc loco colligatis animos velim, vt orationis quoque meæ fructum colligere poſſitis. Si orator aliquis vnus fortè reperiretur, qui, et ab omnibus ſummopere commendaretur, et ſtudio ac voluntate in auditores ſuos ea ſemper ageret, quæ ad ſalutem eorum pertinerent; ac nunc firmiſſimis argumentis, nunc comitate orationis, interdum etiam minis et ter-

rore periculorum ad perſuadendum vteretur: ſi inſuper ille actionis eam dignitatem, eamque vim in dicendo adhiberet, vt dubium relinqueret in animis, corporiſne motu, an facultate verborum efficaciùs vteretur: denique ſi ille non ſemel atque iterum, ſed ſæpiùs de eadem re ageret; interimque manerent obſtinati auditores, neque vlla Oratoris eius conſilia ſequerentur, quid tandem de illis dici poſſet? Non homines ratione præditos, ſed mutas pecudes eſſe diceremus, ne ſenſum quidem illis ineſſe vllum, ſed ſtipites, et ſaxa eſſe, cautes vel marinas. In hunc planè modum Sancta Mater Eccleſia renouat ſemper iteratque feſtos dies, eiuſque vim et auctoritatem et eloquentiæ magnitudinem, cùm diuina ea ſit lingua, quis aſſequi vnquam poteſt? Nam, quòd ad amorem curamque noſtri attinet, ea et mater eſt, et pectus ſenſumque maternæ charitatis habet: arſque perſuadendi hæc non à magiſtris tradita et accepta, ſed è Cælo delapſa eſt: atque nunc ad amorem allicit nos mortales, nunc metu ac terrore coercet. An verò tanti ritus, tantaque cæremoniæ, et tanti apparatus minus efficaciæ ad perſuadendum habere videntur, quàm verba illa quotidianæ vulgatæ artis, qualia oratores noſtri afferre pòßint? Verè igitur imago ipſa et contemplatio anni temporum, ſicut antea dicebam, vberrimos ad noſtri animi

diſci-

diſciplinam fructus afferre poteſt, qui ipſi vberiores erunt, ſi varias atque multiplices celebritates et ſolennia ſacrorum dierum religiosè obire volemus; quæ ſolennia et ſacra Parens eadem Eccleſia, veluti excelſa oratrix, ad perſuadendum inſtituit atque ordinauit. Hodie ſanè perſuadendi vias omnes tentat ipſa atque inſiſtit: humanæ, diuinæque voces, Angelici Spiritus, cantus, et ſplendor, et Paſtores, et Præſepe, ſpeluncaque, et ſqualor, et timor, et paupertas, et lætitia ſimul, et cum æterna ſapientia Verbi ſimplicitas Infantis; hæc omnia hodie adhibentur inſtrumenta perſuadendi. Verùm, vt cætera omittantur, quæ de Præſepio dici poſſent, vnum afferam atque proponam tantò præclarius, quia diuini Oratoris Chryſoſtomi litteris id continetur; atque huiuſmodi eſt. Diuina lux, quæ Magorum animos illuſtrarat, et ſtella illa, quam oculis cernebant; hæc duo tantùm ad credendum impulere Magos: non reliqui apparatus, non cætera tot miracula fuere illis incitamenta fidei. Neque mireris velim, ſi de Chriſti exortu verba facientes, vtamur hoc potiſſimum exemplo, et auctoritate Magorum; primi enim iſti fuere, ſub quorum nomine et figura conuerſæ ad Chriſtum Gentes, noſque Chriſtiani repræſentamur, qui hodie Templum hoc, tamquam Præſepe, adimus, adoraturi natum Infantem.

S. Chryſ. Homil. 8. in cap. 2. Mat.

fantem. Complectatur igitur, obſecro, quilibet ſolatia hæc animo ſuo diuinitus oblata, tot teſtimonia, tot argumenta, quæ circumſtant vndique animos, atque vocant ad veriſſimam Chriſti fidem, tot vetera miracula, tot egregia facta virorum illuſtrium, diuinarum Litterarum auctoritatem, diſputationes publicè habitas, diuturnitatem temporis, et ipſam tot ſæculorum approbatione confirmatam veritatem; quæ omnia confirmant in Chriſti fide noſtrum animum atque ſuſtentant. Sed valde ego ſuſpicor, aliquem fortaſſe etiam ita dicturum, temere licèt atque abſurdè: ſi ſibi quoque Præſepe in conſpectu eſſet; ſi ſtabulum illud ipſo Cælo ſplendidius ſubire daretur; haud ſanè ceſſaturum, quò minùs vnà cum Magis ipſis dona Infanti offerret. Talemque animi habitum confirmare videntur etiam antiqua deſideria Patrum, in primiſque eloquentiſſimi et ſanctiſſimi Chryſoſtomi ipſius, qui ita dixit; O ſi mihi liceret videre illud Præſepe, in quo Dominus iacuit. *Veruntamen roſeo illo ore digna ea vox fuit; idque vnum contemplare. Non enim deſliterat interim ille modis omnibus adorare Præſepe diuinum, licèt id in conſpectu non haberet, atque ad id tantummodo optabat Præſepe videre, quò vehementior flamma diuini amoris in ſuo pectore accenderetur. Tu verò, quia Præſepe non vides,*

S Chryſ. Homil de Nat. Dom. in cap. 2. Lucæ.

vides, ideo ne cogitas quidem de eo vnquam, et nulla ex animo tuo deprompta dona portas illuc. Nunc igitur abs te ego quero: Adorasne Deum ob ligna illa, et fulcra Præſepij, an ligna ob Deum adoras? Plane rudem illam horridamque materiam, quæ præbuit durum cubile Infanti, veneraris atque adoras ob diuinum ipſum Infantem, qui ibi aliquandiu collocatus fuit. Deus ipſe finis tibi exitusque rerum omnium eſt; ad quem properare debes: cætera ſunt inſtrumenta ſubſidiaque perueniendi illuc, conſequendique rem optatam. Non finem ad media detorqueri, ſed media conferri ad finem oportet. An quia medicamento aliquo non vteris, vel quia id tibi deeſt, ideo valetudinem aſpernabere? An quia non eſt in conſpectu Præſepe tibi, ideo Deum adorare noles? Pulcherrimum rerum ordinem ita confundis atque perturbas. Atque, vt de miſerijs etiam noſtris, et de voluntaria noſtra calamitate plura aliquantò, quàm initio ſtatueram, dicantur, quæ tua iſta eſt negligentia, quæ vecordia et obliuio? Hoc à te quæro, quomodo fieri poſſit, vt cùm videas Dei filium in terras tuæ ſalutis cauſa deſcendiſſe, de tua tamen ipſe ſalute cogitare nolis: et quomodo fieri poſſit iſtud, vt tremulum in Præſepio Diuinum Infantem adſpiciens, non ſimul intremiſcas exitij tui extremi horrore.

rore. Quomodo fieri poteſt, vt vnigenitum Dei Filium, Principemque et Dominum vniuerſitatis huius adſpiciens cum vnica nobili, ſed pauperrima Virgine, et nihilò opulentiore altero aſſecla, abſque ſeruis, abſque iumentis, ſumma hieme per lutulentas vias incedentem, non exhorreſcas immodeſto tuo, impioque, et numeroſo grege ſeruorum, qui domi tuæ aluntur. Et ſaluum te interim fore ſperas? Stulta ſpe detineris. Mutandi mores priùs tibi ſunt, deinde ſperandum. Tria fuerunt, quæ vobiſcum hodie agere volui mea hac fortaſſe nimium longa oratione. Sicuti anni temporibus, ita celebritatibus ſacrorum dierum incitari nos ad vitam, moreſque mutandos. Sanctam Matrem Eccleſiam, quaſi diuini oratoris munere fungentem, perſuadere, vt id ita fiat; idque contemplatione Præſepij, et hodierni diei myſterijs demonſtrare ſum conatus. Quòd ſi meum in dicendo munus rectè impleuero, fuerit hoc illius donum, vnde bona omnia proficiſcuntur: ac ſi ea fortaſſe dixi, quæ fuerint probata vobis, non artis hoc opus videri debebit, ſed rei argumentique ipſius, cùm mihi propoſitum ſit ea tantùm agere vobiſcum, quæ veriſſima ſunt, et vtiliſſima vobis.

FRV-

FRVCTVM PECCATORIBVS nullum afferre Celebritates anni repetitas; et cur Præſepe Chriſtus ſibi domicilium elegerit.

CONCIO VI.

REDEVNT, auditores, anniuerſaria ſolennia Chriſti Saluatoris, et memoria renouatur diei illius, quo Mundi ſalutem, partumque diuinum adſpexere mortales; quo terris illuxit mentium noſtrarum Sol; quo triumphauere lætitia Chori Cæleſtes; quo ſolia Regum Præſepij ſplendor obſcurauit; et Euangelij prærogatiua Paſtores antelati Regibus ſunt; et iumenta pecudeſque in parte honoris fuere. Tale mihi ſermonis initium fuerat etiam ſuperiore anno, cùm ſcilicet diei huius occaſione admonere et caſtigare ingrederer eos, quos hæc ſæpius repetita ſolennia numquam excitare potuerunt, vt culpas et vitia illa deponerent, quibus Sancta Mater Eccleſia offenditur, et offenſa conqueritur, ipſoſque arguere non ceſſat. Salutiferi Natalis exortuſque diuini toties celebrata gratulatio, toties inſtaurati ritus cæremoniæque ſacroſancta, veluti concionantur; et ipſi tamen interea quales fuere, perſeuerant. An verò tot concionibus proſici quidquam potuit? An vberior in

hoc campo ſeges ad meſſem inalbeſcit? Nihilo lætior prouentus apparet; immo fructum omnem repreſſum exuſtumque videmus. Ideo minimè conuenit irritos atque inanes diſcedere nos ab argumento hoc; potiuſque inſiſtemus adhuc, atque annitemur cultu diligentiaque noſtra, vt maturæ virtutis frugem eliciamus. Atque primùm omnium id audite, quod antea dictum repetere iuuat, neque fruſtra erit. Aiebam, mutationes anni temporum perinde vtiles ad animi diſciplinam eſſe contemplantibus, atque ſolennia ipſa ſacrorum dierum varia vtilia ſunt. Aiebam item, Eccleſiam ipſam fungi quodammodo munere Oratoris, noſque à peccando abducere conari, nec interea profici quidquam. De Præſepio demum ipſo nonnulla miſcebamus à flumine Eloquentiæ Chryſoſtomo petita. Nunc via mihi calcanda eadem eſt, veſtigijſque inſiſtendum ijſdem, quæ mea lingua ſuperiore anno, et hoc ipſo die in hoc Eccleſiæ campo impreſſerat ac notarat. Dicemus igitur primùm quidem, nihil proficere improbos celebritate iſta, et renouatione ſolennium: ac de Præſepio deinde rurſus agetur. Verùm priùs demonſtranda ſimilitudo erit, qua ſolennia hæc referunt ipſas anni vices. Sunt igitur hæc inter ſe ſimillima, fratres, ſororeſque chariſſimæ, ſacri dies Eccleſiæ, et tempora viciſſitudineſque anni. Voluuntur iſta

in

Digitized by Google

in orbem, prout curſu et itinere Solis deſcriptæ circumaguntur, emulæ ſtellarum et Solis, et vitæ noſtræ ſodales. Sic Deus ipſe temperauit. Sed et remedio ſunt aduerſus ingentia mala, recreantque mirificè animum humanum, rectèque à viro ſapientiſſimo dictum eſt, tempora, et regiones magnorum malorum eſſe medicinam. Ad corporis certè valetudinem nullus vnquam medicus remedia efficaciora potuit excogitare, quàm quæ variatio iſta anni temporum affert. Nam illa renouati Cæli facies, et noua lux, temperatuſque calor, et aura vitalis quantopere ſuſtentat erigitque corpus, animumque ſimul? Quod verò ad voluptatem attinet, aduentus ipſe veris haud perinde gratus eſset, niſi glacies antegreſſa, rigorque hiemis gratiam venuſtatemque roſarum augeret. Id ipſum ſolennia ſacra præſtant. Veluti tempora, quæ conuerſione anni circumaguntur, afferunt nobis ſalutem, depelluntque animis morbos, qui inſanabiles videri poſſint; ſimulque ſerenant mentes, et iucunditate perfundunt, quæ alioqui tota abeſſet. Nunc plaudimus gratulamurque Saluatori: nunc ſocij doloris eius ſumus: nunc excipimus illius verba: nunc facta diuina vertimus ad exemplum. O ſacra tempora, ò viciſſitudines anni ſalutiferas, quibus et ſanamur et confirmamur! Sed miſer infelixque peccator iſta omnia perdit, cæ-

cuſque,

cuſque, et ſurdus, et emortuus pene agit vitam. Sunt peccatores ſimillimi Barbaris illis, qui ſilueſtria loca incolunt haud procul à Nilo, quà flumen ingenti ſonitu præcipites vndas agit, cunctaque in vicino ſtrepitu complet, ita vt accolæ, completis ſonitu illo auribus, planè obſurdeſcant; neque diſcrimen vllum norint ſilentij, et fragoris. Ita peccatores, dum Cæleſtium munerum imbres aſſiduè cadunt, obſurduere. Atque Cæleſtium horum fluminum imago in Apocalypſi eſt; Et audiui vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum. *Et alibi;* Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. *Et alibi etiam;* Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum ſimile cryſtallo. *Quæ viſiones fortaſſe deſignant munera Gratiæ diuinæ, quæ de Cælo mittuntur. Nec tamen interea ſtrepitum audis huiuſmodi aquarum, nec ratione ſolùm, ſed etiam ſenſu cares, durior marmore, cautibuſque; nimirum quia tuæ aures diu aſsueuere fragoribus illis abſque fructu vllo, tamquam vnus eorum, qui ſuperfluentis Nili receptacula accolunt. Attamen ſcito, fore olim cùm ſurdi quoque peccatores exaudire cogantur aquarum ſtrepitum, quæ diuinitus cadunt. Quid illi reſpondere poterunt æterno Iudici tunc, cùm exiget ille fructus inter*

Apoc. cap. 14. v. 2. Ibid. 22. v. 1. Ibid. cap. 4. v. 6.

repetita

repetita ſæpiùs ſolennia perceptos? Quid reſpondebimus voci illi, aduersùs quam nulla clauſa aures eſſe poterunt? Audite, filij, diuinum Apoſtolum vnà cum ſuis hæc repetita ſolennia, myſteriaque conſiderantem. Tanquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam. Veniam autem ad vos citò. *Et item*; Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam. *Tum illa*; Vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto Ieſu in me, per meum aduentum iterum ad vos. *Præterea*; Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. *Et alibi*; Timeo enim ne fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos. *O magnum Apoſtolum Paulum! O dignum laude, et admiratione Chriſti præconem! Reditus tui ſola commemoratione vocas ad timorem diſcipulos: minitabundus ais, propediem te eſſe venturum, haud aliter, quàm ſi aduentus tuus ſupplicio foret; tantaque tua auctoritas eſt, vt harum rerum auditione corrigantur mores, atque emendentur. Sed quid tandem Paulus ad Chriſtum? Nonne diſcipulus erat Paulus? Nonne humillimus quidem? Nonne ipſe cœnum ſordeſque Mundi ſe appellat? Quid igitur tandem ſtatuendum eſt, cogitandumve nobis de celebritate diei huius, quo die Saluatoris natales recolimus, quidve de celebritatibus alijs,*

1. ad Corin. cap. 4. u. 18.

2. ad Corin. cap. 2. u. 3.

Epiſt. ad Philip. cap. 1. u 26.

1. ad Timot. cap. 4. u. 13.

2 ad Corint. cap. 12. u. 20.

quibus

quibus Deus ipſe vltro ad nos deſcendit, cæleſtia munera portans ſecum, alloquioque, et monitis ſeuerè arguens nos, atque increpans? Neque tamen exiguus erit numerus eorum, qui, cùm Chriſtiani appellentur, ne vocabula quidem ipſa Chriſti ſolennium, quid ſibi velint, nouere. Nonnulli verò alij peritiores aliquantò myſteriorum diuinorum, tranſigunt hæc eadem tempora ſacraſque horas humana potius, quàm ſpiritualis lætitiæ iucunditate, nec fructum inde vllum reportant. Et quod anni tempus debuerat interea fructus afferre vberiores, meſſemque maiorem? Hæc ſolennia, quæ ſunt deſtinata Sanctorum honoribus, ſimillima ſunt motui aquarum Piſcinæ illius veteris, in quam delapſus Angelus diuina munera mortalibus impertiebat. Hora illa, temporiſque momentum illud, ſemper ſaluti miſeris erat, maiuſque certamen inter ipſos contingendi ſaluiferas aquas, quàm theſauros, opeſque aquirendi. Ecquis veſtrum paralytici illius nobili caſu, tabeque inueterata triginta octo annorum, non ſenſu aliquo miſericordiæ motus eſt? Quis non infeliciſſimum omnium credidit illum eſſe, qui fractus atque debilitatus vi morbi, iacebat humi, delapſis amicis, non corporis, animique compos, et vnico calamitatum concurſu viſendus? Tu Paralyticus ille es, qui inter ſolennia iſta eniti debueras, vt valetudinem recuperares:

Ioannis cap. 5. u. 4.

cuperares:

cuperares: tantòque deterior illo es, quia illi corporis tantummodo ſanitas deerat, tibi animæ quoque ſalus deeſt. Erat vtique nonnulla excuſatio illi, cùm abſque aliena ope in Piſcinam deſcendere non poſſet: te autem præter tuam ipſius voluntatem nihil moratur. Corporis morborum exitus ei mors erat: vita propagabat dolorem, æqualiſque vitæ ſtupor membrorum, et caro marcida erat. Tu verò, cùm vinculis æternis oneratus ſis, opertuſque culpis, nullum vnquam malorum exitum inuenturus es, niſi priùs culpas ipſe tuas emendaueris. Reliquum eſt, vt de Præſepio agam, ſicuti initio pollicitus ſum, nempe de cæleſti lectulo, ſtramentoque illo, delicijſque aculeatis, quæ in cæleſti diſciplina percipiuntur. In Canticorum opere ſuauiſſimo Sponſi decubitum ita Sponſa deſcribit. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: *At hoc tempore Sponſi lectulus nihil aliud eſt, quàm fœnum, lignaque, et ſarmenta, et extrema pauperies, ſtatioque inter iumenta. Quod licèt ita fuerit, non poterat tamen eo tempore inter humana domicilia reperiri ſtatio aptior, liberaliorque Saluatori excipiendo, quàm tugurium illud fuit. An horrori tibi ſunt hæc mea verba, vocemque pertimeſcis hanc? Audi, audi: ita timorem pelles, cumulatuſque iucunditate, rem vnam pertimeſces, nempe peccatum, non autem* Cantic.cap.2.n.6

id, de quo nunc loquimur. Quid ſi demonſtrauero tibi, Regias quoque domos, et apparatiſſimè inſtructa cubicula, et quodlibet eburneum, aureumve cubile infra Præſepium fuiſſe maieſtate ac dignitate, tanto accipiendo Regi. Omnia, quæ Gentibus olim fuere in quotidiano vſu, videbantur ſordibus earum Gentium profanoque contactu pollui atque contaminari; tabeſque et ingratus odor ſcelerum cuncta occuparat, delicias nempe, et commoda, et domos, veſtemque, et cubilia: nihil denique erat, vbi non ſpirans et viua peccati facies cerneretur. Sed quia culpas omnes odit atque abominatur Diuina Maieſtas, gratius ei Præſepe fuit, tamquam ab conſuetudine prauitateque mortalium longius ea ſedes abeſſet, quàm ſolia, tectaque Regum. Quiſquis liberaliter, et honeſtè, ſplendidèque educatus eſt, auerſatur atque odit ſordida et incondita cuncta, paupereſque munditias ampliſſimis ædibus antetulerit, quæ impuri aliquid præferant. Id Saluatori noſtro factum fuiſſe apparet. Regalia tecta, torique, et magnificæ ædes vniuerſæ contaminatæ erant, manabatque inde peſſimus odor. Ideo noluit ibi figere ſedem, et procul inde refugit. Non bos, non aſinus, non vile ſtramentum, non illius tugurij obſcuritas, ſed peccatum horrori fuit. Fortaſſeque etiam naſcendi ſedem procul à ſedibus domicilijſque

lijſque

liiſque hominum elegit ob eam cauſam, quia pauci in illa ætate iuſti erant, paßimque improbitas et malitia dominabatur, et quò longiùs ab omni culpæ contagione abeſſet, receſſerat procul à ſedibus multitudineque mortalium. Eſt in Naturæ rebus quædam diſſenſio et bellum, quo illæ inter ſe dißident; eaque diſſenſio ab occultis cauſis exorta vulgato nomine Antipathia vocatur. Hæc ita mouet afficitque animos, vt quidlibet ferre faciliùs poßint, quàm non reſiſtere illi non cognito hoſti. Ita Chriſtus oderat culpas, et nihil vnquam magis diuina mens illius auerſata eſt. In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. *Qui diuinæ mentis habitus, atque alienatio deſcripta eſt capite tertio decimo Deuteronomij ſub figura vrbis, quæ delenda ſit, propterea quòd exuerit abieceritque fidem.* Delebis eam, ac omnia quæ in illa ſunt, vſquè ad pecora. Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus: non ædificabitur ampliùs, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua. *Atque intelligere poteſtis hinc, Mediolanenſes, quantopere vitarentur omnia, quæ veſtigium aliquod culpæ præferrent, quantaque cura opprimerentur illa, atque extinguerentur.*

1. Ioan. cap. 3. u. 8.

Deuter. cap. 13. u. 15. & ſeq.

Amemus, fratres chariſſimi, Præſepe, quoniam Chriſtus id amauit. Contemnamus faſtum, et luxum, et voluptates omnes, ſolatiaque carnis, quoniam Chriſtus ea contempſit. Soliciti expeditique ſimus in id, vt deſcendamus in fontem piſcinamque diuinorum munerum, Angelo deſuper adueniente, hoc eſt Filio Dei, momentaque noſtræ ſalutis et tempus opportunum agnoſcamus, indeque ad luminis diuini adſpectum oculi noſtri maturè aperiantur.

ADVERSVS DELICIAS.

CONCIO VII.

DEVS natus eſt: ecquis, hoc audito verbo, non ſummopere admiretur? Deſcendit in terras Deus: ecquis non geſtiat atque exultet? Deus obtulit ſe nobis: ecquas pro tanta rei munere gratias agere poſſimus? Ab huius diei celebritate magnoque ſolenni die, cætera omnia ſolennia, feſtique dies originem duxere: hic fons, hoc veluti mare eſt, vnde flumina celebritatum manant varièque deriuantur. Ideo ſacrum hunc diem, rectè dixerim, metropolim eſſe ſolennium aliorum dierum. Atque ſi reſpiciamus id, quod hodie fit patraturque diuinitus, planè dicendum eſt, mira-

miraculorum omnium maximum maximèque mirum eſſe iſtud, quòd Deus homo factus ſit. Ac ſicuti fons hic myſteriorum eſt, ſcientiarumque ſacrarum, et materies hæc vberrima contemplantibus: ita Chriſti humanitas caroque aſſumpta norma eſt et diſciplina, caſtigatioque et cenſura morum noſtrorum. Eius adſpectu mala noſtra depelluntur, haud aliter, quàm quomodo mirificus adſpectus anei ſerpentis, vago per ſolitudines Hebræorum generi remedium aduersùs venena morſuſque ſerpentum aliorum erat, ſimul atque oculos illuc fixiſſent. Ita legitur in ſacris Litteris; Qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. *Inſuperque ex Sancti Bernardi pia meditatione dici poteſt, Chriſti carnem documentum eſſe nobis refugiendi procul ab omni vana voluptate, carnemque eam diuinam efficaciùs præſentiùſque inuitare animos ad corpora maceranda, poſteaquam Diuinitati iuncta eſt, quàm ipſa per ſe Diuinitas in idipſum hortabatur nos atque ſtimulabat.* Hoc tibi prædicat ſtabulum iſtud, hoc præſepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeſtè loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus euangelizant. *Atque ideo, ſi hodie nonnulla ego aduersùs delicias voluptateſque et oblectamenta ſenſuum egero, credam ſimul actum eſſe de Saluatoris exortu, miraculaque diuini natalis ſimul celebrata*

Num. cap. 21. n. 8.

Bernard. Serm 3. de Nat. Dom.

celebrata eſſe, nec parum hoc genere orationis ad animi veſtri diſciplinam eſſe profectum. Incredibile eſt, quantum corporis ſenſuumque voluptates animo officiant, guſtumque virtutis corrumpant, auditores. Ait enim Clemens Alexandrinus, amara quæque facere medicinam, morboſque depellere, et languentem ſtomachum acribus medicamentis excitari; contra verò dulcibus affici, magiſque debilitari. Inficiunt oblectamenta animam, quæ, tanquam ſpeculum, earum habitu offuſcatur, ſemperque cura deliciarum prauos habitus inuehunt. His anima obſcuratur, ſicuti ait Baſilius, hebetaturque ita, vt diuini luminis radios excipere nequeat. Hinc reſponſum peti poteſt aduersùs eos, qui efficere ſe poſſe volunt, probarique poſſe putant, voluptatibus deliciiſque multis abeſse culpam. Non culpa abeſt, quia panditur inde via ad peccandum. Imperatores exercituum non ſatis habent in ipſo pugnæ procinctu medioque ardore regere ſuos milites: ſed id priùs agunt, vt dicto obedientes habeant paratoſque ad nutum: aſsuefaciunt diu illos imperio, firmantque animos eorum, et rerum omnium patientia durant. Alioqui in ipſo diſcrimine pugnæ, cùm manu, cùm obſequio opus eſt, imperia apud illos obtinere non poſsent. Ita Deus inter ſuas leges militari quadam diſciplina temperare animos videtur.

Clem. Alexan in Protrep.

Baſil. Epiſt. 64.

Exercet ille ſuos milites curſu et ſaltu, haſtaque et palo; frigora, famemque, et æſtum, et incommoda alia ſuſtinere docet. Atque ideo ſegnes ad ſpiritus diſciplinam hebeteſque animos diuinus Prouerbiorum Auctor ita deſcribit. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. *Neque tamen ob id vitabundus incommoda cuncta quiſpiam ea effugiet, voluptateſque adipiſcetur. Nam quiſquis es virtutis, laborumque contemptor, vtcumque tamen ad miſerias et incommoda redigere, quæ gignit otium, quæve naſcuntur è vitijs. Refugerat miſer ille ab aratro, vim frigoris timens, et intra breue ſpatium, egeſtate, quam vitare voluerat, circumuenitur. Hoc loco ſunt delicijs opponendæ deliciæ, ærumnæque ærumnis. Nonne ſatius fuerat algere parumper, quàm pauperie æterna conflictari? Hæc ſunt fœnora permutationeſque peccantium, qui infelici ſuo commercio, nundiniſque inſanis non moleſtias voluptate mutant; ſed à minoribus ad maiora incommoda tranſgrediuntur, quæ deinde adepti, infeliciores in ſingula momenta fiunt. Sunt autem deliciæ pauperum etiam, non eorum tantummodo, qui diuites appellantur, ſæpèque etiam miſerrimi vltimique iſti venenum id bibunt, prout iura ſucceſſionis et ſtirpis; nam illa primi loci dignitas modica lenti venundata fuit.*

Prou.cap.20.u.4

Vos

Vos verò pauperes (non omnes appello) vili pretio venditatis animas, hereditatemque gloriæ interdum abdomini poſthabetis, proijcitiſque parua ſtipe decepti, quam diuites tyranni animarum, et veſtri occulti capitaliſſimi hoſtes obtulere. Pauperes, diuites, nobiles, obſcuri, quicumque eſtis, reſpicite hodie Chriſti exemplum, qui ſanctæ, auſteriorisque vitæ effigiem refert. Nam, ſicuti ſubtili meditatione pietas inclyta Bernardi diſſerit, infantes cæteri, cùm in lucem prodeunt, non deſtinant ipſi naſcendi locum, et tempus, et incommoda cætera, quibus ſtipati vitam ingrediantur; ſed Saluator cuncta proſpexit, elegitque, et vltro ſibi aſſumpſit. Quanti autem erunt incommoda, et dolores, quos æterna ſapientia vltro amplexa eſt? Non eſt tale iudicium Mundi, *ſubdit Bernardus*, aut iſte fallitur, aut Mundus errat. *Videſne ſqualorem antri? Sentis horrida noctis frigus, et aculeos aſperitatemque fœni? Lapideum tibi, aneumque pectus eſt, niſi iſta ſentis. Homines verò ſancti, quibus cura fuit, vt Deo placerent, dum magiſtri veſtigia ſequũtur, quas pœnas moleſtiaſque non pertulere? Quomodo vnquam veſtri diſſoluti mores ad eorum inſtituta conuenire poterunt? Poſt exhauſtos inter agreſtia opera meſſemque labores, dicitur ei, quæ ſub flagrantiſſimo Sole per totum diem colligendo ſpicas, fatigata erat;* Intinge bu-

Bernardus ſerm. 3. de Nat. Dom.

Ruth cap. 2. n. 14

ge buccellam tuam in aceto. Videſne opiparam hanc cœnam apparatumque conuiuium, et ſolennes epulas? Ita cœleſtis ille Dominus operis et meſſis charißimos ſibi quoſque ad quietem vocat, poſtquam vitæ laboribus fatigati ſuccubuerunt. Triples ſtruit illis menſas, tenuemque cibum afferri, accubuere: atque ita diuinus ille Apoſtolus, qui de ſe ita ſcribit: Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Si igitur diuini homines Chriſtum imitando ducem magiſtrumque ſuum, delicias omnes, quibus digniſſimi erant, aſpernantur: quid tandem peccatores facere debebunt, qui pœnis omnibus coercendi eſſent? His nullus relinquitur locus oblectamenta promerendi, quoniam ita vixerunt, vt iam ſententia in eos lata ſit, ſupplicia pœnaſque meruiſſe.

[illegible]

Act.cap.20.u.34.

QVI TITVLVS ET INSCRIPTIO *Præſepij eſſe debeat.*

CONCIO VIII.

Et reclinauit eum in Præſepio. *Hæc ſunt palatia, Mediolanenſes: hæc aula Regis: hæc ara, templumque eſt. Inter longa itinera, laborioſaſque peregrinationes Apoſtoli illius, qui lingua veritatis, et*

Lucæ cap.2.u.7.

Euangelij præco fuit, legimus, ipſum, cùm Athenas aliquando veniſſet, vidiſſe ibi Aram, Ignoto Deo, *ſicuti titulus erat, poſitam atque dicatam. Inde Apoſtolus inſtitit arguere vecordes illos, atque demonſtrare, non diuini aliquid, ſed rem fictam et Dæmonum arte aſſimulatam colere ipſos atque adorare. Enimuero, dum intueor hodie Templum, Aramque Bethlehemiticam, hoc eſt, obſcurum antrum et Præſepe, non ſanè explicare poſſe videor, qui potiſſimùm titulus inſcribendus ei eſſet; atque verùmne Deus hic huius horæ momento appellari debeat, Numenque ignotum, an notum potius. Minimè dubium eſt, auditores, quin, ſi reſpiciamus tantummodo Diuinitatem illam, quæ procul ab oculorum noſtrorum acie ſenſuque remotiſſima eſt, facilè poßit excogitari ac reperiri titulus Altari Temploque huic maximè conueniens. Namque Deus natura vna eſt, quæ ſicuti ab omni noſtra conſuetudine longè diſcedit, ita captum etiam et ſenſum humanæ mentis longiſſimè ſuperat; ratioque operum eius occultiſſima, et ſenſilium rerum denſiſſimis velis inuoluta manifeſtatur. Quòd ſi in maximis tantummodò rebus manifeſtaretur ſuprema illa poteſtas et potentia infinita, facilius multò cognoſci ac perſpici poſſet; ſed in minimis quoque rebus humillimiſque et abiectis ea manifeſtatur. Præterea, non in proximis*

Act. cap. 17. n. 23.

ximis tantùm, ſed in remotis etiam, ſicuti in Maris fundo, verticibuſque montium, et terræ viſceribus, veluti clandeſtina illa vis apparet atque lucet. Ac ſi locus vnquam tempuſve vllum fuit, quo tempore, et loco Diuinitas ea lateret ſimul, et cerneretur, id hodie tempus, idque myſterium eſt. Vbi enim ſapientiam eſſe dicas, dum Infans cernitur? Vbi prouidentiam, dum Puerpera ſimul, et Partus, et circumiecta omnia paupertate rigent, ſuntque plena anguſtiarum? Vbi Æternitas, dum prodit ab muliebri verè vtero? Atque ita ſi nihil ampliùs, vlteriuſque conſideretur, videtur addi poſſe Templo Aræque huic par Athenienſiũ inſcriptioni titulus; Ignoto Deo, Ignoto Deo. *Sed non in partem tantummodo vnam intentos nobis eſſe oculos oportet, verùm etiam in partem alteram, quæ contraria huic et oppoſita ſit; ibique videbimus verioris tituli rationem, qui litteris aureis ad Præſepij frontem figi ponique debeat. Ponendus ergo titulus;* Ara notiſſimo Deo. *Neque ampliùs caliginem et nebulam Templi, Sinaique montis intueri debemus, dubiamque lucem, et fulgura intermicantia tenebris, confuſoſque Cæli fragores audire: ſed conſtans hæc et perpetua lux eſt, domuſque Solis hæc, Cælumque ſerenum, et pro horrendo caleſti ſonitu, lenes Puerulivagitus ex pro-* 3. Reg. cap. 8. u. 10. Exod. cap. 19. u. 16.

pinquo audiuntur: Atque ad myſterij claritatem nunquam ante diem hunc audita ſunt huiuſmodi verba. Baruch. cap. 3. ue 38. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Et in Catholica Eccleſia, totoque orbe Chriſtiano vox illa ingens auditur;* Et Verbum caro factum eſt. Et Homo factus eſt. *Simplicitatique Paſtorum prompta adoratio eſt; notitiamque Numinis, quam nullæ Philoſophantium ſcholæ aſſecutæ ſunt, mirificè Paſtores ipſi comprehenderunt. Ac planè nos propriè, et verè ita loqui poſſumus. Cernitur nunc Deus: ſuſpirat vagitque: corpus illi verum, et ratio, animaque, et ſenſus, et alia mortalium in ipſo cernuntur. Iam bonitas æterni Paſtoris quando vnquam clarior, euidentiorque ſpectata eſt, quàm hodie, dum ſe totum impertit communicatque nobis? Quando vnquam miſericordiæ monumenta illuſtriora data ſunt, quàm dum ſalutis noſtræ opus, non aliâ, quàm ſui ipſius mercede patrauit? Quando vnquam altiora miracula prouidentiæ extiterunt, quàm dum extremis Mundi neceſſitatibus ac ruinis diuinitus ita ſubuentum, prouiſumque eſt? Quin etiam ea ipſa res, quæ tenebras offundere videtur, lucem ſplendoremque affert. Atque id illuſtri exemplo demonſtraturus ſum. Iubar ampliſſimum Solis nouit uniuerſa mortalitas, pariterque admiratur atque vene-*

veneratur etiam. Attamen perpetua illa vſura lucis, perpetuuſque fructus beneficiorum et munerum, quæ Sol impertit terris, in cauſa eſt, cur vix vnquam; eius adſpiciendi cauſa, tollamus oculos, et velut ingrati in eo ſimus. Verumenimverò, ſi defectu eclypſive alta obſcurari Cælum contingat, langueſcatque Sidus, quàm multi per compita, per fora, ex turribus quoque excelſis proſpiciunt nouum illum cæleſtem caſum, et quàm oculorum ſuorum quiſque lumine in id naturæ arcanum intentus ſoliciuſque eſt? Tunc vtique obſcuratum ex parte Sidus admiramur, cuius pleno ſplendore parum antea mouebamur. Idipſum in hodierno Saluatoris exortu fit, auditores. Verbum Diuinum lux ea eſt, quæ, ſi magnitudinem copiamque ſplendoris, nempe Diuinitatem intueamur, non perinde conuertit in ſe mortalium oculos, quàm tunc, cùm interpoſitu mortalitatis obſcurata eſt; quæ ſcilicet mortalitas, et humana caro, corpuſque concretum, ad inſtar denſiſſimi veli, lucem illam quodammodo obſcurauit. Maneat igitur fixumque ſit, non alium huic Altari, Præſepioque titulum conuenire, quàm vt ita inſcribatur; Ara notiſſimo Deo. *Non hîc ampliùs Sinai montem denſa nebula intexit: ſed Dei Filius poſitus humi cernitur, corpuſque eius in Præſepio collocatum: Paſtores ipſi cæleſtem Partum agnoſcunt:*

cunt: bonitas hìc, et alta prouidentia, ſummaque miſericordia Numinis apparet; et ſuper omnia, Sapientia infinita lumen micat. Hic locus, hoc myſterium eſt, de quo verè illa dici poßint. Prou. cap. 1. v. 20 Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam: In capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: Vſquequo paruuli diligitis infantiam? *En peccatores infantes viribus, et virtute, ſapientiaque, adſpicite ſapientiam, quæ deſcendit in terras. Præſepe forum celeberrimum, campuſque ampliſſimus eſt, in quo reſonant voces, quibus erudimur. Sapientia hæc concionatur teneritudine ætatis, vt ames: concionatur ærumnis incommodiſque, vt à delicijs et luxu libenter refugias: tremuli corporis rigore concionatur, vt flamma amoris ardeat tibi pectus in eum, qui tua cauſa pene conglaciauit. Parum hoc eſt, quod à me dicitur.* Sapientia foris prædicat. *Situs, et locus, et circumiecta cuncta concionantur ingenti voce. Aſperitas duritieſque fœni damnat delicatam veſtem habituſque molles: palea lubricum humanarum rerum proponunt, et inania ſæculi repræſentant: iumenta miſerum ſtatum humani animi, poſtquam labes ſuſcepta peccati eſt. Audiamus itaque concionantem hodiè ſapientiam: audiamus varias diuerſaſque et mirificas voces, quæ prodeunt ab ara*

Præ-

Præſepij; adoremuſque illum, cui nomen hodie conuenit hoc, ut notus ſimul, ignotuſque Deus appelletur.

DE SPLENDORIBVS OBSCVRI Bethlehemitici Antri.

CONCIO IX.

VERBVM *natum eſt, rudique etiam et rauca mea hac voce id laudari, ius faſque eſt.* Et venerunt feſtinantes, *feliciſſimi Paſtores*, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio: *Vbi nunc thronus, et regale ſolium, vbi frequens aula Principumque conſeſſus, et corona nobilium? Vbi Palatia, marmoraque, et columnæ? Vbi cohortes militum, et arma inſignia, ſtrepituſque militaris? Vbi multiiuges equi, curruſque triumphales? Vbi fabrefacta veſtis, purpuraque et biſſus, deliciæque? Sic Chryſoſtomi lingua cæleſtis, eloquentiaque illa diuini Spiritus; ſic inclyta pietate Bernardus de ea re dixere. Sed neſcio ego, an tanta admiratione digna iſta ſint, quanta fortaſſe videntur. Non eget Rex gloriæ ſplendore humano; neque ſplendorem Solis vlla addita ornamenta augere poſſunt: neque, quia ſolitarius ille fertur, ideo minus pulchritudinis*

Luc. cap. 2. n. 16

Chryſ. Hom 2. in Mat. affiƈto nomine.

Bern Serm. 2. de Epiph.

dinis

dinis maieſtatiſque habet. Maximus nobiliſſimuſque Prophetarum, idemque populi Dux erat Moyſes; atque cum Sinai montem ille conſcendit, nullo ſecum aſſumpto comite, ibat; agminaque et ingentes illæ copiæ Hebræorum ad montis radices relictæ conſtiterunt. An igitur quia in montem aſperi aſcenſus ſolus ita euaſerat, ideo vilior genti ſuæ inhonoratiorque fuit? Ita æternus Dei Filius, Saluatorque noſter licet ab celſiſſima Cæli parte in obſcuram hanc depreſſamque vallem deſcenderit abſque ullo comitatu, qui oculis cerni poſſet, atque cum ea ſolitudine, et ſqualore inter mortales agat, tantique Regis aula comitatuſque omnis intra duo deſerta et omnium rerum indiga capita, Mariam, et Ioſephum conſiſtat, non ideo de ſuprema illius maieſtate detractum quidquam videri debet. Quin potius nos inſiſtendo meditamentis atque cogitationibus ſanctorum Patrum, de ea re ita ſtatuere ac definire poſſumus, mirum ac plane diuinum hoc fuiſſe, quod in media ſolitudine et ſqualore antri conſpiceretur Infans, qui Deus utique erat. Dixerat de ſe Salomon ſubmiſſa elatione, ſeſeque modeſta extollens mortales ſuos ſimul et deplorans miſeram naſcendi ſortem. Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis hominibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figu-

Sap. cap. 7 u. 1. & ſeq.

ratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente. Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans: In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. *Quomodo autem, ſapientiſſime Regum, in hanc lucem prodire poteras, nutririque et adoleſcere via origineque alia, quàm ea, qua natus es? Nonne communis iſta ſors eſt conditioque naſcendi? Nonne lex iſta complectitur genus omne mortalium? Nonne tu pariter teneris hac lege? An quia Rex diceris, ideo non homo es? Poteſt ne id cuiquam eſſe dubium, vt humanæ procreationis viam narrari ita ſubtiliter exponique neceſſe ſit? Cur igitur rem adeo manifeſtam et in communi luce poſitam exequeris ita ſedulò, ſeriemque et ordinem ita contexis? Quantò iuſtius, aptiuſque fuerit, dum Verbum æternum in Præſepio collocatum fuiſſe narramus, multa verba in idipſum, et longo effata carmine afferri, obſtupeſcereque admiratione talia narrantes. Sanè illud circa Bethlehemitica antra mirum fuit, quòd citato gradu Paſtores iere, vt viſerent priùs, deinde verò etiam adorarent eum, de quo nullam*

I audi-

auditionem aliam acceperant, niſi quòd reſonantes diuini nominis ſono auræ pulſarant aures. Vos planè admiror, Paſtores, moribuſque veſtris multus apud meum animum honos, et multa reuerentia eſt. Veſtrane duræ pectora, rudeſque animi tam facilè, et tam citò cæleſtem diſciplinam accipere potuerunt? Quin etiam non ſolum accurrêre repentè iſti illuc, vbi lux diuina ſedebat, ſed magiſtri gentium facti, ſtatim eandem mortalibus cæteris impertire ſtuduerunt. Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. *Quàm porrò illuſtre monumentum fidei eorum hoc fuit? Immo, quanti facere vnuſquiſque debet quodlibet noſtræ Chriſtianæ fidei opus pro illius confirmatione ſuſceptum? Thomas Apoſtolus ille fuerat, qui, per omnia loca diu Magiſtrum aſſectando, nutus omnes illius præceptaque omnia religioſiſſimè exequebatur. Miracula viderat multa et diuerſa, redemptioniſque myſteriorum peritus idem erat: attamen, cùm in Apoſtolorum et Diſcipulorum frequenti conuentu vna omnium voce dici ita audiret,* Vidimus Dominum, *contumax aduersùs eius teſtimonij fidem eſſe potuit; idque factum eſt haud aliam ob cauſam, quàm ob rei magnitudinem, difficultatemque virtutis, quæ in credendo poſita eſt. Porrò, ſicuti*

Lucæ cap. 2. u. 18.

ſicuti fuit fides admiranda Paſtorum: ita Ioſeph ante illos virtute eadem fuit, penes quem primordia myſterij Incarnationis data ſunt, primuſque ille Hebræorum omnium concepti et nati Saluatoris fidem accepit. Veterem alterum Ioſephum fama ingens ſecuta eſt, quia per nocturnas ſpecies viſa quadam interpretari potuiſſet; eaque res tanto honori et commodo illi fuit. At iſti non ſomnia, ſed myſteria; non frugum vbertatem, ſed cæleſtes diuinoſque prouentus ante alios omnes præſenſere. Nunc de vltimo miraculo, nempe Maria, dicendum eſt, quæ locis ſanè omnibus fuit ipſa miraculum, ſed intra ſpecum antrumque illud, nouo et inuſitato ſplendore micabat. Edito in lucem ſuo partu, quis cogitando aſſequi poteſt, qui fuerint ſenſus, motuſque illius, qui ardor animi, habituſque mentis, quid optauerit, quid poſtulauerit, quidve etiam impetrarit? Credere debemus, totam in eo fuiſſe, vt cæleſtis gloriæ Regi profunda ſubmiſſione inſeruiret, nutriretque ſuo lacte membra, quæ pars ſui, non alieni corporis, erant. Mater igitur vna Deum paſcit, paſcitur verè Deus, et lac verè illud, vtraque Mater, et verus ille Filius eſt. Nolim ego nunc in eum ſermonem ingredi, vt dicam, maiora Cæleſtia dona videri obtigiſſe olim veteri Hebræorum populo, honoribuſque amplioribus eum fuiſſe Geneſ. cap. 41. u. 41.

nobilitatum. Oblatus ei populo cibus, panis Angelorum, paniſque Cæli appellatus fuit; mannaque illud non terreſtre lac, ſed Cæleſte erat; ac de lacte, quod in terris nutriendo Saluatori fuit, Iſaia cap. 7. v. 15. *ita legimus*; Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. *Quaſi vaticinaretur in hunc modum Iſaias. Aletur Puer, nutrieturque cibis, qualibus cæteri infantes veſcuntur. Liquorem lactis hauriet, reſpuetque amara cuncta, et dulcia ſectabitur: non illi, ſicut Hebræis, inuſitati mirabileſque cibi famam conciliabunt. Mirificus ei cibus erit, ſi cauſa ratioque ſpectetur, non autem ſi effectus, et natura eiuſdem. Hæc ſunt decora, hæc miracula, ſplendoreſque diuini, quibus humilis et obſcura Bethlehemitica ſpelunca micat, illa ſcilicet tam cupidè quæſita à Paſtoribus, vbi Mariam, et Ioſephum, infantemque Ieſum repererunt. Nos verò ſoli erimus, qui ab eadem vetere diuina ſpelunca recedamus inanes, et fructum nullum inde reportemus? Paſtores cuncta occupabunt, incolæ ſiluarum et nemorum, ignobiles atque obſcuri? Camporum ſpatia, et ſiluæ, et arida montium cacumina tanto cumulo bonorum fruentur? Vrbes autem, cultuſque ciuilis, et nobilitas ipſa extra ſortem bonorum eiuſmodi erit? Atque poſſum hodie ego vnumquemque veſtrum ita percunctari. Quid*

tandem

tandem viri nobiles inter Chriſti ſolennia celebritateſque reperiſtis? An ludos et iocos, an conuenticula obtrectatorum, nouas conuiuales leges, irritamenta palati, ſaporeſque peregrinos? Neque iſta tamen velut in contumeliam nobilitatis iactata accipiantur. Numquam enim ego credidi, veram nobilitatem, et huiuſmodi luxum ac vitæ formam in vna ſede poſſe morari. Non igitur nobilium hæc nota eſt, ſed plebeiorum potiùs, qui diuitiarum fortaſſe licentia, veſtem habitumque nobilitatis ſumpſere interdum. Præterea, quid reperietis hodie, peccatores? Lacrymaſne, et pænitentiæ fructum, an verò bacchanalia, et ludicra, et laſciuiarum apparatus? Neque ſuccurret vnquam vos eſſe illos, quorum ſcelera Chriſtum è Cælo euocauere, vt Bethlehemitica antra ſubiret, moraretur que vobiſcum? Pauperes, et mendici, quid hodie reperietis? Paupertatis honos, qui antea interceptus eſſe videbatur, nitet, exortuſque Saluatoris veluti ſolenne paupertatis eſt, quæ ipſa diuinis rebus nuſquam tantopere appropinquare auſa eſt, quantùm hodie appropinquat. Vos denique iuſti quid reperire potuiſtis? Veſtros honores in Maria, et Ioſepho nonnulla ſimilitudine adumbratos agnoſcite. Innocentiæ quoque, et virtuti, et ſanctis hominum factis plus honoris, quàm Angelis ipſis, hodie habetur, plauſuſque datur

illis

Lucæ cap.2.u.14 *illis in hæc verba :* Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Et tamquam Principes ipſi terrarum eſſent, Beati Spiritus è Cælo eos alloquuntur. Neque facere poſſum hoc loco, pauperes, voſque, qui præcipui Dei ſerui eſtis, quin gratuler vobis. Exultate, et geſtite omnes: veſter hic natalis dies eſt: hodie triumphat paupertas. Deſerta palatia Regum, deſerti diuites, qui in nullam pulcherrimi huius diei partem venitis. Non ſpirant viuuntque peccatores in terris: horum nulla inter Angelos ratio habetur. O mortalium gloriam inanem! Habete vobiſcum pacem hanc, pij homines, quæ vobis è Cælo aſſertur: habete fructus operum veſtrorum honeſtos atque iucundos: neque paupertatis vim timete, dum inenarrabiles diuitiæ Paradiſi vos manent, vobiſque apparantur.*

QVOMODO CHRISTI NATALIS cum S. Caroli Canonizatione conueniat.

CONCIO X.

Pſal 71.u.18. BENEDICTVS Dominus qui facit mirabilia ſolus: Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra. *videoque vos et læta fronte, et clara, vna-*

que

que voce paratos eſſe reſpondere, Fiat; fiat. *Nunc demum rite conſecratum, dicatumque Numini* [A]*Tabernaculũ eſt, quod Spiritus* [B]*Arca fuerat olim. Nunc aureum* [C]*Altare ſtat gemmis, et auro, ſolitoque magis ab cæleſti* [D]*Candelabro flamma diffunditur. Nunc Dei* [E]*Templum conſtructum abſolutumque eſt, et ſumma populi chriſtiani gratulatione dicatum. Ideo*, Benedictus Dominus, qui facit mirabilia ſolus. *Atque fauſtum, felixque nomen eius ſit, quo infinita eius magnitudo repræſentatur: terraque omnes plaudent gloriæ magnitudinique eius; voſque lætitiæ voce reſpondebitis*, Fiat; fiat. *Quanta perfuſus eſt lætitia Ioſephus tunc, cùm fratres inhumani, ſtimulante fame, profecti ad eum, de ſene patre læta omnia nunciauerunt? Percunctabatur ille ſæpius de incolumitate ſenis, neque percunctando fatigari poterat; atque quò certiora acceperat, eò curioſius adhuc interrogando exequebatur: Viuitne, aiebat ille, ſenex pater? Cùmque illi viuere affirmaſſent, iterum tamen, ac tertiò interrogabat, an viueret. O vincula amoris, quem inter patrẽ, et filios natura conciliauit! Haud aliter videor ego vos audire interrogantes, et ex me quærentes id ipſum, quod alij ſuper alios nuntij iam confirmauere vobis, et de quo minimè dubitare poteſtis. Viuitne Parens noſter? Viuit noſter, veſterque*

[A] Exodi cap. 39. u. 32

[B] 2. Petri, cap. 2. u. 14.

[C] Exod. cap. 40. u. 5.

[D] Ibidem u 4.

[E] Eſdræ cap. 6. u 16 & 3. Reg. cap. 8. u. 63.

Geneſis cap. 43. u. 27. & 28 & cap 44. u. 17. 18. 19. 20. & cap. 45 u. 3.

veſterque Parens? Reſpondeo ego vniuerſis, ſoluta in gaudium voce. Viuit Parens noſter, Mediolanenſes; nec viuit ſolùm, ſed gloria quoque cumulatus in Cælo, Terriſque viuit. Viuit in Terris, nempe in Chriſti fidelium animis, et apud Barbaros quoque viuit, cùm etiam illic memoria viri celebretur. Viuit per hominum ora, quia extollitur laudibus, et admiratione omnium. Viuit per Templa, ſacrataſque Ædes, quia non iam obſcura, et ſubmiſſa voce, ſed claro multiplicique concentu reſonant eius laudes, nouaque paſſim aræ, et moles noua Templorum ei ponuntur, atque adornantur. Illaque iam ſatura triumphorùm, et nihil iam admirans Roma, nunc maximè admiratur. Viuit etiam in Cælo, nec de eo genere vitæ vltra ambigitur; ſpeſque piorum exitu comprobatæ ceſſere in ſtabilem, conſtantiſſimamque fidem. Iam certò ſcimus, in libro vitæ Agni deſcriptum eſſe eius nomẽ, et in gaudia Paradiſi receptum ipſum, ſtare illic in veſte candida, et gloriæ ſempiternæ latices haurire, palmamque tenere manu. Ideo, Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus, *quippecum Terras, Cælumque magnitudinis et gloriæ ſuæ compleuerit. Sed maiore lumine lumen flammamque minorem offundi, atque obſcurari par eſt, laudeſque conticeſcere humanas ſuperueniente admiratione Dei myſte-*

myſteriorum, hoc eſt Verbi Incarnationis. Quomodo autem hæc duo tantopere inter ſe diuerſa argumenta conuenire, atque conſociari poſſunt? Id tamen minus incredibile, minuſque arduum erit, quàm fortaſſe aliqui opinantur. Natalis namque Saluatoris fuit Sanctorum verè natalis; tuncque ipſi verè prodiere in lucem, cùm ex hac vita migrarunt, vitamque ipſi inchoauere morte, non exortu vtique illo, quo viuere cœperunt. Eaque ſcilicet cauſa eſt, vt Eccleſiæ ritibus fere celebretur vltimus eorum dies, non autem vitæ primus. In lucem igitur, vitamque prodiere Sancti, cùm Chriſtus naſceretur, non Mundo, ſed Cælo naſcentes. Hinc exempla vitæ, hinc merita hinc vim excellentiamque virtutum duxere. Niſi diuina hæc vita Mundum intraſſet, numquam ipſi nati eſſent. Ac ſicuti Sole contineri vitam naturæ rerùm, corporumque omnium videmus, quæ motu eius pariter mouentur: ita in altero hoc diuino Sole omnis cæleſtis vita ſpirituſque vitalis incluſa continetur. Vnde enim credimus, Paſtorem noſtrum deſumpſiſſe diſciplinam, aſperitatemque vigiliarum, et cilicia, et itinerum labores? A Præſepio deſumpſit. Fœnum, et paleæ ſuis aculeis tenero Saluatoris corpori inſultantes, monſtrauere ciliciorum ingenia Sanctis: rigorque noctis illius molliuit eis pruinas, glaciemque et hiemem:

K

mem : et infantis vnius peregrinatione pariter exilia lenita fuere. Etiam dici poteſt, Sanctorum vitam eſſe beatam illorum mortem, eoſque moriendo naſci haud ferme aliter, quàm ſicuti Sol in parte vna præceps ad occaſum, ſimiliſque morienti, ab altera parte renaſcitur, gloriæ, ſplendoriſque plenus, contra quàm rationis ignari opinantur. Tunc quidem miſeri nos tenebris, et nocti relinquimur, gentes verò aliæ, quibus ille exoritur, gaudia lucis incolunt. Quin etiam magnus ille, ſed infelix, Origenes ait numquam fere in ſacris Litteris celebrari Sancti illius natalem, ſed eorum tantummodo celebrari, qui prauè impurèque vixerunt. Ita et in Geneſi Pharaonis, et Herodis in Euangelio natalem eſſe deſcriptum.

Origen. Hom. 8. in Leu. cap. 12.
Gen. cap. 40 u. 20
Marci cap. 6. u. 21.

Ait præterea idem, primum noſtræ vitæ diem infamem eſſe, atque deteſtandum ob natiuæ culpæ labem, quæ ſingulos ab origine comitatur, eiuſque culpæ cauſa ita legitur; Pereat dies, in qua natus ſum. *Ait præterea, vetere Gentium ritu fuiſſe inſtitutum, vt primus vitæ dies lætitia, et gratulatione celebraretur, proptereaquòd vnicam illi vitam agnoſcerent: verùm nos, morte ſuperueniente, meritò lætamur, quia malis ærumniſque noſtris ea finem imponit. Non extinguuntur qui ſanctè vixerunt tunc, cùm extingui et diem ſuum obire videntur, migrantque potiùs illuc,*

Iob, cap. 3. u. 2.
Origen. lib. 2. in Iob afficto nomine.

vnde

vnde auxilium, et opem implorantibus nobis ferre poſſint. Quod cum ita ſit, ſi mihi in huius horæ momento profitendum publicè exponendumque eſſet id, quod caput et ſumma votorum meorum eſt, ad populum hunc vniuerſum, qui tam attentas orationi meæ aures præbet, hoc vnum ingenuè ſincerèque profiterer. Optare me ſcilicet, ne mortalis hæc vita initium adituſque morti eſſet, vtque noſtra mors eſſet vitæ principium. Hæc poteſt eſſe ſumma Chriſtiani animi votorum, breuique ita compendio optabilia cuncta comprehendere poſſe videmur. Ne vita mors fiat, vtque mors tibi vita ſit, hæc duo ſunt, quæ optare vnuſquiſque debet. Optandum tibi inquam, eſt, ne in primordio vitæ, atque in ipſo flore ætatis incipias perimi tabe cupidinum malarum tabeque vitiorum; vt ſcilicet, eo remoto veneno, tunc cum ex huius vitæ ſtatione decedendum tibi erit, vitam alteram ingrediare, quæ propriè vitalis erit. Quòd ſi et moriendi, et viuendi viam hanc, diſciplinamque tenuerimus, et vitam, et mortem ſancti noſtri Parentis ſalutifera imitatione ſequemur. Non planè negauerim, quin grata fuerit nobis ea, quæ piè honeſtèque gratulabundi inſtituiſtis ad lætitiam tantæ rei publicè celebrandam: ſed nego, geſtientis lætitiæ ſigna, riſuſque effuſos tunc poſſe placere, cum ob admiſſas culpas, luc-

tus, et ſqualor animum occupare debet. Voluptates, et ſuſpiria gemituſque malè inter ſe coniunguntur: demumque ageretur peſſimè nobiſcum, ſi ab eius gloria diſſociandi eſſemus, cui, dum huius vita miſerijs conflictaretur, proximi eſſe ſtudueramus. Sit igitur mortuus, viuuſque nobis in oculis Sanctus hic nuper Cælo addictus, noſque viui pariter, et mortui ſimus vnica illius, et dilecta proles.

DE PAVPERTATE EXTREMA Filij Dei.

CONCIO XI.

Lucæ cap. 2. n. 7.

ET peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio; quia non erat eis locus in diuerſorio. *Vt ſtupore defixi, atque ſuſpenſi admiratione omnium animi hærerent, ſatis fuerat, auditores, ſi ita diceretur, Mariam in præſepio collocaſſe partum ſuum, neque ſubijceretur illud, quod locus in diuerſorio non eſſet. Nonne ſatis humile domicilium ſtabuli fuerat? Nonne paupertatis extremæ argumentum id haberetur, etiam ſi Diuinus Euangeliſta minimè ſubieciſſet ſic matri fuiſſe faciendum, quia neceſſitas cogebat? Inde*

ſequi-

Digitized by Google

ſequitur, vt maius fuerit carere commoditate rerum, quàm ea ipſa vti noluiſſe. Nam commoda vltro repudiare, propius interdum ad iucunditatem quandam animi accedit, placetque inopia interdum; et fames ipſa voluptati eſt, aſperitaſque vitæ ſæpe delectat. Sed præſepe fuit vna illa domus, quæ exciperet, admitteretque Chriſtum, omni alia abſciſa hoſpitalitate, animiſque aduerſus miſericordiæ ſenſum obſirmatis, atque duratis. Neque verò poterit vnquam vllis hominum ſermonibus explicari, quàm liberaliter, et generoſè, quàmque fideliter, et ſincerè egerint Apoſtoli, atque Euangeliſtæ, dum ſacræ Hiſtoriæ monumenta ita condiderunt. Namque homines ſtudioſiſſimi veritatis nihil reticere voluerunt earum rerum, quæ abrogare fidem Euangelio etiam potuiſſent. Ideo, eſt hoc prudenter ab Origine notatum, enormem Petri culpam, qua Chriſtum ille eiurarat, licèt iuſtis de cauſis ſupprimi debuiſſe videretur, tamen non eſſe diſſimulatam, vt documenta extarent in Euangelio minas, et pericula, necemque contemnendi, neve quiſquam vnquam diſponderet ita ſubitò animum ad vnius mulierculæ terriculamenta, vocemque paulò aſperiorem. Id ſi diſſimulatum, inuolutumque ſilentio eſſet, nullus ſanè hodie argueret Euangeliſtas: ſed illi vtique nihil tale reſpexerunt. Ait

Origenes lib. 2. contra Celſum.

præterea

præterea idem, ſi natura rerum, et conditio ſpectetur, fuiſſe Crucem adeo per ea tempora ignominioſam, vt potuerit ipſum nomen, et falſa infamia ſacroſancti Ligni contemptos, vileſque facere Apoſtolos; et magnum vtique hoc fuiſſe, quòd non timuerint Diſcipuli nouæ legis, doctrinæque euentum, cùm eius Auctorem Cruci affixum fuiſſe viderent. Tempore, quo Machabæi tanta illa fortitudinis exempla dederunt, cùm horrenda ſæuitia Antiochi deſcribenda eſſet, eſt in ſacris Litteris hæc ad legentes adhibita præfatio, atque obteſtatio, ne rerum atrocitate commoti, atque offenſi, ſuſpicari velint, Hebræorum gentem ideo ex cura et tutelâ Numinis excidiſſe, priſtinamque Dei clementiam mutatam eſſe maiore odio; potius autem ſcirent, clementia fieri, amoreque diuino, vt talia pateretur Hebræorum genus. Sed quantò generoſiùs, altiùſque Euangeliſtæ agunt, dum paupertatem, et necem Dei Filij deſcribunt? Fuit hoc in noua lege ſingulare, atque eximium, vt ſcriptores Euangelij, licèt maiore neceſſitate vrgerentur, nulla tali excuſatione vterentur, nullamque defenſionem huiuſmodi præſtruerent aduersùs ea, quæ quis ſuſpicari poſſet: ſed ita cuncta propoſuere diſertis verbis, vt ſatis appareat, honores pariter, ignominiaſque voluiſſe ipſos abſque diſcrimine vllo memoriæ prodere.

dere.

dere. Accepiſtiſne rationem quidem hanc Euangelicæ ſimplicitatis? Alia breuiter nunc plena grauitatis, et ſapientiæ ratio à me afferetur. Nulla religio fuit vnquam, quæ ſapientiùs, atque altiùs de Numinis æterni mente egerit, quàm Chriſtiana noſtra fides. Ac ſicubi abiectiùs humiliùsve dici quicquam videtur: ibi tanta altitudo rerum eſt, adeoque ab omni humana intelligentia ſenſu remota myſteria, vt è Cælo delapſa miracula illa, non autem hominum artificijs excogitata videri poſſint. Nam ecquis vnquam affirmare potuiſſet, ludibrio fuiſſe Deum hominibus, eumque, poſteaquam fuerit Cruce necatus, inſtituiſſe, vt ſemper eſſet nobiſcum, et vera ipſius caro cibus noſter fieret, niſi Deus ipſe? Magnorum Regum minimas quoque culpas, et vitia, labeſque, niſi et verbis, et re ipſa tegere ſtudeamus, non parum ab eorum potentia et ira terroris erit. At nos talia de Deo impunè loquemur? Cur non fulmine percutimur: cur non terra dehiſcit, ſi talia temerè et falsò affirmamus? Nullus igitur locus, nullæve letebræ tegere fallacias, et fraudes poſſunt, quin illico deprehendantur, neque in re tanta, fallacia vnquam vlla faciem, ſimilitudinemque veri aſſumere potuiſſet. Quale iſtud eſt (ò diuinarum rerum altitudinem) quod diuina Litteræ nobis narrant, Verbo æterno inter homines de-

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe domicilij locum, ideoque in præſepio collocatum id fuiſſe? Iob ſuo more de videndi ſenſu, et oculorum acie cùm philoſopharetur, hæc dicta dedit. Potuiſtine vnquam altitudine ingenij et diſſerendi ſubtilitate, deſignare auroræ domicilium, itineraque, et vias, vnde mortalibus ea exoritur, et quemadmodum ad aurei pepli inſtar per aera, terraſque diffundatur? Id numquam explicare poteris, aiebat ſapiens ille antiquus. Sed hæc ipſa Naturæ arcana, quàm manifeſta, et aperta videri poßint, ſi itinera noua et inuſitata reputare velimus, vnde lux æterna Mundum intrauit. Nullus alius tanti operis artifex eſſe potuit, præter Deum vnum; eumque non in maieſtatis, et iuſtitiæ ſuæ veſte, ſed captum, victumque amoris vi. Diù gens Hebræorum vaga per ſolitudines inceßit, cùm interea numquam cæleſte ope deſtituerentur; eaque tam præſens diuini auxilij vis fuit, vt in diuinis Litteris ita dicatur, ſic humeris fuiſſe deportatos, quomodo prolem ſuam aliquis parens ferret, ſedeſque ſubinde fuiſſe deſignatas, vbi conſiſtere, et quieſcere deberent. At nunc Deus idem non ſolum per deſerta ducem ſe præbet, ſed figit ibi ſedem, elegitque domicilia, tam pauper ipſe, et nudus, vt nihil ſibi vacui loci reperire poßit. Quia non erat eis locus in diuerſorio. *Ibidem, cùm ex contemplatione*

Iob cap. 38. u. 2. 12. 19. 24.

Deut. cap. 1. u. 31. 32. 33.

platione Dei operum, quæ præter captum humanæ mentis patrari videbat, intellectu ſubinde altiore attolleretur, ita dixit. Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. *Ita quidquid vel in naturæ rebus, vel in legis antiquæ myſterijs cernitur, longè eſt infra myſterium hoc Chriſti naſcentis; in quo myſterio fuere hæc omnia ſimul; ſummus amor, ſumma altitudo; ſumma humilitas, ſumma egeſtas, ſummæque diuitiæ: atque hæc omnia inter ſe coniuncta mirabiliter. Philoſophi veteres, qui cùm erudirent, erudirenturque inuicem, non garriebant, ſicuti plerique hodie, ſed grauiter, et modeſtè, tranquillèque diſſerebant, ita de amore prodiderunt, filium nempe eſſe paupertatis, et copiarum, matremque egeſtatem propinqua ſimilitudine attingere, in veſte ſcilicet obſoleta, pedibuſque nudis, abſque lare, et tecto, abſque cubili, abſque tegumine, ſub dio pernoctantem; taliqne vitæ forma nuſquam abſcedere à latere matris, hoc eſt à paupertate, eique perpetuò affixum, viuere vitam. Iam verò ex paternis moribus id habere dixerunt, vt et pulcherrimus eſſet; et magno fortique animo ſummum eſſe philoſophum, et vinculū eſſe vnum, quo mortalia immortalibus necterentur, nuſquam diuitem, nuſquam pauperem, ſtultum eundem, ſimulque ſapientiſſimum. Amoris hu-*

Iob cap. vltimo n. 5.

L mani

mani forma et natura nuſquam altiùs veriùſque deſcribi poteſt, auditores. At de amore diuino quid ſentiendum, dicendumque eſt? Quomodo poteſt in eum cadere paupertas, paupertatiſue mores, cùm non è ſinu egeſtatis, ſed ex diuina natura ſinu prodierit? Si antiqua repetere velimus, planè reperiemus, primam eius diuini amoris manifeſtationem tunc eſſe factam, cùm Mundum ipſe creauit. Ibi erant omnia, diuitia, ſplendorque, et opes, potentiaque ſumma. Vnde autem inceſſere miſeria, contumeliaque et infirmitas, et paupertas; et quomodo miſcuere ſe iſta rebus diuinis, quemadmodum miſceri hodie videmus, dum ita dicitur; Et reclinauit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diuerſorio? *Non fuerat Numini opus paupertate, contumelijſue, vt creare Mundum poßet: ſed ineffabili ſua ſapientia creationem alteram gratia ita temperauit, atque diſpoſuit, vt ea neceßaria eßent ad magnum humanæ ſalutis opus, quod vel hoc vno primum illud dignitate et magnitudine longè ſuperauit. Non mihi, ſicut aliàs, hodie propoſitum eſt, conuerſa ad ſuperbos, auaroſque oratione, deteſtari luxum, habendique cupidinem, ſordeſque alias: tantummodo conſiderari velim, multa veteres de ſuis Dijs eßе fabulatos, atque inter cætera, illud; alios quidem à terra in cælum eſſe ſubductos, alios*

verò

verò in terram è cælo delapſos, magnaque interim et admiranda patraſſe. De nullo tamen eorum affirmare ſuſtinuerunt, quòd hominum cauſa, contumelias, pœnaſve, paupertatem et incommoda pertuliſſet. Id miraculum Euangelio reſeruatum fuiſſe apparet, vt captum humanæ mentis etiam ea re ſupergrederetur. Quod cùm ita ſit, ſequitur, vt tanti myſterij magnitudinem, altitudinemque pertimeſcere debeamus. Mihi ſanè paupertas iſta Chriſti plus terroris affert, quàm opes omnes, et imperia mortalium, neque vlla armata acies tam mouerit, atque perculerit mihi animum, quàm nuditas iſta Saluatoris mouet, atque conſternat: ipſumque Saluatorem magis pertimeſco vilibus faſcijs inuolutum, quàm ſedentem in ſolio ſuæ maieſtatis, quàm circumfuſum corona Angelorum. Huiuſque iuſti timoris ratio eximiè demonſtrata eſt illis Abacuc Prophetæ verbis; Domine audiui auditionem tuam, & timui: conſideraui opera tua, & obſtupui, in medio duorum animalium cognoſceris. *Ea lectio ſeptuaginta Interpretum eſt. Sanctus Hieronymus, et Cyrillus, et vetuſtiſſimus Breuiarij Romani codex lectionem eam retinuere, ac noſtra pariter Ambroſiana Eccleſia retinuit ſemper, atque cuſtodiuit. Horrenda hæc, atque terribilia poſſunt eſſe animis hominum.*

Habacuc cap. 3. u. 2.

L 2 *Hor-*

Horrendus ſtabuli ſqualor, horrendumque præſepe, et iumenta ipſa ſunt horroris. Condidiſti, Deus Optime Maxime, Cælum, ſideraque et Terras; ſuntque opera iſta tuæ potentiæ, quæ tamen exhorreſcit, timetque nullus, ſed exhorreſcere cogimur propriè tuum iſtud opus, quo ſcilicet opere mortales exuuias, carnemque aſſumpſiſti. Quo ſanè timore ſi rectè vſi fuerimus, ſicuti perfectiſsimus ipſe eſt, ita ſolatium, et robur animi noſtri erit, quo diuinitus robore firmati, quietè, tranquillèque viuentes, fruemur inter æternas diuitias amore illo, qui nuſquam paupertati ſocius eſſe poteſt.

CÆLESTEM LEGEM numquam impedimento eſſe legibus Principum iuſtis.

CONCIO XII.

CIRCVMAGVNTVR ambitu perpetuo cæleſtes orbes, neque vnquam ab diuina ſua æterna conuerſione conquieſcunt; nitentque ſidera, fulget Sol, et ornatus ille Cæli, et admiranda illa pompa, numquam aut minuitur, aut immutatur; nulluſque interea tamen vnquam tollit ad contemplanda iſta oculos, ſed caligine terræ demerſi

merſi ferè omnes iacemus. Ita Chriſtus Saluator intra ſuæ Matris vterum humanis imperijs obediens, capeſcit mirificum occultum iter, mortalique Regi obnoxius atque ſubiectus eſſe voluit, antequam naſceretur; obedienſque, immo potius ſeruus fuit, antequam natus, ſic perhibente Euangeliſta; Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. *Nos verò nihilominus interea, tamquam orbati lumine mentis expertesque rationis, fixos in terram oculos aſſiduè tenemus, neque inde attollimus vnquam. Atque obedientia hac, obſequiumque Chriſti documento eſſe poterit, auditores, numquam diuinis legibus Euangelijque diſciplina ſolui legum auctoritatem, quas Domini Terrarum ſaluti vtilitatique communi ſeruientes, tulere. Id eſſe falſum varijs rationibus fallax prudentia mortalium probare nititur, menteſque obſtinata eorum, qui fraudibus Regna, vique ſola tuentur, manifeſtè ab hac veriſſima ſententia abhorrent, peruersèque contendunt fieri præter ſecuritatem, maieſtatemque Principis, ſi vnà cum ipſo alius regnat; neque conſtare poſſe rationem imperij, ſi alteri præterea reddatur: nullam debere eſſe legem, quæ conditori legum ipſi modum faciat, idque ſi admittatur, non dedecus ſolum, labemque ſuſcipi, verùm etiam euerti diſſoluique imperium. Quæ*

Lucæ cap. 2. n. 1.

omnia

omnia eùm falſa dicantur, cùmque veluti praſtigiæ, et incantamenta in fraudem impellere animos poßint, confutari ſedulò infringique oportet, in primiſque affirmari illud; Diuinarum auctoritate legum præſcribi et ſanciri nihil vnquam, quin ad iuſti Principis iuſta et recta conſilia, auctoritatemque eius aptiſſimè conueniat. Videturque hodie Chriſtus conſulere voluiſſe dignitati Cæſaris, atque exiſtimationi hominum, quæ de imperio ipſius amplectente et continente cuncta eſſet; quam de illius imperio famam retinere voluit, ſuſcepto in eam partem itinere, quò Principis edicta vocabant. Dum autem iſti dicunt, non diuidi Regnum oportere, Principemque debere eſſe vnum, non credo ego ita eſſe accipiendum, vt miſceri Cælo Terras, ſideraque calcari pedibus hominum velint, animamque ita intextam et alligatam eſſe corpori, vt nuſquam ab eo ſeparetur. Neque ipſi ferent indignè, quòd tenebræ non redeant illæ, quæ voraginibus, hiatibuſque Terræ ſederant olim; quòdque fabuloſa illa colluuio rerum omnium, quæ chaos dicta eſt, in Regnorum, ciuitatumque adminiſtratione non regnet. Cùm verò loquantur de legum auctoritate, eamque velint ab humano imperio proficiſci, et à Principis ſolummodo nutu et arbitrio, non intelligunt infelices, non poſſe famam, nomenque imperitan-

peritantium conſtare aliter, quàm ſi ſpecies ſaltem virtutum adſint, præſertimque pietatis et religionis. Tyranno profectò ipſi, niſi prudentia, et conſtantia, et fortitudo adſit, fluxum breueque imperium erit, ac de ea re Dio Chryſoſtomus ita affirmat. Quod cùm ita ſit, quantò magis iuſto legitimoque Principi vincula debent eſſe iniecta legis, vel tyrannica, vel humana lege excellentioris, vt diuturnum, ſtabileque imperium habeat, et fauſta omnia illi contingant? De vtilitatibus verò Principum paucis, ſiuè magnis, quid demum hodie ſtatuemus? Illud planè conſtat, hodieque confirmatur non aurum, aut gemmas eripi regnantibus ab Euangelio. Chriſtus namque cenſum, tributumque perſoluit, cui præſertim exigendo, Ambroſius, et Euthimius, et Beda promulgatum fuiſſe edictum illud cenſent. Sed ampliùs quiddam adhuc afferamus, atque contemplemur. Miſerat Syriæ Rex nouos colonos in Samaria terras frequentanda ſolitudini, quæ facta erat, abductis Babylonem inde captiuis, infelicique Hebræorum gente. Tunc noui coloni, dum inanes Deos adorarent, verique Numinis obliti, licentiam omnium rerum vſurparent, irruente leonum rabie, ne ſpatium quidem exeundi extra portas vrbium habuere, ibique à feris obſeſſi tenebantur. Quo terrore ſubacti, qui inter Dio Chryſoſt. Orat. 3.

eos

eos homines capita rerum erant, ſcripſere ad Re-
4. Reg. cap. 17. u. 26. *gem huiuſmodi verbis.* Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. *An fortaſſe Tyrannus Aſſyriorum, ſicuti Principum aliquis feciſſet, ſpreuit repudiauitve conſilium? An ſuperſtitionem initium eſſe timoris putauit? An id à naturalibus cauſis proficiſci credidit, Hebræorumve commenta fuiſſe hæc et terriculamenta po-*
4. Reg. cap. 17. u. 27. *puli? Statim in hæc verba reſpondit;* Ducite illuc vnum de ſacerdotibus, quos inde captiuos adduxiſtis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ. *Agnoſcit culpam Aſſyrius, palamque fatetur, parat remedia damnis, demitque vincula captiuo Sacerdoti, et ciuilis imperij cauſa repeti vetuſtam legem, inſtaurarique cæremonias iubet. Quomodo negari poterit hoc, auditores, niſi ſi vltro velimus optare cæleſtes iras, vltionemque diuinam, et niſi clementiam, benignitatemque Cæli abominamur? Cæterùm, quia non ſemper culpam illico pœna ſequitur comes, ſed differtur ea nonnumquam nutu diſpenſationeque diuina, ideo videndum eſt, quò tandem euadant, recidantque conſilia ſuſcepta aduersùs diuinas leges. Pharao Gentem, populum-*

que

que duro ſeruitio attinuerat, præter diuina mandata, idque haud dubiè vtilitatum earum cauſa, quæ ex impigra numeroſa gente ſperabantur, cùm manu faciendis operibus, artificijſque diuerſis, et labore perſeueranti ſtrenuè imperio ſeruirent, eaque pertinax cura, ſtudiumque vtilitatum ſuarum, artificumque habendorum, et oſtentandi varias Regni opes, et ipſum, et Regnum funditus euertit. Ita victoria penes victos fuit, Regemque ſuum affixere ſubiecti, finiſque rerum fuit Regni interitus, ruitque Rex mole ſua, ſtudioque vtilitatum. Id cauſa eſſe cur inareſcant exuranturque arua, vaticinatus olim Ieremias ita cecinit: Quis eſt vir ſapiens, *ait ille,* qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat vt annunciet iſtud, quare perierit terra, & exuſta ſit quaſi deſertum, eò quòd non ſit qui pertranſeat? Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis. *Quòd ſi ſacratæ leges nulla diuinitus vincula ſecum ferrent, ſatis vinculorum, ſatiſque neceſsitatis ad eas ſanctè et religioſè obſeruandas imponere poſſe videretur ipſa ciuilis vitæ ratio, et diſciplina vitæ communis. Primi peccati labes ita corrupit, atque deprauauit hominum genus, vt ſæpe ipſi inter ſe ritu ferarum agant, atque in omni hominum conuentu veſtigia perpetui belli ciuilis appa-*

Ierem. cap. 9. u. 12.

M *rent,*

rent . Hortatur Deus, vt pauperibus benignè fiat, hoſpitioque peregrini accipiantur, nec fœnori Leuit. cap. 25. n. 36. *detur pecunia. Deinde addit;* Time Deum tuum, vt viuere poſſit frater tuus apud te. *Quot gentium conciliatrix eſt ſacroſancta auctoritas Euangelij; quot inde vitæ perpetuò mortalibus; quot vrbes eius beneficio frequentantur, ac fluunt, quas ſolitudo occuparet? Ipſaque Principum bona fortuna, quam ipſi appellant, hinc pendet, licet id ipſi intelligere nolint. Ideo dici poteſt, effigiem haud dubiè Tyranni venenoſum eſſe anguem, qui comprimens acuto dente partem ſui extremam, morſu affligit eam, laceratque ſemper. Nec tamen interea ſentiunt angues iſti, quòd et ſe ipſos, et alios aſſiduè perimant, atque abſumant. Si exempla grauiora eſſent, quibus demonſtrari poſſet Euangelio contineri perfectionem, ſtatumque rerum vniuerſarum, non crederem ego vel argumenta efficaciora, vel ſimilitudines illuſtriores ad id eſſe conquirendas. Sunt inualidæ rationes, atque obſcuræ, vbi pugnant, elucentque exempla. Affirmat Euangeliſta edictum fuiſſe promulgatum deſcribendi cauſa terrarum Orbem. Id fieri non potuiſſe ait Sanctus Pater Ambroſius hiſce verbis.* Gothis non imperabat Auguſtus, non imperabat Armenijs, imperabat Chriſtus. *Et planè ſuperbum titulum ea præferebat lex. Quid porrò*

dixiſſet

dixiſſet Magiſter ille diuinus; ſi eius ætate tot Prouinciæ, et tot ampliſſima Regna noſcerentur, quæ vltima, et ægra, et ſeneſcens Mundi ætas aperuit atque inuenit? In cuius rei contemplatione alto diuinæ prouidentiæ conſilio, per occultum expugnatur humanæ ſuperbiæ faſtus, atque obtunditur, opeſque mortalium fractæ et afflictæ ſuccumbunt. Planèque videtur hæc ſuperbia mortalium infringi diuinitus, atque conculcari; ſicut eluſa fuerat olim à vetere ſapiente ſuperbia Macedonis Alexandri, qui plures Mundos inueniri fortaſſe falsò affirmabat, ſcilicèt vt remedium ita, medicinamque pararet ægro animo, quem anxiæ curæ torquebant ob humanæ gloriæ iugum, quo premebatur ille, planèque pars remedij fuerat, ſi verborum Philoſophi ſententiam ille percepiſſet. Vanus igitur, atque inanis titulus eſt humanarum legum: titulumque iuſtiùs eundem vindicant Chriſti leges; quandoquidem iam deſcriptus eſt vniuerſus Orbis, nouoſque populos, et nouum Cælum, et noua ſidera inuenit Euangelij lex, et æmulum planè Solis cæleſte hoc imperium eſt. Viſne igitur ſcire quid ſit Dei lex? Intuere Prouinciarum iſtarum ſtatum, qui fuerat olim, et in quem hodie redactæ ſunt. Incolæ ſimillimi beſtijs, beſtiæ vocales erant, infandis epulis aſſuetæ, Dæmonum adoratrices, quas nunc gentes Euangelij diſcipli-

na emendauit, atque expoliuit. Quòd ſi quis iſta non videt, is alta ignorantia demerſus, neque videt quidquam, neque præterita, neque recentia, neque vllius rei fidem ad animum ille admittit. Diuina lex lumen ampliſſimum eſt, Solque Terra verior, quàm ille, qui Cælo ſublimis fertur; Itaque ſapientiſſimus Iob de cæcitate perditorum Iob. cap. 18. n. 6. *ita vacinatus fuit*; Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur. *Lumine rationis cæcati, obtuſique ruent, quia à Diuinarum legum auctoritate, et ductu receſſerunt. Non eſt, auditores, non eſt politicis ingenijs ea ciuilium rerum, regnandique artis notitia, quam iactitant, atque profitentur. Atque ad eos præſertim illa pertinere videntur, quæ ſunt apud Iſaiam Prophe-* Iſaiæ cap. 8. n. 20. *tam ſcripta diuinitus*. Quòd ſi non dixerint iuxta verbum hoc, *de lege tamen ſermo eſt*, non erit eis matutina lux. Et tranſibit per eam, corruet, & exuriet: & cùm eſurierit, iraſcetur, & maledicet Regi ſuo, & Deo ſuo. *Hunc exitum habituræ ſunt iſtæ humanæ prudentiæ artes, quas Dei legibus plerique anteſertis: Ad rabiem, deſperationemque, ad voces execrationeſque horrendas, ad contemptum denique Numinis, atque ad exuendam omnium rerum* Pſal. 2. n. 10. *fidem erumpent*. Et nunc Reges intelligite: erudi-

erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore: *Moueat vos miſericordia, reſpectuſque Regnorum veſtrorum, et veſtra prolis, quæ in ſpes tantas alitur, atque educatur: nolite concitare in ſtirpem prolemque veſtram cæleſtes iras: nolitè cupidè nimium mereri pœnas, quæ euertere poſſunt gloriam, quam à maioribus accepiſtis. Id autem nimium procliue erit, ſi præbere voletis aures hominibus, qui prudentiæ genus inducere conantur religioni planè aduerſarium, planèque contemnens Numen.*

CVR IN SALVATORIS exortu non apparuerint ſigna illuſtriora Maieſtatis eius.

CONCIO XIII.

FACTVM eſt autem, cum eſſent ibi, *ibi nimirum in obſcura Bethlehem, vt Cæſari tributum ferrent,* impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum. *Adulta hieme, frigoribuſque maximis Ioſeph, et Maria itineri ſe commiſerunt. At itinera Sponſi, et Sponſæ in Canticis per amœna et florida, et aprica camporum, valliumque vernantium ſiunt, et in* Lucæ cap. 2. n. 6

ea par-

ea parte anni, quæ florum, frugumque mater eſt; tunc ſcilicet, cum auræ molles umbraque arborum, et variè picta tellus, odorumque ſuauitas et ſapidiſſima cuncta mollire poſſunt quemuis ardui itineris laborem. Felicis Sponſæ hortos afflabat aura perennis nutriens ibi flores, alenſque; nec æſtu unquam nimio, nec frigoris iniuria lædebantur arborum honores. Auræque ipſæ, ubi Sponſæ votis excirentur, aderant prompta ad
Cantic. cap. 4. u. 16. *obſequia.* Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. *At hiberno hoc, et niuali die, dum rigent cuncta gelu, albicant pruinis, et denſa nebula obſcurantur, quale credimus fuiſſe iter Reginæ gentium? Potuere diuina ſanè manus ſiſtere curſus, et itinera conſueta ſiderum; quæ diuinæ manus potentia ali-*
Iob cap. 9. u. 7. & ſeq. *quando ſpectata eſt.* Qui præcipit Soli, & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas; & interiora auſtri. *Nunc ſuppreſſa ſunt huiuſmodi miracula, Saluatoriſque natalis non dignandus tanto honore erit? Cur non igitur Sol flexit iter, nebulaſque diſſipauit, concalefecitque pruinas, et terram adſpectu molliore*
Ioſue cap. 10. u. 13. *temperauit? Nimiùm tibi, Ioſue, indulſerat ſidus, nec mortalium ulli debebatur tantus honos,*

ſiqui-

ſiquidem Deus ipſe talia non ſibi aſſumit. Optaſſent hæc fortaſſe miracula in Saluatoris exortu Gentes, Hebræique perfidi: ſed multò illuſtriora, et maiora erant, quæ diuinitatem Infantis teſtari deberent: cautumque diuinitus fuit, ne mortalium oculis iſta obijcerentur. Atque Origenes ille tam laudatus ſimul, culpatuſque ſcriptor, altè ſpeculando diuinæ Incarnationis vias, ita diſſeruit: Chriſtianæ fidei primordia cœpiſſe à Chriſto ipſo, qui nec patriæ, nec natalium ſplendore vim auctoritatemque aſſumpſerat, vt tota res diuina eſſet. Admirandæ ſanè efficaciæ argumentum hoc, auditores, dignumque eſt, ad cuius firmamentum nos quoque aliquid afferre conemur, ita ſi dicamus, nulla alia re potuiſſe diuini partus obſcuritatem, atque inde magnitudinem illuſtriùs, apertiùſque demonſtrari, quàm haud aliter in Terras, Mundumque deſcendendo, quàm ſi de multis vnus veniret. Ac licet arcana diuinæ prouidentiæ diſpenſatione id ita conſtitutum eſſet, atque longiſſimis ante temporibus fixum, atque decretum, et Prophetarum vaticinio denuntiatum: exigua tamen hominum generi alia ſignificationes data fuerunt, cùm interea præter expectationem opinionemque omnium naſcitur Dei Filius tempore in ſpeciem minùs opportuno, vt etiam in ipſo exortu Diuinitas ea immenſa latitaret. Id verò,

Orig. lib. contra Celſum.

verò, vel ipſius teſtimonio Iobi ſoli, *Numinis Æterni more factum eſt, cuius altitudo creatis omnibus rebus occultè inſidet; ibique moratur.* Iob cap. 9. u. 11. Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam. *Dici poteſt etiam, Auditores, Deum in aſſumenda mortali carne occultam habuiſſe ſuam ipſius gloriam, nec voluiſſe partem ullam uſurpare honoris, qui ab hominibus etiam velut Conditori rerum vniuerſarum deberetur, vt ſcilicèt intelligerent homines, quàm leuia apud Deum eſſent momenta rerum humanarum, et quidquid iſtud in hac mortali vita proſperè, ſiue ſecus vſu venit. Eius myſterij, conſilijque diuini praeclara ſanè ratio hac fuit, magnoque nobis ad omnia exemplo, et documento eſſe poteſt. Atque ideo in eius contemplatione rei immorandum nobis erit, neque argumenta alia conquiremus. Quotidie namque videmus, multos improbos, permittente Deo, proſperè agere, maioreque in dies auctu ſecunda cuncta euenire illis: contra verò probis, iuſtiſque hominibus aduerſa multa accidere. Hac cum ita gerantur in vita, ſtupor, et admiratio multorum animos occupat, qui effecta tantummodo illa vident, rationem verò nullam cur ita fiat, videre non poſſunt. Verùm, ſi id, quod ego dicturus ſum, rectè intelligatur, poterimus ex parte ſaltem ar-*

cana

cana diuina aſſequi, eiuſque prouidentiæ ratio aliquantò manifeſtior fiet. Ignorationis, obſcuritatiſque rerum apud animum humanum cauſa ſolet eſſe penes principia, cauſaſque, vnde res ipſa proficiſcuntur, idque duobus modis. Nam cauſæ ipſæ, ſicut à communi ſenſu intelligentiaque disiunctæ, percipi non poſſunt, ideoque lapis ille, qui trahit vi ſua, allicitque occulto amore ferrum, et reciprocantis Maris aſsidui motus, torſere multiplici ambage philoſophantium animos. Præterea, cauſæ nonnullæ latent mortalium animos, quia ſenſum omnem fugiunt, atque fallunt exiguitate ſua: et licèt in vicino ſint, non tamen ferè conſpiciuntur; aut ſi conſpectæ ſint, non admiratio, ſed contemptus, riſuſque ſequitur. Id inter iocularia præſtigiatorum, ludoſque quotidianos experiri quilibet poteſt. Tunc enim, vt quis admiretur, fit non nouitate rei ipſius, ſed tarditate animi noſtri, qui rudior ad rem percipiendam, lentiorque fuit. Ita grauiſsimè etiam fallitur animus humanus tunc, cum aut bona, aut mala, quæ quis experitur, falsò æſtimat. Falſa in primis æſtimatio ea eſt, quæ res humanas aliqui valere plurimùm putant, cùm tamen eas diuinæ Litteræ nunc [A] telis aranearum, nunc [B] ſpumæ Maris, nunc [C] ventis, [D] frondibuſve compararint. Iacet ager aliquis, decumbitque

A Pſal. 38. u. 12. Iob. c. 8. u. 14.
B Oſeæ c. 10. u. 7. Sap. c. 5. u. 15.
C Iob c. 7. u. 7.
D Iob c. 13 u. 25

N lec-

eos homines capita rerum erant, ſcripſere ad Re-
4. Reg. cap. 17. u. 26. *gem huiuſmodi verbis*, Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. *An fortaſſe Tyrannus Aſſyriorum, ſicuti Principum aliquis feciſſet, ſpreuit repudiauitve conſilium? An ſuperſtitionem initium eſſe timoris putauit? An id à naturalibus cauſis proficiſci credidit, Hebræorumve commenta fuiſſe hæc et terriculamenta populi?*
4. Reg. cap. 17. u. 27. *Statim in hac verba reſpondit*; Ducite illuc vnum de ſacerdotibus, quos inde captiuos adduxiſtis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ. *Agnoſcit culpam Aſſyrius, palamque fatetur, parat remedia damnis, demitque vincula captiuo Sacerdoti, et ciuilis imperij cauſa repeti vetuſtam legem, inſtaurarique cæremonias iubet. Quomodo negari poterit hoc, auditores, niſi ſi vltro velimus optare cæleſtes iras, vltionemque diuinam, et niſi clementiam, benignitatemque Cæli abominamur? Cæterùm, quia non ſemper culpam illico pœna ſequitur comes, ſed differtur ea nonnumquam nutu diſpenſationeque diuina, ideo videndum eſt, quò tandem euadant, recidantque conſilia ſuſcepta aduersùs diuinas leges. Pharao Gentem, populum-*

que

Digitized by Google

que duro ſeruitio attinuerat, præter diuina mandata, idque haud dubiè vtilitatum earum cauſa, quæ ex impigra numeroſa gente ſperabantur, cum manu faciendis operibus, artificiyſque diuerſis, et labore perſeueranti ſtrenuè imperio ſeruirent, eaque pertinax cura, ſtudiumque vtilitatum ſuarum, artificumque habendorum, et oſtentandi varias Regni opes, et ipſum, et Regnum funditus euertit. Ita victoria penes victos fuit, Regemque ſuum afflixere ſubiecti, finiſque rerum fuit Regni interitus, ruitque Rex mole ſua, ſtudioque vtilitatum. Id cauſa eſſe cur inareſcant exuranturque arua, vaticinatus olim Ieremias ita cecinit: Quis eſt vir ſapiens, *vt ille,* qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat vt annunciet iſtud, quare perierit terra, & exuſta ſit quaſi deſertum, eo quod non ſit qui pertranſeat? Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis. *Quod ſi ſacratæ leges nulla diuinitus vincula ſecum ferrent, ſatis vinculorum, ſatiſque neceſſitatis ad eas ſanctè et religioſè obſeruandas imponere poſſe videretur ipſa ciuilis vitæ ratio, et diſciplina vitæ communis. Primi peccati labes ita corrupit, atque deprauauit hominum genus, vt ſæpe ipſi inter ſe ritu ferarum agant, atque in omni hominum conuentu veſtigia perpetui belli ciuilis appa-* Ierem. cap. 9. n. 12.

rent. Hortatur Deus, vt pauperibus benignè fiat, hoſpitioque peregrini accipiantur, nec fœnori
Leuit. cap. 25. u. 36. *detur pecunia. Deinde addit*; Time Deum tuum, vt viuere poſſit frater tuus apud te. *Quot gentium conciliatrix eſt ſacroſancta auctoritas Euangelij; quot inde vita perpetuò mortalibus; quot vrbes eius beneficio frequentantur, ac fluunt, quas ſolitudo occuparet? Ipſaque Principum bona fortuna, quam ipſi appellant, hinc pendet, licet id ipſi intelligere nolint. Ideo dici poteſt, effigiem haud dubiè Tyranni venenoſum eſſe anguem, qui comprimens acuto dente partem ſui extremam, morſu affligit eam, laceratque ſemper. Nec tamen interea ſentiunt angues iſti, quòd et ſe ipſos, et alios aſſiduè perimant, atque abſumant. Si exempla grauiora eſſent, quibus demonſtrari poſſet Euangelio contineri perfectionem, ſtatumque rerum vniuerſarum, non crederem ego vel argumenta efficaciora, vel ſimilitudines illuſtriores ad id eſſe conquirendas. Sunt inualidæ rationes, atque obſcuræ, vbi pugnant, elucentque exempla. Affirmat Euangeliſta edictum fuiſſe promulgatum deſcribendi cauſa terrarum Orbem. Id fieri non potuiſſe ait Sanctus Pater Ambroſius hiſce verbis*. Gothis non imperabat Auguſtus, non imperabat Armenijs, imperabat Chriſtus. *Et planè ſuperbum titulum ea præferebat lex. Quid porrò*

dixiſſet

dixiſſet Magiſter ille diuinus, ſi eius ætate tot Prouinciæ, et tot ampliſſima Regna noſcerentur, quæ vltima, et ægra, et ſeneſcens Mundi ætas aperuit atque inuenit? In cuius rei contemplatione alto diuinæ prouidentiæ conſilio, per occultum expugnatur humana ſuperbia faſtus, atque obtunditur, opeſque mortalium fractæ et afflictæ ſuccumbunt. Planèque videtur hæc ſuperbia mortalium infringi diuinitus, atque conculcari, ſicut eluſa fuerat olim à vetere ſapiente ſuperbia Macedonis Alexandri, qui plures Mundos inueniri fortaſſe falsò affirmabat, ſcilicèt vt remedium ita, medicinamque pararet ægro animo, quem anxia cura torquebant ob humanæ gloriæ iugum, quo premebatur ille, planèque pars remedij fuerat, ſi verborum Philoſophi ſententiam ille percepiſſet. Vanus igitur, atque inanis titulus eſt humanarum legum: titulumque iuſtiùs eundem vindicant Chriſti leges; quandoquidem iam deſcriptus eſt vniuerſus Orbis, nouoſque populos, et nouum Cælum, et noua ſidera inuenit Euangelij lex, et æmulum planè Solis cæleſte hoc imperium eſt. Viſne igitur ſcire quid ſit Dei lex? Intuere Prouinciarum iſtarum ſtatum, qui fuerat olim, et in quem hodie redactæ ſunt. Incolæ ſimillimi beſtijs, beſtiæ vocales erant, infandis epulis aſſuetæ, Dæmonum adoratrices, quas nunc gentes Euangelij diſcipli-

Digitized by Google

na emendauit, atque expoliuit. Quòd ſi quis iſta non videt, is alta ignorantia demerſus, neque videt quidquam, neque præterita, neque recentia, neque vllius rei fidem ad animum ille admittit. Diuina lex lumen ampliſſimum eſt, Sol que Terra verior, quàm ille, qui Cælo ſublimis fertur; Itaque ſapientiſſimus Iob de cæcitate perditorum
Iob. cap. 18. n. 6. *ita vaticinatus fuit*; Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur. *Lumine rationis cæcati, obtuſique ruent, quia à Diuinarum legum auctoritate, et ductu receſſerunt. Non eſt, auditores, non eſt politicis ingenijs ea ciuilium rerum, regnandique artis notitia, quam iactitant, atque profitentur. Atque ad eos præſertim illa pertinere videntur, quæ ſunt apud Iſaiam Prophe-*
Iſaiæ cap. 8. n. 20. *tam ſcripta diuinitus*. Quòd ſi non dixerint iuxta verbum hoc, *de lege tamen ſermo eſt*, non erit eis matutina lux. Et tranſibit per eam, corruet, & exuriet: & cum eſurierit, iraſcetur, & maledicet Regi ſuo, & Deo ſuo. *Hunc exitum habituræ ſunt iſtæ humanæ prudentiæ artes, quas Dei legibus plerique anteſertis: Ad rabiem, deſperationemque, ad voces execrationeſque horrendas, ad contemptum denique Numinis, atque ad exuendam omnium rerum*
Pſal. 2. n. 10. *fidem erumpent*. Et nunc Reges intelligite: erudi-

erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore: *Moueat vos miſericordia, reſpectuſque Regnorum veſtrorum, et veſtræ prolis, quæ in ſpes tantas alitur, atque educatur: nolite concitare in ſtirpem prolemque veſtram cæleſtes iras: nolite cupidè nimium mereri pœnas, quæ euertere poſſunt gloriam, quam à maioribus accepiſtis. Id autem nimium procliue erit, ſi præbere voletis aures hominibus, qui prudentiæ genus inducere conantur religioni planè aduerſarium, planèque contemnens Numen.*

CVR IN SALVATORIS exortu non apparuerint ſigna illuſtriora Maieſtatis eius.

CONCIO XIII.

FACTVM eſt autem, cum eſſent ibi, *ibi nimirum in obſcura Bethlehem, vt Cæſari tributum ferrent*, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum. *Adulta hieme, frigoribuſque maximis Ioſeph, et Maria itineri ſe commiſerunt. At itinera Sponſi, et Sponſæ in Canticis per amœna et florida, et aprica camporum, valliumque vernantium fiunt, et in* Lucæ cap. 2. n. 6

ea par-

ea parte anni, quæ florum, frugumque mater eſt; tunc ſcilicèt, cum auræ molles vmbræque arborum, et variè picta tellus, odorumque ſuauitas et ſapidiſſima cuncta mollire poſſunt quemuis ardui itineris laborem. Felicis Sponſæ hortos afflabat aura perennis nutriens ibi flores, alenſque, nec æſtu vnquam nimio, nec frigoris iniuria lædebantur arborum honores. Auræque ipſæ, vbi Sponſæ votis excirentur, aderant prompta ad obſequia. Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. *At hiberno hoc, et niuali die, dum rigent cuncta gelu, albicant pruinis, et denſa nebula obſcurantur, quale credimus fuiſſe iter Reginæ gentium? Potuere diuina ſanè manus ſiſtere curſus, et itinera conſueta ſiderum; quæ diuinæ manus potentia aliquando ſpectata eſt.* Qui præcipit Soli, & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas; & interiora auſtri. *Nunc ſuppreſſa ſunt huiuſmodi miracula, Saluatoriſque natalis non dignandus tanto honore erit? Cur non igitur Sol flexit iter, nebulaſque diſſipauit, concalefecitque pruinas, et terram adſpectu molliore temperauit? Nimium tibi, Ioſue, indulſerat ſidus, nec mortalium vlli debebatur tantus honos;*

Cantic. cap. 4. u. 16.

Iob cap 9. u. 7. & ſeq.

Ioſue cap. 10. u. 13.

ſiqui-

ſiquidem Deus ipſe talia non ſibi aſſumit. Optaſſent hæc fortaſſe miracula in Saluatoris exortu Gentes, Hebræique perfidi: ſed multò illuſtriora, et maiora erant, quæ diuinitatem Infantis teſtari deberent: cautumque diuinitus fuit, ne mortalium oculis iſta obijcerentur. Atque Origenes ille tam laudatus ſimul, culpatuſque ſcriptor, altè ſpeculando diuina Incarnationis vias, ita diſſeruit. Chriſtianæ fidei primordia cœpiſſe à Chriſto ipſo, qui nec patria, nec natalium ſplendore vim auctoritatemque aſſumpſerat, vt tota res diuina eſſet. Admirandæ ſanè efficaciæ argumentum hoc, auditores, dignumque eſt, ad cuius firmamentum nos quoque aliquid afferre conemur, ita ſi dicamus, nulla alia re potuiſſe diuini partus obſcuritatem, atque inde magnitudinem illuſtriùs, apertiùſque demonſtrari, quàm haud aliter in Terras, Mundumque deſcendendo, quàm ſi de multis vnus veniret. Ac licet arcana diuinæ prouidentiæ diſpenſatione id ita conſtitutum eſſet, atque longiſſimis ante temporibus fixum, atque decretum, et Prophetarum vaticinio denuntiatum: exiguæ tamen hominum generi aliæ ſignificationes datæ fuerunt, cùm interea præter expectationem opinionemque omnium naſcitur Dei Filius tempore in ſpeciem minùs opportuno, vt etiam in ipſo exortu Diuinitas ea immenſa latitaret. Id verò,

Orig. lib. contra Celſum.

verò, vel ipſius teſtimonio Iobi ſolitũ Numinis Æterni more factum eſt, cuius altitudo creatis omnibus rebus occultè inſidet, ibique moratur. Iob cap. 9. u. 11. Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam. *Dici poteſt etiam, Auditores, Deum in aſſumenda mortali carne occultam habuiſſe ſuam ipſius gloriam, nec voluiſſe partem vllam vſurpare honoris, qui ab hominibus etiam velut Conditori rerum vniuerſarum deberetur, vt ſcilicèt intelligerent homines, quàm leuia apud Deum eſſent momenta rerum humanarum, et quidquid iſtud in hac mortali vita proſperè, ſiue ſecus vſu venit. Eius myſterij, conſilijque diuini præclara ſanè ratio hac fuit, magnoque nobis ad omnia exemplo, et documento eſſe poteſt. Atque ideo in eius contemplatione rei immorandum nobis erit, neque argumenta alia conquiremus. Quotidie namque videmus, multos improbos, permittente Deo, proſperè agere, maioreque in dies auctu ſecunda cuncta euenire illis: contra verò probis, iuſtiſque hominibus aduerſa multa accidere. Hæc cum ita gerantur in vita, ſtupor, et admiratio multorum animos occupat, qui effecta tantummodo illa vident, rationem verò nullam cur ita fiat, videre non poſſunt. Verùm, ſi id, quod ego dicturus ſum, rectè intelligatur, poterimus ex parte ſaltem arcana*

Digitized by Google

cana diuina aſſequi, eiuſque prouidentiæ ratio aliquantò manifeſtior fiet. Ignorationis, obſcuritatiſque rerum apud animum humanum cauſa ſolet eſſe penes principia, cauſaſque, vnde res ipſæ proficiſcuntur, idque duobus modis. Nam cauſæ ipſæ, ſicut à communi ſenſu intelligentiaque diſiunctæ, percipi non poſſunt, ideoque lapis ille, qui trahit vi ſua, allicitque occulto amore ferrum, et reciprocantis Maris aßidui motus, torſere multiplici ambage philoſophantium animos. Præterea, cauſæ nonnullæ latent mortalium animos, quia ſenſum omnem fugiunt, atque fallunt exiguitate ſua: et licèt in vicino ſint, non tamen ferè conſpiciuntur; aut ſi conſpectæ ſint, non admiratio, ſed contemptus, riſuſque ſequitur. Id inter iocularia præſtigiatorum, ludoſque quotidianos experiri quilibet poteſt. Tunc enim, vt quis admiretur, fit non nouitate rei ipſius, ſed tarditate animi noſtri, qui rudior ad rem percipiendam, lentiorque fuit. Ita grauißimè etiam fallitur animus humanus tunc, cum aut bona, aut mala, quæ quis experitur, falsò æſtimat. Falſa in primis æſtimatio ea eſt, quæ res humanas aliqui valere plurimum putant, cùm tamen eas diuinæ Litteræ nunc [A] telis aranearum, nunc [B] ſpumæ Maris, nunc [C] ventis, [D] frondibuſve compararint. Iacet ager aliquis, decumbitque

A Pſal. 38. u. 12. Iob. c. 8. u. 14.
B Oſeæ c. 10. u. 7. Sap. c. 5. u. 15.
C Iob c. 7. u. 7.
D Iob c. 13 u. 25

N lec-

lectulo, tamquam conditus ſepulchro viuus, iamque deplorata, et deſperata ſalute, permittitur, permiſſaque ei licentia rerum omnium, noxio potu reſtinguit ſitim, qui intus vrit, et quæcumque appetiuit alia ei præbentur. Quis vnquam inuiderit ægro illi infauſtas epulas, quas deſtinatus ille morti exiguo ante mortem tempore guſtat? Tota hæc vita nihil ſanè aliud eſt, quàm breue ſpatium, quod Deus, et Natura ad moriendum conceſſere homini. Debemus igitur contempta rerum humanarum vanitate, ſpectare tantummodo diuinas, ponereque ibi omnia; idque faciemus præpotentum virorum, prædiuitumque ritu, apud quos viliſſima ſolent eſſe quæ mendici homines plurimì æſtimant, et oblatas ſibi huiuſmodi res, appoſitaſve non ſine indignatione repudiarent. Numquam enim eorum aliquis, aut veſtem elegantiorem, aut pretioſum capiti tegumen, calceoſve fabrefactos faſtu elatus appetiuerit. Mendici perſonam ſuſtinet peccator: diuites ſunt qui diuina præcepta ſequuntur; idque ſacrarum Litterarum auctoritate demonſtrare promptum mihi eſſet. Quòd ſi diuinorum conſiliorum, quæ longiſſimè captum noſtrum exuperant, rationem aliquam exquirere, et aſſignare velimus, debuerat Deus manifeſtè, atque euidenter vitæ huius commoda repudiare ob cauſam

quoque

quoque iſtam. Nam ſi ſpreta illa, et repudiata Numini, tantì ſiunt apud homines, quid fieret, ſi Deus ea ſibi ſumpſiſſet? Obſcura præterea iſta, obtuſaque mentes ita arbitrarentur; nullam aliam eſſe vitam præter hanc, quam in tenebris viuunt: ſenſuumque tantummodo ductu progredientes nihil aliud ſpectarent, quàm vt peruenire poſſent illuc, quò ſecta impura Epicureorum per laſciuias, epulaſque contendebat. Nimis fœda ſunt iſta, nimiùmque ſordidum Epicuri abdomen, inquiet aliquis, animique liberales honeſta loca frequentare aſſueti ab ſordibus hiſce refugiunt, atque abhorrent. Nihil veriùs hoc ipſo eſſe deberet, auditores, ſed tyrannide ſenſuum violenta, et impotente cæcamur, carcereque profundo demerſi tenemur, ita vt vix lumen vllum adſpicere noſtra mens poſſit. Atque Sanctus Auguſtinus de ſe nonnulla verba ſcripta reliquit, quæ eiuſmodi ſunt, vt niſi ad ſalutem, diſciplinamque noſtram ſcripta eſſent, cadere in eum potuiſſe ne ſuſpicari quidem abſque flagitio licitum eſſet. Ea verba, ſicuti ſunt ſcripta, referam. Sunt autem huiuſmodi. Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite niſi metus mortis, & futuri iudicij tui, qui per varias quidem opiniones numquam tamen receſſit de pectore meo. *Et paulò* Auguſt. libr. 6. Confeſſ. cap. 16.

poſt; Epicurum accepturum fuiſse palmam, in animo meo niſi ego crediidiſſem, poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum quod Epicurus credere noluit. *Ideo grauiſsimè errant, qui Epicureorum ſectæ fauere ſe ſimulantes, offenduntur felicitate, calamitatibuſve alienis, tamquam hac finita vita, nulla alia ſuperſit. Heu peccatores! Simillimi eſtis Lunæ, quæ infimo orbe circumacta tantò plus lucis oſtendit; quantò longiùs à Sole abſceſsit. Idque offenſionis et ſcandali diſcrimen, atque temeritatem magnoperè perhorreſcere viſus eſt Pro-*
Pſal 68. u. 7. & ſeq. *pheta, cùm ità caneret*; Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum. Non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.
Iuſt. Martyr Ad Orth quæſt. & reſp, 126. *Et Iuſtinus Martyr ſuper ea re copioſè diſputat quam ob cauſam Deus cùm multa bona Abrahamo, et Iſaaco iuſtis hominibus, ſanctiſque tribuiſſet, eadem poſtea cultoribus inſanis Deorum inanium tribuerit. Immo, ait ille, dum per terras omnes vigeret genticus error, tunc videri potuiſse gentes ipſas lætiſsimos habere rerum omnium euentus: vbi verò Christiana ſacra ſuſcepta ſint, moleſtias, ærumnaſque inceſsiſse, atque reliquias ipſas euerſarum Græciæ Ciuitatum teſtes eſse priſ-*

tina

tinæ felicitatis, et monumenta eadem præſentium ærumnarum. Quæ falſa argumenta Gentium Iuſtinus idem ita confutat, vt dicat, pluuias ſimul, et munera Solis temporibus illis non tam ad iuſtorum, quàm ad improborum vtilitatem præbita fuiſſe: ſi vetera repetantur, Aſſyrios quoque et Babylones, et Niniuitas fuiſſe deletos: non fertilitatem agrorum, magnitudinemve vrbium, adiumve Regiarum argumento eſſe poſſe tamquam homines iſti, quibus ea bona contigerunt, fuerint cæteris meliores, atque ſanctiores, meritaque et ſanctimoniam eorum, qui cæteris anteferuntur, in animi bonis, actionibuſque præclaris poſitam eſſe. Alia fuerunt etiam calumniæ Gentium in Chriſtianam Fidem circa ea, quæ proſperè, ſiue ſecus euenirent. Celſuſque, qui ipſe fortaſſe Epicureus erat, longas ſuper ea re diſputationes cum Origene habuit, eiuſque Celſi verba referam, quò veritas magis in promptu ſit. Origen. libr. 8. contra Celſum. Non enim dicturus eſt, *ait Celſus*, quòd Romani à te perſuaſi relictis cæremonijs, ritibuſquè patrijs, tuum Altiſſimum, aut quomodocunquè appellandus eſt, inuocaturi ſint, vt deſcendens pugnet pro eis, nec opus ſit alijs viribus. Idem enim Deus iam antea tum hoc ipſum, tum alia maiora ſuis pollicitus, vt vos ipſi fatemini, videtis quantum vel illis,

vel

vel vobis profuerit; cum illis proſperato terrarum dominio ne glebâ quidem, aut domicilium factum ſit reliquum; vos, vbicunque per latebras erratis, queramini ad ſupplicium. *Quæ Celſi verba ita ab Origene confutata ſunt, vt fractus ille, confuſuſque obmutuerit. Dico præterea, non eſſe nimium credendum aduerſæ, proſperæve fortunæ, nimiumve ſpei in ea collocandum, cum ſcelerati homines etiam confeſſi ſint, omnia, quæ experirentur bona, ab ſceleribus flagitijſque manaſſe.* Ierem. cap. 44. v. 18. Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus, *ſic perditi illi fronte aperta profitebantur. Eaque opinio peruerſis animis tam altè ſederat, vt quidquid ſiniſtri ſibi accidiſſet, eius rei cauſam, initiumque calamitatis ad Chriſtianæ religionis opera referrent.* Euſebius lib. 9. Hiſt. Eccl. cap 6. *Narratque Euſebius, Maximum tyrannum acerrimum illum Chriſtianæ religionis inſectatorem, et hoſtem ſolenni edicto, quod æneis columnis inciſum eſſe voluit, inter cætera ſic eſſe præfatum; poſſe iam quemlibet facilè perſpicere quemadmodum et ſterilitas agrorum, et corrupti Cæli tabes, et peſtilentia, maritimæque procella, et naufragia horrenda, et terræ motus, ac fremitus, et atrocia bella, quibus ætas ea conflictaretur, haud*

haud aliunde venirent, quàm à ſuperſtitione, ſicut ipſe aiebat, Chriſtiana, quæ rerum ordinem immutaſſet, atque euertiſſet. Talia verò portenta ne concipere quidem animo Chriſtianus vllus potuiſſet, cùm alioqui plerique noſtrum effusè appetant res humanas, fortunamque ſecundam veluti Numen adorent. O perditos mores! Quis vos docuit tantì facere ſuperbiam, et luxum, deliciaſque, et honores? Quis hæc venenata deſideria conciuit, quæ perpetua flamma pectus vrunt, accenduntque mentem, et ab omni alia cogitatione auerſos, mortalium rerum incendio inuoluunt? Nonne millies, quandocumque animi impetus tulit, verba illa deſperati Ezechiæ pronunciatis, qui cæleſtem pœnam ſibi imminentem videns, nimio amore ſui captus, ita locutus eſt; Bonus ſermo Domini, quem locutus es: ſit pax & veritas in diebus meis. *Hos ergo homines libenter appellauerim perfidos fideles, et ſine Deo Chriſtianos. Sufficit peccatori ſuperbia, liuorque: ſufficit inanis aura, fauorque popularis, multaque futuri ſpes: ſufficit libidinum tabes, ſordeſque et cœnum: ſæuitiaque, et fraudes, et meditamenta impura ſufficiunt. Sed et intelligant iſti oportet, ſuffectura inuitis damna, quæ Dei hoſtes manent, ignes nempe ſempiternos, et plenam tormentorum æternitatem. Iam nunc inducite*

4. Reg. cap. 20. u. 19. & Iſai. cap. 39. u. 8.

animum, carere cæleſti Patria, carere adſpectu diuino, non eſſe ciues Angelorum, ſed terræ voraginibus, carcereque perpetuo attineri. An fortaſſe diſplicent iſta vobis? Certè non diſplicent. Deliberatum enim, ſtatutumque habetis pergere peccare, effuſèque ſequi culpas abſque doloris vllo morſu, vt vitæ veſtræ finem damnatio æterna excipiat. Heu infelices animæ, heu perditi mortales, qui ſempiternum exitium vltro elegiſtis, atque vltro ruitis illuc.

PASTORIS OFFICIVM ſingulis hominibus magnopere conuenire.

CONCIO XIV.

Lucæ cap. 2. u. 8.

ET Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. *Affirmo planè ego, auditores, inter munera omnia, quæ mortales obeunt, nullum eſſe, quod aquè communiter magis ad ſingulos, vniuerſoſque pertineat, quàm hoc paſtorale munus. Non iam id exequi aggrediar, quod ſatis manifeſtum eſt, nos nempe ſacros Cuſtodes animarum paſſim in ſacris Litteris aſſimilatos eſſe paſtoribus, eoſque præterea, qui Ciuitatibus,*

uitatibus, Regniſque præſunt; à Græco Scriptore, qui, ſicuti fama eſt, oculorum lumine orbus, mentis acie perſpicaciſsimus omnium, ſapientiſsimuſque fuit, paſtores eſſe nuncupatos. Videmus enim in communi vita frequentiſſimum, quotidianumque hoc, vt qui validior eſt, propulſet ab infirmiore vim infeſtam; fortiſque animo pauidum alterum, trepidumque tueatur; diues egeſtati, famique alienæ ſubueniat; prouiduſque ſenex iuuenis incauti pericula proſpiciat; nobiles obſcuris imperitent, atque dominentur: quæ omnia munera, et curæ, ſicut quilibet videre poteſt, referunt atque imitantur eorum curam, qui tuentur greges, minimèque à paſtoralis officij naturà, et ſimilitudine abhorrent. Atque lenitatem muneris officijque huius imitando doctores etiam, magiſtrique ſcientiarum, ſede ſua ſedent pabula præbentes animis; viamque virtutis, et itinera honeſti oſtendunt. Itaque, qui iudicio, ſapientiaque excellunt, moderantur eis, qui ſunt ingenio, naturaque tardiores; ægerque ille vi morbi lectulo affixus, ab amico fideli confirmatur, atque ſubleuatur. Natura quin etiam ipſa, quæ hominibus eſt dux, et magiſtra viuendi, homines ipſos varijs inter ſe vinculis adſtrinxit, atque ligauit, vt alijs alij præſidio inuicem, auxilioque ſint. Ita pater, numquam ſui muneris immemor,

filio fert opem; cæterique ſanguine iuncti beneficia communicant. Verùm inter honores omnes, qui paſtorali muneri conſuetudine mortalium tribui poſſe videntur, maximum cenſeo eſſe honorem, quòd forma vitæ paſtoralis variè, multiſque modis formam, et diſciplinam chriſtianæ vitæ repræſentat. Quæ ſanè comparatio humilior, et obſcurior fortaſſe cuipiam videri poßet, niſi diuina eloquentia Nazianzenus multis ante ſæculis perfecti chriſtiani mores arbori fabuloſæ comparare inſtitiſſet. Arbor, inquit ille, vna reperitur, quæ reciſa reuiuiſcit, exurgitque victo ferro: quodque mirabilius arboris generoſæ ingenium eſt, alitur hac morte ſua, tantòque lætior renaſcitur, quantò magis ſunt reciſæ ſtirpes, inſituſque vigor augetur iniurijs, et vi infeſta. Hoc illuſtri exemplo confirmatus etiam ego, ita vos alloquor. Vides Paſtorem in ſaxo, rupeque ſedentem procul à delicijs, luxuque omni vitam agere innoxiam et beatam. Vides tuguria illius clauſa auaritiæ, clauſa fraudibus, nec lucri cupidinem illuc, nec tyrannicam vim penetrare poſſe. Vides nocturnis horis ſidera lucidiora contemplantem, motuſque eorum, arcanaque Numinis, et miracula Naturæ per ſilentium innoteſcere illi. Vides procul à vallium, nemorumque receſſu, vbi ſedet ille, abeſſe querulas debitorum voces, iurgiaque litigatorum,

Greg. Nazianzenus Orat. 23. poſt med.

gatorum, et tributa exigentium vim, atque importunitatem. Sed inſuper videte, et conſiderate, quemadmodum paſtores iſti modico, leuique cibo tolerent vitam, atque per aſpera paſcua incedant in duris, agreſtibuſque veſtimentis, vtque riuos aquarum argento, cinctuſque ſuos è pellibus anteponant aureis zonis. Audite, quemadmodum tugurij ſui tecto propulſent niues, glaciemque, et ventos, et pruinas, ardoreſque Solis, iniuriaſque anni temporum pectore inuicto ſuſtineant. Attendite, quemadmodum oderint iſti, fugiantque ſtrepitum humanarum rerum, curaſque ciuiles, et limina potentum, lætique nemoribus, et ſiluis, nuſquam intermiſſa ſui gregis cura, noctem, diemque vigiles agant, ſectando pabula vtiliora ſemper, tutioreſque tramites et ſalubriores aquas. Attendite demum, quemadmodum fidiſſimi iſti cuſtodes aduerſus vim, impetumque ferarum exurgant impetu pari, ſtrenuèque dimicent, vt gregem tueantur. O paſtoralis vitæ decora, laudeſque præclaras! O vitam ſimilem ei vitæ, quæ propria debet eſſe Chriſti fidelium, quibus numeroſiſſimi gregis cuſtodia concredita eſt! Nonne enim corpus hoc noſtrum, et hæc noſtra caro bellua inſtar eſt? Nonne fertur hæc ſoluta, et effuſa impetu vehementi? Nonne tygri potius, aut leoni comparanda eſt, quàm

animali vlli manſueto? Negari non poteſt, auditores, beſtias feriſſimas eſſe ſenſus noſtros, poſtquam peccati labe deprauati fuerunt. Hæ nobis belluæ regendæ ſunt, frænandæque, et caſtigandæ, alendæque etiam, et firmandæ quiete neceſſaria. Quorum aliquid vbi prætermiſſum, neglectumque eſt, mens noſtra contagione ſenſuum adeo effertur, vt ſæuiendo atrociter introrſus belluarum more agat, tractatque in præceps etiam noſtra voluntate, imbuat hanc ſuis moribus, ſecumque vnà euertat. Huius itaque gregis cuſtodes nos, paſtoreſque ſumus. Sed quanti refert, auditores, in quo quiſque loco pabuletur? Et Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. *Ibi, non alibi, gregem paſcebant. Minimè dubium eſt, Mediolanenſes, quin ſi Deus tunc potentiæ ſuæ vim infinitam explicare voluiſſet in vltimo illo receſſu terrarum, ſtatim Angeli apparituri fuiſſent Paſtoribus, miraculaque præſepij, et ſplendores, cæleſtiumque Spirituum voces ibi etiam potuiſſent audiri: ſed ſi ad id, quod probabile videri poteſt, accommodanda noſtra oratio eſt, dico ego non futuros fuiſſe in parte vlla myſteriorum diuinorum Paſtores, ſi tunc procul à Bethlehemiticis campis, regioneque illa felici abfuiſſent. Et locus, et tempus, et occaſio, et hora vigil, et cuſtodia*

illa

illa gregis, et omnia ſimul hæc cumulum eis attulere bonorum omnium. O beatos Paſtores, ò felices campos, ò ſuaues amœnaſque herbas, quæ paſtoralem hunc cœtum ibi attinuere! Credo ego multos eorum, qui hìc adſunt, talia dicere, et tacitè loqui ſecum. Illic igitur erant Paſtores: ideoque Græcè legitur ΑΓΡΑΥΛΟΥΝΤΕΣ, *ideſt* in agro agentes; *aut, ſicuti alij interpretantur,* in agro ſtabulantes: *et Syriacè apertiùs;* Erant autem Paſtores in ea regione, qui degebant illic, & cuſtodiebant. *Teophilatus verò habet;* Ruſticantes, & excubantes excubias; *ſiuè* in agro ſtabulantes, & verſantes. *Ad læta hæc paſcua referri poſſe videtur id, quod de popularibus ſuis Iſaias aiebat;* Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. *O gentem Hebræorum infelicem, cui tanta olim è Cælo bona obtigerunt! Non iam tibi, ſicut olim, plauditur: conticuere fauſtæ acclamationes, perfunditurque tibi lacrymarum flumine pectus. Vos verò, Mediolanenſes, tantis, et vetere, et recenti memoria cumulati muneribus, canere meritò poteſtis illud triumphale carmen;* Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. *Tanta illuſtrium exemplorum lux, tanta copia*

Iſaiæ cap. 5. n. 1.

cæleſtis

cæleſtis diſciplinæ, hominumque diuinorum, tot vobis miracula oblata diuinitus, cogunt id ſæpius iterare carmen, ſæpiuſque plaudere publicæ felicitati. Numquam enim dici poterit, procul ab hac terra natum eſſe Deum, potiuſque hìc in vi-
Pſalm. 32. n. 12. *cino natus ille dici poteſt.* Beata gens, cuius eſt Dominus, Deus eius; populus, quem elegit in hereditatem ſibi. *Sic omnes vna voce gratulari poſſumus, et plaudere tam fortunatæ vrbi. Poſſentque cuncta perſonare plauſu, lætiſque vocibus, niſi fauſta iſta et læta pœnæ graues illicò ſequerentur. Non tela tantùm, ſed etiam munera pauere Numinis debemus: trepidandum tunc maximè nobis eſt, cùm proſperrimè omnia fluunt. Poterit fortaſſe vobis eſſe admirationi, auditores, quòd repetantur à me ea ipſa, quæ vobiſcum ſæpius è ſuperiore loco egi. Cæterùm ego magis admirarer, ſi alia potiùs, libentiùſque dicerem, et niſi in animo haberem in poſterum ſæpius hæc ipſa vobiſcum agere, atque tractare ſermonibus meis. Sicuti debitores admiſſam in credito ſoluendo negligentiam multiplicato fænore luunt: ita delicias, et commoda veſtra miſeriæ multiplices excipient, quarum atrocitatem animus noſter maximè reformidabit. Tunc, cùm in tuum ipſius caput pœnæ cæleſtes cadere incipient, cogitare debebis, id eodem die, eademque*

hora

hora euenire tibi, qua die, quave hora cæleſtia munera contemnere cœpiſti. Tranſite in Chalane, & videte, & ite inde in Emath magnam: & deſcendite in Geth Palæſthinorum, & ad optima quæque regna horum: ſi latior terminus eorum termino veſtro eſt. *Ingrati Principes Iſraelitarum dimetimini cogitatione, animoque veſtro campos illos latè patentes, felicia dorſa montium, colleſque amœnos, celeberrimas vrbes, et munitiſſima caſtella, atque hæc omnia comparate muneribus, quæ diuinitus obtigere vobis, quibuſve tantoperè abundatis. Quæ tamen interim veſtra vita, quive mores ſunt?* Qui ſeparati eſtis in diem malum: & appropinquatis ſolio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij: ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. *Hanc meſſem, fructuſque iſtos conuehitis ex poſſeßionibus, agriſque, quos vobis ampliſsimos, vberrimoſque Diuina liberalitas elargita erat. Cæterùm, intentus quiſque veſtrum, ſolicituſque ſit, vt hæc ampliſsima prædia, ſpatioſoſque campos egregiè colat, vbi diuina*

Amos cap. 6. n. 2.

Ibidem n. 3. & ſeq.

vel vobis profuerit; cum illis pro ſperato terrarum dominio ne glebâ quidem, aut domicilium factum ſit reliquum; vos, vbicunque per latebras erratis, quęramini ad ſupplicium: *Quæ Celſi verba ità ab Origene confutata ſunt, vt fractus ille, confuſuſque obmutuerit. Dico præterea, non eſſe nimium credendum aduerſæ, proſperæve fortunæ, nimiumve ſpei in ea collocandum, cum ſcelerati homines etiam confeſſi ſint, omnia, quæ experirentur bona, ab ſceleribus flagitijſque manaſſe.* Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus, *ſic perditi illi fronte aperta profitebantur. Eaque opinio peruerſis animis tam altè ſederat, vt quidquid ſiniſtri ſibi accidiſſet, eius rei cauſam, initiumque calamitatis ad Chriſtianæ religionis opera referrent. Narratque Euſebius, Maximum tyrannum acerrimum illum Chriſtianæ religionis inſectatorem, et hoſtem ſolenni edicto, quod æneis columnis inciſum eſſe voluit, inter cætera ſic eſſe præfatum; poſſe iam quemlibet facilè perſpicere quemadmodum et ſterilitas agrorum, et corrupti Cæli tabes, et peſtilentia, maritimæque procellæ, et naufragia horrenda, et terræ motus, ac fremitus, et atrocia bella, quibus ætas ea conflictaretur; haud*

Ierem. cap. 44. ù 18.

Euſebius lib. 9. Hiſt. Eccl. cap 6.

Digitized by Google

haud aliunde venirent, quàm à ſuperſtitione, ſicut ipſe aiebat, Chriſtiana, quæ rerum ordinem immutaſſet, atque euertiſſet. Talia verò portenta ne concipere quidem animo Chriſtianus vllus potuiſſet, cùm alioqui plerique noſtrum effusè appetant res humanas, fortunamque ſecundam veluti Numen adorent. O perditos mores! Quis vos docuit tantì facere ſuperbiam, et luxum, deliciaſque, et honores? Quis hæc venenata deſideria conciuit, quæ perpetua flamma pectus vrunt, accenduntque mentem, et ab omni alia cogitatione auerſos, mortalium rerum incendio inuoluunt? Nonne millies, quandocumque animi impetus tulit, verba illa deſperati Ezechiæ pronunciatis, qui cæleſtem pœnam ſibi imminentem videns, nimio amore ſui captus, ita locutus eſt; Bonus ſermo Domini, quem locutus es: ſit pax & veritas in diebus meis. *Hos ergo homines libenter appellauerim perfidos fideles, et ſine Deo Chriſtianos. Sufficit peccatori ſuperbia, liuorque: ſufficit inanis aura, fauorque popularis, multaque futuri ſpes: ſufficit libidinum tabes, ſordeſque et cœnum: ſæuitiaque, et fraudes, et meditamenta impura ſufficiunt. Sed et intelligant iſti oportet, ſuffectura inuitis damna, quæ Dei hoſtes manent, ignes nempe ſempiternos, et plenam tormentorum æternitatem. Iam nunc inducite*

4. Reg. cap. 20. u. 19. & Iſai. cap. 39. u. 8.

animum,

uitatibus, Regniſque præſunt, à Græco Scriptore, qui, ſicuti fama eſt, oculorum lumine orbus, mentis acie perſpicaciſſimus omnium, ſapientiſſimuſque fuit, paſtores eſſe nuncupatos. Videmus enim in communi vita frequentiſſimum, quotidianumque hoc, vt qui validior eſt, propulſet ab infirmiore vim infeſtam; fortiſque animo pauidum alterum, trepidumque tueatur; diues egeſtati, famiquæ aliena ſubueniat; prouiduſque ſenex iuuenis incauti pericula proſpiciat; nobiles obſcuris imperitent, atque dominentur: quæ omnia munera, et curæ, ſicut quilibet videre poteſt, referunt atque imitantur eorum curam, qui tuentur greges, minimèque à paſtoralis officij naturâ, et ſimilitudine abhorrent. Atque lenitatem muneris officijque huius imitando doctores etiam, magiſtrique ſcientiarum, ſede ſua ſedent pabula prabentes animis, viamque virtutis, et itinera honeſti oſtendunt. Itaque, qui iudicio, ſapientiaque excellunt, moderantur eis, qui ſunt ingenio, naturaque tardiores; ægerque ille vi morbi lectulo affixus, ab amico fideli confirmatur, atque ſubleuatur. Natura quin etiam ipſa, quæ hominibus eſt dux, et magiſtra viuendi, homines ipſos varijs inter ſe vinculis adſtrinxit, atque ligauit, vt alijs alij præſidio inuicem, auxilioque ſint. Ita pater, numquam ſui muneris immemor,

O filio

filio fert opem; cæteriſque ſanguine iuncti beneficia communicant. Verùm inter honores omnes, qui paſtorali muneri conſuetudine mortalium tribui poſſe videntur, maximum cenſeo eſſe honorem, quòd forma vitæ paſtoralis variè, multiſque modis formam, et diſciplinam chriſtianæ vitæ repræſentat. Quæ ſanè comparatio humilior, et obſcurior fortaſſe cuipiam videri poſſet, niſi diuina eloquentia Nazianzenus multis ante ſæculis perfecti chriſtiani mores arbori fabuloſæ comparare inſtituiſſet. Arbor, inquit ille, vna reperitur, quæ reciſa reuiuiſcit, exurgitque victo ferro: quodque mirabilius arboris generoſæ ingenium eſt, alitur hac morte ſua, tantòque lætior renaſcitur, quantò magis ſunt reciſæ ſtirpes, inſituſque vigor augetur iniurijs, et vi infeſta. Hoc illuſtri exemplo confirmatus etiam ego, ita vos alloquor. Vides Paſtorem in ſaxo, rupeque ſedentem procul à delicijs, luxuque omni vitam agere innoxiam et beatam. Vides tuguria illius clauſa auaritiæ, clauſa fraudibus, nec lucri cupidinem illuc, nec tyrannicam vim penetrare poſſe. Vides nocturnis horis ſidera lucidiora contemplantem, motuſque eorum, arcanaque Numinis, et miracula Naturæ per ſilentium innoteſcere illi. Vides procul à vallium, nemorumque receſſu, vbi ſedet ille, abeſſe querulas debitorum voces, iurgiaque litigatorum,

Greg. Nazianzenus Orat. 23. poſt med.

gatorum, et tributa exigentium vim, atque importunitatem. Sed inſuper videte, et conſiderate, quemadmodum paſtores iſti modico, leuique cibo tolerent vitam, atque per aſpera paſcua incedant in duris, agreſtibuſque veſtimentis, vtque riuos aquarum argento, cinctuſque ſuos è pellibus anteponant aureis zonis. Audite, quemadmodum tugurij ſui tecto propulſent niues, glaciemque, et ventos, et pruinas, ardoreſque Solis, iniuriaſque anni temporum pectore inuicto ſuſtineant. Attendite, quemadmodum oderint iſti, fugiantque ſtrepitum humanarum rerum, curaſque ciuiles, et limina potentum, lætique nemoribus, et ſiluis, nuſquam intermiſſa ſui gregis cura, noctem, diemque vigiles agant, ſectando pabula vtiliora ſemper, tutioreſque tramites et ſalubriores aquas. Attendite demum, quemadmodum fidiſſimi iſti cuſtodes aduersùs vim, impetumque ferarum exurgant impetu pari, ſtrenuèque dimicent, vt gregem tueantur. O paſtoralis vitæ decora, laudeſque præclaras! O vitam ſimilem ei vitæ, quæ propria debet eſſe Chriſti fidelium, quibus numeroſiſsimi gregis cuſtodia concredita eſt! Nonne enim corpus hoc noſtrum, et hæc noſtra caro bellua inſtar eſt? Nonne fertur hæc ſoluta, et effuſa impetu vehementi? Nonne tygri potius, aut leoni comparanda eſt, quàm

O 2 ani-

animali vlli manſueto? Negari non poteſt, auditores, beſtias feriſsimas eſſe ſenſus noſtros, poſtquam peccati labe deprauati fuerunt. Hæ nobis belluæ regendæ ſunt, frænandæque, et caſtigandæ, alendæque etiam, et firmandæ quiete neceſſaria. Quorum aliquid vbi prætermiſſum, neglectumque eſt, mens noſtra contagione ſenſuum adeo effertur, vt ſæuiendo atrociter introrſus belluarum more agat, tractatque in præceps etiam noſtra voluntate, imbuat hanc ſuis moribus, ſecumque vnà euertat. Huius itaque gregis cuſtodes nos, paſtoreſque ſumus. Sed quanti refert, auditores, in quo quiſque loco pabuletur? Et Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum: *Ibi, non alibi, gregem paſcebant. Minimè dubium eſt, Mediolanenſes, quin ſi Deus tunc potentiæ ſuæ vim infinitam explicare voluiſſet in vltimo illo receſſu terrarum, ſtatim Angeli apparituri fuiſſent Paſtoribus, miraculaque præſepij, et ſplendores, cæleſtiumque Spirituum voces ibi etiam potuißent audiri: ſed ſi ad id, quod probabile videri poteſt, accommodanda noſtra oratio eſt, dico ego non futuros fuiße in parte vlla myſteriorum diuinorum Paſtores, ſi tunc procul à Bethlehemiticis campis, regioneque illa felici abfuißent. Et locus, et tempus, et occaſio, et hora vigil, et cuſtodia*

illa

illa gregis, et omnia ſimul hæc cumulum eis attulere bonorum omnium. O beatos Paſtores, ò felices campos, ò ſuaues amœnaſque herbas, quæ paſtoralem hunc cœtum ibi attinuere! Credo ego multos eorum, qui hìc adſunt, talia dicere, et tacitè loqui ſecum. Illic igitur erant Paſtores: ideoque Græcè legitur ΑΓΡΑΥΛΟΥΝΤΕΣ, *ideſt* in agro agentes; *aut, ſicuti alij interpretantur,* in agro ſtabulantes: *et Syriacè apertiùs;* Erant autem Paſtores in ea regione, qui degebant illic, & cuſtodiebant. *Teophilatus verò habet;* Ruſticantes, & excubantes excubias; *ſiuè* in agro ſtabulantes, & verſantes. *Ad læta hæc paſcua referri poſſe videtur id, quod de popularibus ſuis Iſaias aiebat;* Cantabo dilecto meo canticum Iſaiæ cap. 5. u. 1.
patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. *O gentem Hebræorum infelicem, cui tanta olim è Cælo bona obtigerunt! Non iam tibi, ſicut olim, plauditur: conticuere fauſtæ acclamationes, perfunditurque tibi lacrymarum flumine pectus. Vos verò, Mediolanenſes, tantis, et vetere, et recenti memoria cumulati muneribus, canere meritò poteſtis illud triumphale carmen;* Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. *Tanta illuſtrium exemplorum lux, tanta copia*

cæleſtis

cæleſtis diſciplinæ, hominumque diuinorum, tot vobis miracula oblata diuinitus, cogunt id ſæpius iterare carmen, ſæpiuſque plaudere publicæ felicitati. Numquam enim dici poterit, procul ab hac terra natum eſſe Deum, potiuſque hìc in vi-
Pſalm. 32. u. 12. *cino natus ille dici poteſt.* Beata gens, cuius eſt Dominus, Deus eius; populus, quem elegit in hereditatem ſibi. *Sic omnes vna voce gratulari poſſumus, et plaudere tam fortunatæ vrbi. Poſſentque cuncta perſonare plauſu, lætiſque vocibus, niſi fauſta iſta et læta pœnæ graues illicò ſequerentur. Non tela tantùm, ſed etiam munera pauere Numinis debemus: trepidandum tunc maximè nobis eſt, cùm proſperrimè omnia fluunt. Poterit fortaſſe vobis eſſe admirationi, auditores, quòd repetantur à me ea ipſa, quæ vobiſcum ſæpius è ſuperiore loco egi. Cæterùm ego magis admirarer, ſi alia potiùs, libentiùſque dicerem, et niſi in animo haberem in poſterum ſæpius hæc ipſa vobiſcum agere, atque tractare ſermonibus meis. Sicuti debitores admiſſam in credito ſoluendo negligentiam multiplicato fænore luunt: ita delicias, et commoda veſtra miſeriæ multiplices excipient, quarum atrocitatem animus noſter maximè reformidabit. Tunc, cùm in tuum ipſius caput pœnæ cæleſtes cadere incipient, cogitare debebis, id eodem die, eademque*

hora

hora euenire tibi, qua die, quave hora cæleſtia munera contemnere cæpiſti. Tranſite in Chalane, & videte, & ite inde in Emath magnam: & deſcendite in Geth Palæſthinorum, & ad optima quæque regna horum: ſi latior terminus eorum termino veſtro eſt. *Ingrati Principes Iſraelitarum dimetimini cogitatione, animoque veſtro campos illos latè patentes, felicia dorſa montium, colleſque amœnos, celeberrimas vrbes, et munitiſſima caſtella, atque hæc omnia comparate muneribus, quæ diuinitus obtigere vobis, quibuſve tantoperè abundatis. Quæ tamen interim veſtra vita, quive mores ſunt?* Amos cap. 6. n. 2.

Qui ſeparati eſtis in diem malum: & appropinquatis ſolio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij: ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. *Hanc meſſem, fructuſque iſtos conuehitis ex poſſeſſionibus, agriſque, quos vobis ampliſſimos, vberrimoſque Diuina liberalitas elargita erat. Cæterùm, intentus quiſque veſtrum, ſolicituſque ſit, vt hæc ampliſſima prædia, ſpatioſoſque campos egregiè colat, vbi diuina* Ibidem n. 3. & ſeq.

uina ira, damnationiſque veſtra ſemen germinat omnibus boris, aſsiduoque incremento augetur. Ex beneficiorum igitur ſemente peccata germinabunt? Tuque vrbs magna, Mediolanum, quia fertilitate ſoli, boniſque cæteris multas aliarum vrbium antecellis, ideo ſempiternum exitium hinc habere voles? Vultiſne bona veſtra agnoſcere, ſimulque animos veſtros ingratos, atque contumaces? Inſpicite mala aliena, et tamquam in editi montis vertice mecum circumferte in omnes partes oculos, atque ſubijcite vobis ipſi multas infelices terras, multas ſqualidas arenteſque ſolitudines, inculta vallium abdita, et longinqua litorum, et Oceani ſinus occultos, quò nulli adhuc penetrauere radij cæleſtis lucis, quæ apud vos cuncta illuſtrat, atque obtinet. Inſpicite obſeſſa, et infeſta latrocinijs itinera, ſtratos, albenteſque oſsibus campos, et manantes ſanguine vias opera bellorum atrocium. Sed conſiderate inſuper quàm multi pij homines, et capita deuota Chriſto quàm multa per varias terrarum partes, quia paſtore carent, neceſſarioque ſubſidio deſtituuntur, ſolicitam, et inopem conſilij vitam agant ſine regimine animi, ſine duce ſalutis. At vobis copioſè iſta affluunt, ſuppetuntque: et ingrati tamen erga tantum, ac tale munus eſtis, perfidique et rebelles iſta contemnitis. Addite,

quòd

quòd deſerti iſti, et barbari, et relicti ita ſuperſtitionibus, erroribuſque ſuis, ſalui eſſe poſſent, ſi bonorum eorum parte fruerentur, quæ ſuperant, abundantque nobis. Atque hic tamen ea bona contemnuntur. Quòd cum ita ſit, quam tandem ſupremi Iudicis expectare ſententiam debemus, quemve rerum noſtrarum exitum in eo iudicio futurum eſſe arbitramur? Proponite vobis ante oculos faciem, imaginemque hanc tamquam de vniuerſo mortalium genere iudicaturus Deus conſtiterit ſede ſua ſublimis. Ab vna parte ſtent barbaræ gentes, miſerique illi, qui veritatis lumen adſpexere numquam, ſtentque aggregati iſtis etiam infelices illi, quibus ea lux parcè, et reſtrictè admodum conceſſa fuit. Ab altera parte poſita ſit hæc ipſa ciuitas tot cumulata bonis, tot per omne tempus aucta muneribus è Cælo: quæ munera tamen et inſtrumenta ſalutis ingratè habuit, atque contempſit. Cùm adſperneris vltro dona, neque poßidere velis, credes te quidem fore ſaluum, illos verò perituros? Qui deſtituti neceſſaria ad ſalutem ope iacent, exitio ſempiterno tradentur: vos inter tot munera oblata ſimul et ſpreta, ſalutem adipiſci poteritis? Tu qui manu tantùm exporrecta tenere Paradiſum potes, idque negligis, triumphans inibis Cælum: cæteri velut in ſolitudine vaſta, ſubſidio omni negato,

P ab-

abſciſſoque peribunt? Tu ſola ciuitas, deliciæ, amoreſque Numinis eris, illi reiecti, vileſq; erunt: tu Cæli heres, illi exules: tu filia, ſerui illi, vel potiùs hoſtium loco habebuntur? O diuinæ Iuſtitiæ lances et pondera nuſquam iniqua, nuſquam inclinata in partem alteram, quomodo nunc inæquali examine ac momento libratam hanc rem tenebunt? Nationes exteræ igitur, auditores, ſi nobiſcum comparatæ erunt, ægrè traijcient humanæ vitæ procelloſum hoc pelagus, portumque ſalutis capient: ciuitati, populoque huic, ne ſi velit quidem, ad exitium ruere, procliue id expeditumque erit. Quòd ſi audientes talia nonnulli, rem ſibi fauſtam, lætamque interpretantur, ſciant ſpe vana ſuſtentari ipſos, nec vtique vitaturos exitium, à quo ſe abeſſe putant. Perit, damnaturque auarus ob ſacram, perpetuamque famem auri: pereunt, damnanturque ſuperbi, qui ad honores, et magiſtratus, per æqua, per iniqua nituntur. Quæ cùm ita ſe habeant, quemadmodum à me demonſtratum eſt, crederene aliquis poterit Diuinæ Iuſtitiæ diſpenſatione ſaluos potiùs eſſe illos, quibus obſepta ad exitium omnia fuere, vltroque tamen contendere illuc, quàm alios, quibus in arcto et difficili ſalus fuit? Te placidè, tranquillèque dormitantem æterna gaudia excipient? Tibi ſomnolento, atque oſcitanti, qui nuper

iacebas

iacebas molli pluma demerſus, gaudia ſempiterna deſtinata erunt? Nihil erit ante Diuinæ Iuſtitiæ Tribunal infelicius vobis, atque difficilius, auditores, hoc ipſo, quod occaſioni veſtræ defuiſtis. Diuine Vates, quàm lamentabili carmine generis humani conditionem, ſtatumquè deſcripſiſti. Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi: & ignis hoſtes tuos deuoret. *Hæc fuit damnati latronis culpa, ſicut ego arbitror, dum Saluator è Cruce penderet. Quàm multa incitamenta ad ſalutem ille habuit? Terræ fremitus, petræ diſsilientes, offuſus ſubita caligine aer, flectere pectus illud potuerant. Præterea, vox illa generoſa Centurionis, manſueta verba Chriſti, latroniſque alterius exemplum, et hortatio, et ipſius Chriſti promiſſum ingens frangere pertinaciam debuerant. Ille tamen obſtinato ſilentio defixus, cùm vel capitis motu vel nutu, ſignificationeque aliqua ſaluus eſſe poſſet, æternum perijt. An deſunt vobis, Mediolanenſes, exempla, et ſigna cæleſtia, voceſque et miracula, quæ moueant vobis, vertantque animos? Credo itaque ego, et ita affirmo, peccatores, qui Mediolani viuunt, propriè et verè latrones poſſe*

Iſaiæ cap. 26. n. 10. & ſeq.

appellari, per quos Chriſto illuditur. Inter tot diuina munera, in terra Palæſtinæ medio, in ſede ipſa ſanctitatis, atque religionis perſeuerant obſtinati pertinaces, nuſquam mente, animoque commoti. Generatio praua atque peruerſa. Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? *Grex fœdiſſime, beſtiæ loquentes, ſiccine gratiæ Deo aguntur? Hæ gratiæ Saluatori refertur? Hæc grati animi teſtimonia?* Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? *Non te ille ex duriſſima ſeruitute excepit? Non te redemit? Sed ante hæc omnia nonne prius te crearat?* Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. *Repete quiſquis es ingratus, ſuperiorum temporum memoriam, ibi ſubtiliſſimè intexta, atque ad viuum expreſſa beneficia videbis.* Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. *Quòd ſi ſatis ipſe per te iſta non vides, percunctare peritos antiquitatum, ijque tibi origines tuas euoluent, atque indicabunt. Nonne eſt vrbs iſta Mediolanum? Nonne populus iſte; qui Italiæ toti præbuit exempla pietatis, religioniſque Chriſtianæ? Quòd ſi ita eſt, quomodo tandem ſuſtinebunt oculi quoſdam nobiles, diuiteſve, qui nocte hac ad præſepe minimè excubauerunt, nec peccata ſua confeſſi ſunt, nec*

Deut. cap. 32. n. 5. & 6.

Ibidem.

Ibidem n. 7.

Ibidem.

obierunt

obierunt myſteria altaris? Hos coërce, et caſtiga voce ingenti Ciuitas mea, atque in eo ſpiritus, animumque deprome, quem olim habuiſti. Heu prolem meam indignam ait Ciuitas: heu probrum et dedecus regionis inclytæ. Ergone per cætera terrarum Chriſtus exoriens vigiles inueniet, ſobrioſque, et ſimplices, innoxioſque: hìc tantummodò opiparè cœnatis, ludibundiſque, et fortaſſe acta inter aleam noctę comeſſabundis offeret ſe præmium otij, ſomnique, et ganeæ? Vos ſoli omnium immemores et ſegnes, ſimulque participes poteritis eſſe munerum, et gloriæ, quæ Paſtoribus euenit? In media hac ſancta terra, ſic enim appellanda eſt, ſoli vos rebelli, et hoſtili aduersùs Deum animo perſeuerabitis? Hos honores, hæc tributa, hæc ſacra nato Saluatori pro tanto cumulo donorum fertis. Sic ferè concionatur Ciuitas noſtra; parenſque hæc auditores, et tali ſua voce tubam imitatur, quæ populi olim electi culpas clariſſimo præconio promulgabat. Sic noſtra parens concionatur, vt excitet è ſomno eos, qui in huius noctis luce dormitant. Quòd ſi ſonitu, voceque iſta non excitati erunt, omnis inpoſterum ad eos vana oratio erit; nec aliud præterea quidquam expectare debebunt, quàm ſupplicium horribile, quod mox aderit è Cælo. Iſaię cap. 58. n. 1.

DE

DE ANGELI SPECIE *Paſtoribus oblata, dum gregem ſuum paſcerent.*

CONCIO XV.

SÆPE narrari audiſtis, opinor, quemadmodum prodeunte cæleſti partu intra Bethlemi ſpeluncam, haud procul inde Paſtores nonnulli ad cuſtodiam ſui gregis in ſolitudine circumiecta excubarent. Quid porrò illis interea acciderit, ſacræ Hiſtoriæ ordinem exequendo, nunc contemplari vos oportebit, et vnà vobiſcum ego verba hæc
Lucæ cap.2.n.9. *Euangelij exequar, atque contemplabor.* Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos. *Dum igitur Paſtores illi ad ſui gregis cuſtodiam intenti, ſolicitique agerent, viderunt è Cælo deſcendentem Angelum, qui capitibus eorum imminens, magis magiſque appropinquabat, tamquam eos alloqui paratus. Si attentè conſideremus hæc verba Euangeliſtæ, reperiemus valde ea apta eſſe ad manifeſtandum generi vniuerſo mortalium Filij Dei natalem, hoc ipſo nimirùm, quòd Angelum apparuiſſe Paſtoribus narrant. Namque eius horæ momento, quæ hora Saluatorem edidit, Maria tantùm, et Ioſeph conſcij fuere, nec dum vlli præterea res*

tanta

Digitized by Google

tanta innotuerat: cæteraque nota, et peruulgata, veluti ſuſceptum iter, perſolutumque tributum, et profeßio nominis non fuere eiuſmodi, vt ipſa per ſe myſterium patefacere poſſent. Quamobrem, ſtatuendum ita definiendumque eſt, hæc Euangelij verba, quæ recitata ſunt, initium ferè eſſe admirandæ narrationis de ſanctißimo Chriſti natali; quam ſanè narrationem video ego plenam eſſe ſplendoris, artiſque diuinæ, tum ad rei dignitatem, tum verò etiam ad audientium fidem. Atque venit hoc loco mihi in mentem veriſſima ſententia Origenis, qui ſcriptum ita reliquit. Quoties diuinarum Litterarum monumenta lectitaret, deſcendere in animum ſuum vim quandam occultam, atque inuſitatam, quæ ipſa argumento eſſe poſſet manaſſe illa de Cælo, ſcriptoremque ipſum artem habuiße, qua cothurno, et grauitate diuina vteretur. Proponendum in primis erat hoc, Angelos fuiße nuncios huius admirandæ rei, quoniam eorum verba ad Iſraelitas præcipuè ſpectarent, aßuetos illos videlicet longis ante temporibus, myſterijs, muneribuſque diuinis. Ita ad futuræ prolis, Saræque partus fidem Abrahamo faciendam, teſtis, ſponſorque Angelus ad Patriarcham deſcendit: alterque Angelus eiuſdem animum, pectuſque confirmauit, cùm filium ſuum immolaturus ille eßet: et per Iacobi ſcalas Angeli

Origen. libr. 4. Periar. cap. 1.

Gen. cap. 18. u. 2.

Ibidem cap. 22. u. 11.

Ibidem cap. 28. u. 12.

Angeli ſurſum, deorſumque commeantes, apparuere: profugoſque ex Ægypto Hebræos nunc antecedens, nunc ſequens agmina Angelus deducebat. Ceterùm, quoniam variæ ſunt formæ, figuræque multiplices, ſub quibus formis, et figuris beati illi Spiritus ad nos accedere poſſunt, veluti flammarum, et ventorum, nubiumque, et animalium, qualibus ſæpe formis apparuiſſe mortalibus Angelos ſacræ Litteræ teſtantur, proximæ noctis ſilentio conueniens fuit habitu, figuraque humana apparere eos, licèt de ea re nihil ab Euangeliſta traditum ſit. Corporis humani forma, ſicuti Dionyſius Areopagita ait, aptiſſima eſt ad naturam, magnitudinemque Angelorum aliquo modo repræſentandam, atque exprimendam. Nam præditus ratione homo eſt: mentis et animi ſolertia illi: capax ſcientiarum animus: liber et ſui iuris; nulli creatæ rei obnoxius, potiùſque cunctis imperitans: quæ virtutes, et dotes humanæ formæ ſimulachro in Angelorum natura exprimuntur. Sed præter communem hanc rationem, ſingularis inſuper nonnulla cauſa fuit, quamobrem humana figura tectus Angelus in hoc myſterio appareret; nempe quia nuncius aderat partus diuini, qui carnem ſumpſerat, figuramque humanam: Præterea, iuſtum fuit cæleſtes iſtos nuncios apparere luce multa circumfuſos, vt

ſtatim

Exodi cap. 14. u. 19.

Dionyſius Areopag. de Cæleſti Hier. cap. 15.

ſtatim agniti fidem obtinerent rei, quam nunciabant: idque haud perinde neceſſarium fuerat tunc, cùm Tobiam Angelus alloqueretur, eiuſque rem, et negotia tractaret. Apparuit autem Angelus procul à frequentia mortalium, propterea quòd ſolitudo et ſecretum, et vacua ſtrepitu loca ſunt aptiora myſterijs, rebuſque diuinis. Ita Moyſi Deus in ſolitudine ſe obtulit: cùmque ſolenne ſacrificium pararetur, placuit Deo, vt populus tridui itinere recederet procul à domicilijs, et ſede mortalium. Tempus inſuper eligi debuit aptum atque idoneum ſacroſanctæ viſioni, ideoque tenebræ noctis obtulere Iobo ſpiritum, viſumque illud, de quo ipſe ita tradit; In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines. Pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Et cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ leuis audiui. *Neque vnus tantummodo aliquis fuit, qui videret illa, et audiuit, cui tamen ſi auctoritas, dignitaſque eſſet, fuerat habenda fides: ſed Angeli dicta Paſtores omnes, qui ibi morabantur, audiuere, ijque communi conſenſu retulere viſa, et audita. Ita non alienis perſuaſionibus, non fallacijs, ſomnijſ-*

Tob.cap.12.u.1.
Exodi cap.3.u.2.
Ibid. cap.8.u.27
Iob cap.4.u.13

Q que

que inducti, non corrupti ab alijs, atque decepti narrauere quod factum erat, ſed ea, quæ audierant, viderantque ipſi, ſimpliciſſimè expoſuerunt. Quàm plena dignitatis iſta narratio eſt, auditores? Quàm artificioſè, ſplendidèque contexta? Quanta maieſtate principium inductum? Quàm veriſimilia, et quàm vera cuncta, et à ſolitis humanarum rerum euentibus quàm aliena et remota? Sanè ita faciendum fuerat, vt appareret non fuiſſe magis admiranda myſteria veteri populo tradita, quàm ea quæ hodie Chriſti natalem comitantur. Illic per tonitrua, et fulgura, Cælique fragores inuſitatos, tubaque ſonitus, et non viſas antea flammas Iſraelitarum genti fides fiebat, erántque certiſſima teſtimonia illa veritatis apud animos eorum, qui perculſi ita,

Iſaię cap.6. u.4. *attonitique res eas accipiebant. Viderat item Iſaias ſedentem in Regali ſolio Deum, ſtatim in ſecuto terræmotu; reſonanteque vocibus Angelorum Cælo, fumus aera occupauit. Et animalia*

Ezech. cap. 1. u. 13. *illa mirifica Ezechielis ſequebatur, atque circumfundebat Aquilo impotens, denſaque nebula, et ignis latè diffuſus. Ob eandem cauſam in ſecun-*

2. Machab. cap. 2. u. 8. *do Machabæorum legitur, tunc cùm Ieremias in ſpeluncam abdidiſſet Arcam ſimul, et Tabernaculum, denuntiatum fuiſſe populo, fore aliquando, cùm res eædem non ſine cæleſtium ſignorum teſti-*

teſtimonio depromerentur. Ideo par fuerat, ſicuti Moyſes, et Salomon præclarè ſemper, et magnificè diuina myſteria tractarant, ita Deum ipſum in myſterijs ijſdem vim, potentiamque ſuam declarare. Neque ſatis magno præconio celebratas fuiſſe diuinas Litteras ab Origene arbitror tunc, cùm dixit, Chriſtum vocari Sermonem, ſiue Rationem, proptereaquòd lex, et verba ipſius rationi tantùm accommodata ſint, arceantque prauos appetitus, et veritati tantùm amica ſimul. Potiùs exiſtimo eſſe hoc inter flagitia, et dedecora Gentilium, qui adorauere Deos inanes, et Chriſtiani nominis inimicorum; neque vnquam illi nugas, fabulaſque ſuas aliter ordiri, et contexere potuerunt, quàm abſurda commenta, et ſcelera inferendo atque immiſcendo, quæ ipſa argumento eſſet, abhorrere fabulas illas à ſacris diuiniſque rebus, flagitiaque mortalium eſſe, non conſilia ſiue præcepta Numinis Æterni. Reſpiciant ipſi, reſpiciant ipſi primùm omnium ſepulchra eorum, quos pro Dijs habuere, ibique plena omnia ſordium, et ſqualoris reperient, ſicuti Clemens Alexandrinus, et Athenagoras aiunt: cumque iſta reſpexerint, pergant exequi, atque inculcare decora illa heroum ſuorum, vt geniti fuerint, vtque finierint vitam. Tumuli iſti perhibent teſtimonia veritati, et conditi illic cineres arguunt

Origen. Tract. 2. in Ioan.

Clemens Alex in Protrep. Athenag. Or. pro Chriſt.

Digitized by Google

hominum illorum mortalitatem, liberantque animos ſuperſtitione inani, et vanitate fabularum, quas profani illi antiſtites impiè proſeminarant.

Clemens Alex. in Protrep.

Vnus tamen eorum, ſicut ab eodem Clemente Alexandrino dictum eſt, imprudens, nolenſque prodere, ac manifeſtare instituit mendacia illa, reſque confictas. Fuit Hieronymus quidam philoſophus, qui Herculis effigiem, corporiſque habitum deſcripſit huiuſmodi verbis. Statura fuiſſe mediocri, et humili potiùs, quàm procera, conſtitutione corporis optima, quæ nec dignitate, nec valetudine careret, vibratum, et criſpum ei capillum fuiſſe. Dicæarchus item ait toroſum Herculi fuiſſe corpus, colore nigro, naſo incuruo, oculis hilaritatem proferentibus, fluxo et volitante per humeros crine. Nihil tam flagitioſum, tamque ſceleratum eſt, quod non commenta iſta, fabulæque Deorum inanium miſceant, credique velint,

Clemens Alex. in Protrep.
Iuſt. Mart. Orat. ad Ant.
Origen. lib. 1. cōtra Celſum.

ſicuti Clemens Alexandrinus, et Iuſtinus Martir, et Origenes tradidere. Voluntque profani iſti non fabulis tantùm adſtruere fidem, atque auctoritatem, ſed pro veris affirmant etiam ea, quæ nihil aliud, quàm excitare riſum poſſunt:

Iuſt. orat. cohort. ad Græc. ſiue ad Gentes.
Athen. orat. pro Chriſt.

ideoque ludibrio haberi talia oportet, ſicuti Iuſtinus, et Athenagoras alibi dixere. At myſteria diuina longiſſimè recedunt ab omni contagione, et ſocietate terreſtrium rerum, omnemque con-

tactum

tactum earum reſpuere, et adſpernari videntur. Huius Diuini partus, qui hodie in lucem prodit, prima origo è Cælo manat, milleque modis teſtatur, nihil ſibi commune eſſe cum terra, nihil commune cum ſorte mortalium aliorum, ſeque procul ab omni caligine, et obſcuritate perturbationum humanarum. Hìc omnia ſplendore circumfuſa ſunt: hìc vera cuncta, tenebræque fraudum omnes hinc abſunt. Deſcendit enim è Cælo clariſſima luce micans Angelus, eiuſque verba Paſtores ſimpliciſſimi audiunt, conduntque pectoribus ſuis, quibus nihil eſſe purius, atque ſimplicius poteſt. Vitam iſti agunt tantopere laudatam, atque probatam, atque ſub puro Cælo non minùs animos, quàm corpora ſua nutriunt cibo ſimplici. O ſanctam humilitatem, quæ grata Cælo ſemper, et accepta fuiſti! Videtur hæc mihi humilitas, ſanctaque virtus poſſe comparari cum tactus ſenſu, qui per omnes partes noſtri corporis latè diffunditur, cùm cæteri ſenſus intra ſuam quiſque ſedem reſtricti, atq; coarctati maneant. Tu virtus illa es ſimillima ſpiritui, qui reciprocatur in corpore humano ſemper: is noſtræ vitæ pabulum et alimentum eſt, pertinetque ad ſenſus alios etiam, tum videndi, tum audiendi, tum odorandi. Tu demum terra es, quæ cuncta ſuſtinet ne ruant, labanturque in profundum.

Nonne

Nonne vos ſuperbia faſtuque inflati viri nobiles, quibus contemptui Numen eſt, magnoperè inuidetis Paſtoribus hiſce humillimis, quos Chori, Ordineſque Angelorum honore proſequuntur? Niſi horum ſimplicitati inuidetis, nihil eſt, cur quiſquam vobis inuideat, etiam ſi ſtipati armatis, purpuraque nitentes, et gemmis onerati, et capite demum coronato, imperium in cæteros obtineatis. Quin potius niſi ſancta nunc vos inuidia vrit, digni eſtis, quorum miſereantur omnes, vel potiùs, quos vituperent atque inſectentur. Quem te denique facis, pigerrime homo, qui nobilitatis nomine inflatus, nullum iactare potes niſi flagitioſum, et vile opus, neque vnquam alibi vim tuam exercuiſti? Demerſus cœno, ſordibuſque vitiorum adhuc ipſe iaces; gloria verò Paſtorum in Cælum vſque attollitur. Hodie tamen in ipſorum conſpectu audebis efferre te ſupra cæteros, obſequiaque et honorem poſcere; et labes interim vitæ tuæ taceri voles? Verùm dicet fortaſſe aliquis, meritò quidem reprehendi iſtos, rectèque caſtigari: cæterùm hoſce diuites, ſuperboſque Gigantes, et Furias, Dæmonaſque humana carne indutos, neque adeſſe nunc, neque verba Paſtoris audire velle vnquam, et ne minas quidem, ne dum obiurgationes pauere: ideoque conuertendam eſſe orationem ad eos, qui adſint, vt ipſi meliores

fiant.

ſiant. Hæc ſi quis ita dicit, non tamen ego temperare poſſum, quin pergam deteſtari nequitiam, quippecum intelligam, iuſtas, graueſque reprehenſiones ſimiles eſſe voci, quæ parietum, valliumque repercuſſu multiplicata redditur. Ad eum enim ferè modum hæ voces receptæ pectoribus nonnullorum diffunduntur ad alios, incrementoque multiplici propagantur, et verbum idem geminant iterantque ſæpius. Reprehenſiones minorem vtique vim, quàm ſupplicia corporum ad res cæteras habent: ſed in eo vim minimè minorem habent, quòd etiam ex longinquo ſentiuntur, fruſtraque mutatione locorum vitantur. Præterea, non in hominum conſpectu tantùm, ſed velut in Angelorum theatro hæc noſtra oratio nunc habetur, Deuſque adeſt ipſe, ſilentij mei vindex futurus, ſi officio deeſſem. Circumſtant hanc aram Angeli, Archangelique, et cæteræ ſupremæ Poteſtates venerabundæ Chriſti corpus, carnemque veracem, et ipſe nos intuetur, ſumuſque omnes in conſpectu Trinitatis adorandæ, cui placet dici à me iſta, ſatisfierique muneri huic. Dupliciter ſanè peccaretur, ſi et improbi procul hinc refugerent, et ego eos adeſſe non optarem. An verò quia officio ſuo, munerique ipſi deſunt, me quoque mei muneris oblitum eſſe oportebit, ſiamque negligentiæ, et culparum illis comes?

Mihi

Mihi non ſolùm habenda ratio eſt vtilitatis eorum, tamquam mancipio et ſeruo: ſed potiùs voluntati diuinæ, munerique huic, quod ſuſtineo, ſeruiendum eſt. Quamobrem, nullo modo facturus ſum, Mediolanenſes, vt deflectam ab eo itinere, quò diuina ope adhuc inceſſi, vt verbo ſimul, et re vobis prodeſſem; neque patiar, ciuitatem hanc, et tantæ vrbis populum in præcipitem locum deduci: quod vtique fieret, ſi virtutes, et vitia, ſi rectè, prauèque facta pari ſilentio tegerentur, neque poſſum ego committere, vt ſpectator, teſtiſque ſim exitij, calamitatumque veſtrarum: ſed deteſtor vtique, damnoque nobiles illos, qui noctem hanc inter commoda, deliciaſque omnes exegere, minimèque paſſi ſunt interpellari ſibi ſomnum, neque fecerunt omnino quidquam, vt ad Præſepe piè, reuerenterque accederent. O infelices, cui tandem vſui fore vobis putatis nobilitatem iſtam, quæ vitijs, ſordibuſque contaminata eſt! An eam oblaturi Deo eſtis? Adſpernabitur ille tale donum, paſtoreſque potiùs admittet: et magnis vrbibus potior ei ſpelunca Bethlehemitica erit? An verò ad hominum vtilitates, et publica commoda eam conferre voletis? Nihil aliud ſunt improbi, peruerſique nobiles, quàm horrenda monſtra, angueſve teterrimi, à quibus refugiunt omnes horrore, metuque perculſi. Quòd ſi eam

vobiſcum

vobiſcum habituri eſtis, grauis aduerſaria erit, aderitque in nullum alium vſum, quam vt flagitia veſtra detegat, ſicuti lumine accenſo conſpiciuntur ſordes illæ, quæ alioqui occultæ fuiſſent. Quot magni viri, et Principes, et Reges imperium olim, purpuramque depoſuere, vt demptum ſibi honorem virtuti adderent. Neque verò exuere vitia vos, quibus eſtis inuoluti, vultis ad id ſaltem, ne genus, nomenque veſtrum dehoneſtetis? Veniat vnicuique veſtrum in mentem vocis egregiæ, quam nobiliſſimus idem, ditiſſimuſque iuuenis edidit, tunc, cùm ad dedecus, ignominiamque vocaretur. Antiquus Ioſeph is fuit, qui à turpi femina ſolicitatus, in hæc verba reſpondit; Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quo modo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. cap. 39. u. 8. *Meritò dubitari poſſet, viri nobiles, veſtrane culpæ maiores ſint, an beneficia diuina in vos ampliora, quæ et ſplendore ædium, et ſpatijs, ſumptuque villarum, et grege ſeruorum, et auri, gemmarumque nitore, et nobilitate ſtirpis, prolequè numeroſa, et magnarum præterea domorum conſanguinitate declarantur. Nec tamen*

interea pudori eſt, quòd à tot beneficiorum largitore Deo deſciuiſtis rebelles, et proditores, gratiamque pro tot acceptis bonis refertis hanc. Sed audite, Mediolanenſes, id, quod dicturus ſum. In libro antiquiſsimo, atque elegantiſsimo Iobi ita ſcriptum eſt, communem humani generis hoſtem, cùm loca omnia circumiret, vt damna fraudeſque mortalibus aliquas ſuo more pararet, die quodam ab ipſo Deo ita fuiſſe interrogatum, eſſetne contemplatus mores et inſtituta Iobi, animumque innoxium, cui nihil ſimile in
Iob cap. 1. u. 8. *terris eſset. Statim reſpondiſse Dæmonem, rectè atque ordine facere Iobum, quòd ita viueret, timeretque Deum: inſtructum enim fuiſſe bonis omnibus, et prædia ampla poſsidere, magnificaſque ædes: votorum omnium compotem fieri, diteſcereque in dies, atque ideo felicem et beatum inter mortales poſse appellari. Hinc neceſsariò efficitur, auditores, vt peruerſitas, et malitia Dæmonis deſperauerit poſſe eum ad peccandum induci, qui tot cæleſtium beneficiorum aurea catena deuinctus eſset; neque exitum eius rei vllum videbat. Eſt, viri nobiles, quòd ſuperbia faſtuque elati incedatis, quandoquidem ſpes, et conſilia Dæmonum ipſorum fregiſtis, atque contudiſtis. Numquam illi tale quiddam opinari de vobis auſi ſunt, numquam rem adeo turpem in vos cadere*

poſse

poſſe cenſuerunt. Hæc generoſa nobilitas maiora quædam dona offert Spiritibus impuris, quàm quæ ipſi optare poſſent. Audite improbi, perditique homines. Spiritus impuri tantùm agnoſcunt, intelliguntve munera in vos collata diuinitus: ipſi tantùm intelligunt atque agnoſcunt quanta ſit vis Dei beneficiorum in pectore humano, et quantum ob ea Deo debeatis, poſſuntque illi officij veſtri vos admonere. Quamobrem, durum et graue videri non debet excubias agere in natali nocte Saluatoris, ieiunijſve interdum macerare carnem, et altaris obire myſteria, licèt hæc omnia vobis ardua videantur. Graue quidem erit perferre et ſuſtinere pœnas, quæ vobis paratæ ſunt: graue reſpondere accuſantibus vos ad Dei Tribunal, et vitare diuinæ Iuſtitiæ tela, damnationemque ſempiternam. Hæc inquam dura, et difficilia erunt. Cauete igitur, ne pro tot acceptis à Deo beneficijs, ingratiùs, turpiùſque agatis quàm ipſi inter ſe homines agere ſolent, dum gratiam ab iniuria diſtinguunt: neque cordi ſit vobis ob aliqua hominum merita gratos exhibere animos, cùm interea erga Deum ingratiſſimè, atque odioſiſſimè agatis.



Digitized by Google

IN DIE
CIRCVMCISIONIS
DOMINI.

CHRISTVM IN HAC VITA expertem fuiſſe omnium humanarum voluptatum.

CONCIO PRIMA.

S*VSPIRIA, lacrymæ, et ſingultus, et cruor, et vulnera, dolorque, et innocentia, et teneræ ætas, et maternus animus poſſunt hodie miſericordia frangere pectora animoſque mortalium. Eſt hæc à natura ipſa ſcripta lex, cui legi Reges etiam, Principeſque terrarum obnoxij ſunt, ſicut à Salomone dictum eſt, vt ſcilicet in ipſo vitæ ingreſſu, primoque limine lacrymentur atque ingemiſcant. Ideoque ſapientiſſimus ille Regum de*

Sap. cap. 7. u. 3. *de ſe ita profitetur*. Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. *Atque Regum tamen iſtorum lacrymis ſolatia aliqua parata ſunt, multaque deliciæ, multus ornatus, et commoda multa, et quidquid magna fortuna ſibi inuenire poteſt, circumſtant ſimul vagientes ita regios infantes. Quod ſanè auctor idem ille ſapientiæ ita teſtatur.*
Ibidem u. 4. In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis. *At Diuinus Infans, et Rex iſte Regum, lacrymas quidem effudit, multumque vagiuit: cæterum ſolatia, et delinimenta vagitus nulla ei fuere. Vbi enim vnquam ille deliciarum partem, vbi diuitias expertus eſt, vbi commoda, et quietem, vbi demum rem vllam, quæ ſolatio eſſe poſſet? Atque iuuat repetere paucis vitæ illius ordinem, ſi quid voluptatis in aliqua eius parte fortaße reperire poßimus. Naſcitur Chriſtus, ſtatimque recipitur maternis vlnis, paupereque veſtitu, et fœno, et ſtabulo, et horrore Præſepij. Statim frigoris aſperitas, et Cæli rigor membra illa inuaſere hoſtiliter; interimque inops, atque inhonoratus, abſque miniſterio vllo ſeruorum, extorris domo, procul à ſuis, procul ab omnibus, qui lenire incommoda illa poſſent. Et quid poſtea fit? Vulnera imponuntur. Quid poſtea fit? San-*

guis

Digitized by Google

guis manat. Infánſque innocens erat nuperrimè natus. Superbus, immitiſq; Rex Pharao gentem Hebræorum duro ſeruitio per Ægyptum diu attinuerat, promulgaueratque ſæuam illam legem, ut virilis ſexus infantes, qui generis eius eſſent, ſtatim in lucem editi necarentur. Eo tempore accidit, ut Pharaonis ipſius filia ſuo more lauandi corporis cauſa deſcenderet ad flumen, ibique cum ancillarum grege per ripas, inter ſcopulos, et ſaxa inambularet. Tunc verſis in flumen oculis, alueum vidit placida illuuie illatum, implicitumque herbis, quales flumina gignunt. Admiratio primùm Virginis animum inceſſit: deinde cura videndi quidnam id rei eſſet: poſtremò deſiderium, cupiditaſque impatiens moræ. Mandat itaque ancillis, ut exceptam illam ex amne fiſcellam offerant ſibi, qua poſita ante pedes, leniterque reſerata, conſpicitur paucorum menſium infans egregia, et liberali facie, ſed lacrymarum plenus. Tunc Regia Virgo geſtire cœpit tali aſpectu, ſimulque æquales ceteræ lætabantur: ſed ex altera parte vagitus infantis, ipſiuſque lacrymæ manantes commouebant miſeratione animum. Hoc loco, auditores, conſiderate mecum quanta vis miſericordiæ ſit apud animum humanum, quàmque poſſit tener amor vnicuique inſitus erga ætatem illam. Non ſatis habuit Regina partum

Exodi cap. 1. & 2.

ignotum

ignotum conſeruare, tradereque alicui nutrien-
Exodi cap. 2. u. 10. dum: ſed in filij locum adoptauit. Non parentes, non ſtirpem Infantis eius nouerat: cumque ſuſpicaretur Hebræorum eſſe generis, quæ gens ſerua eadem, et inimica Ægyptiorum erat, conſuluit eius vitæ tamen, et præter mandata Regis, præter legem, et decreta Regni, miſericordia tantùm ſuadente, partum alienum tollit vltro, et ſeruat. Quòd ſi filia barbari Regis tantum lenitatis, et miſericordiæ concipere animo erga ignotum ſibi infantem potuit, qualem Deiparæ animum fuiſſe exiſtimabimus tunc, cùm Infantis ſui lacerari ferro corpus videret, martyrioque illi circumciſionis ipſa intereſſet? Ediderat ipſa partum illum, eumque pluſquam materno amore proſequebatur. Quòd ſi de ærumnis alienis Iob incly-
Iob cap. 30. u. 25 tus ità aiebat; Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi; qualis denique tantæ matris erga tantum filium eſſe animus debuit? Quòd ſi etiam
2 Reg. cap. 12. u. 15. filium ſuum infelicem Dauid non iuſti ſupplicij, non ſceleris eius, non offenſionis alienæ memor, ægrum videre non ſuſtinuit, quæ tormenta fuiſſe Deiparæ cenſebimus tunc, cum lacerari ſua viſcera, cruentarique videret? Neque imbecilliore fuit animo, quàm cæteræ matres, quorum nulla vidit circumcidi innocentem, Deique Filium.

Quamo-

Quamobrem, debuit ſecum ipſa, dum id fieret, huiuſmodi voces ingeminare. Iſte, qui agnus eſt, quid fecit? vertatur, obſecro, manus tua contra me. *O tormenta, cruciatuſque quid ita tenerum meum infantem attingitis? Quem ipſe locum, quamve cauſam ſæuitiæ, poteſtatique veſtræ præbere potuit? Vbi in hoc infante culpa, quæ ſola vobis regnum Mundi huius defert? Non hic imperio veſtro ſubiectus erat qui non ſolum in lucem nunc primùm prodijt terreſtrem hanc, atque mortalem, ſed ab omni æternitate natus in Cælo erat. Sæuite in feras, et monſtra peccantium; ibi depromite tela, et venena; paruulumque meum hunc, et verè innoxium infantem relinquite. Quòd ſi nulla alia mercede redimi hic poteſt, eximique tormentis atrocibus, corruant in meum caput iræ omnes, impetuſque irarum. Forti animo, lætaque etiam fronte ſubſtinebitur quidquid iſtud ſæuitiæ eſt; ſanguineumque hunc imbrem, et fulmina iſta vulnerum ego excipiam.* 2. Reg. cap. vlt. u. 17

Tales diuini pectoris eo tempore motus, taleſque intra dentium ſepta voces fuiſſe ego arbitror, ſi quidem abſque reprehenſione licitum fuerit tam humili forma orationis adumbrare cæleſtem animum, plenumque diuinitatis. Sed huius diei celebritatem tranſibimuſne abſque fructu aliquo animorum, itavt arida, et frigida, et obliuioſa

S *noſtra*

noſtra pectora relinquantur! Suſpiria, gemituſque non deſcendent in animos quoque noſtros? Non in tormentis afflictæ matri ſocij doloris erimus? Sanguis, et vulnera infantis innoxij nos quoque non attingent? Non poſtulo ego à vobis; vt Chriſtum imitantes, velitis hodie tormenta pati ignium, oleique feruentis, et plumbi liquefacti. Ferrum, et vncos, et rotas non hodie ſubituri eſtis: ſed pœna longè minore partem vnam veſtri corporis circumcidi, caſtigarique oportet. An brachia, an manus, an pedes? Nihil tale requiro. Lingua tantùm exigua illa pars, non ferro, non lapide, ſed ſpiritu purganda, recidendaque eſt. Non manabit hic cruor, non vitæ periculum erit, non patres, matreſque mœſtæ lacrymabuntur: ſed potiùs res erit plena gaudij. Chriſti ſanguinis fructus hodie talis eſſe debet: hoc tormenta infantis, hoc tormenta matris poſcunt. Leuit. cap. 13. u. 45. *Leproſos obuoluto veſtibus ore, progredi lex antiqua iubebat, ne peſtifero eorum halitu circumiecta inficerentur. Linguæ intemperantes, velut elephantiaca corpora, ſunt non ſibi ſolùm grauia, et fœda, ſed propinquis, et amicis, nec paſſim tantùm multis, ſed in vniuerſum ciuitatibus, regniſque magnis, quæ ſecum in exitium idem trahunt. O felices animas, quæ ſtudium, et operam omnem in eo conſumunt, vt monſtra iſta linguarum*

tollant,

tollant, atque diſſipent. Cæleſtem exercitum hunc appellari vis, faſque eſt, ſi qui aduerſus hoc linguæ vitium pugnam capeſſunt, vt ex communi conſuetudine penitus id excindatur, atque deleatur. Propugnatores publicæ ſalutis, et patriæ patres appellari poſſunt qui publicæ dignitati inſeruientes, labem, ignominiamque inueteratam delere conantur. Nam, quemadmodum ex hoc ipſo me ſuggeſtu exclamaſſe memini; facti ſumus opprobrium vicinis noſtris; ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt. Pſal. 78. v. 4. *Bene ſit iſtis, corporaque, et fortunæ, et filij eorum non à me tantùm, qui cinis ſum, commendentur, ſed ab Angelis ipſis, quorum munus vicemque ſuſtinent. Faueant iſtis Sancti tutelares vrbis, Geruaſius, et Protaſius, Ambroſiuſque Pater, quorum nomen, famamque tuentur. Faueat demum etiam ille, qui Magiſter, et Auctor diſciplinæ huius fuit. Is è Cælo, vbi ſuam habere ſedem credibile eſt, vim opemque ſuam mittat, tueaturque eos, quò felicius, atque conſtantius in hoc ſancto munere verſari poſſint. Magna me ſpes tenet fore, vt breui tam glorioſi operis finem conſequamini, diuinituſque impetretis.*

CVR CIRCVMCIDI SALVATOR voluerit.

CONCIO II.

QVI tandem animi veſtri ſenſus eſt, auditores, de amore erga genus humanum huius recens nati Infantis, qui pœnarum pro ſalute noſtra auidus, moræque quaſi impatiens, geſtit antecapere fundendi ſanguinis diem, prodigus ipſe quidem vitæ, corporiſque ſui, noſtræ autem ſalutis auarus? Videmus hodie miſceri materni lactis liquorem cum ſanguine filij, ita vt dubitari poſſit, cruorne ab vulnere fluat, an liquor, ſuccuſque lactis. Hodie vix dum in lucem edita membra laceſſunt ferrum, et priùs pœnæ fundere vitam audent, quàm vitalem ſpiritum guſtare cœperunt. Hinc locus datur nobis quærendi, cur ita circumcidi voluerit Chriſtus, eiuſque myſterij legem ſibi ſeruandam eſſe ſtatuerit. Atque rem hanc paulò altiùs repetendo, quò clariùs, meliùſque intelligatur, exequemur quidnam in Chriſto ſignificare potuit ritus ille circumciſionis, et quale myſterium in Saluatore repræſentatum ita fuerit. Res duas, quæ minimè veræ erant, duaſque item ma-

maximè veras ita ſignificatas eſſe reperio. Nam obnoxium Chriſtum eſſe legi, culpamve aliquam contraxiſſe eum, duo hæc nullo modo vera fuerunt; vera autem duo illa, Chriſtum verè ſumpſiſſe naturam humanam, circumciſioniſque myſterium à Deo fuiſſe ſancitum. Non fuit obnoxius legi Chriſtus, quia non ſeruus ille erat, ſed figuram tantummodo, faciemque ſeruilem Ad Philip. cap. 2. u. 7. *vltro induerat. Prodijt ex mulieris vnius aluo, prodijtque tamquam legi obnoxius, vt eos, qui ob-* Ad Gal. cap. 4. u. 5. *noxij legi erant, liberaret atque ſeruaret. Cùm-* Ad Hebr. cap. 2. u. 17. *que mortalibus cæteris omnium aliarum rerum conditione, et germanitate ſimilis eſſe debuerit, debuit ſimul hanc notam vſurpare fraternitatis, vt legibus, præceptiſque diuinis obedientem ſe præberet. Præterea, myſterio circumciſionis nulla ſanè peccati labes in Chriſto ſignificata eſt, quia licèt circumciſio fuerit remedium atque medicina peccati, ſicuti Gregorius, et Auguſtinus dixere,* S Greg. Lib 4. mor. cap 3. *fueritque ſimul piaculare quoddam ſignum, argu-* S Auguſt Lib. 2. de nup cap. 11. *mentumq; fidei; culpam vtique aliquam ſignificabat in eo, qui circumcideretur, cùm tamen nulla in Chriſto culpa eſſet. E contrario autem certa,* Epiph. cōt. Hęr. lib. 1. cap. 30. *et vera illa ſignificabantur, Saluatorem ſumpſiſſe corpus, naturamque humanam, non autem imaginarium fictumque corpus, ſicuti Manichæi* Aug. ep. 74. *cenſuere, animaque et ſanguine præditum eſſe*

contra

contra quàm Valentinus cenſuerat, et membra illius terreſtria eſſe, non cæleſtia, ſicuti nonnulli affirmauere. Præterea, ſignificabatur diuinum præceptum eſſe circumciſionem, non Dæmonis inuentum, quod Manichæi credidere. Nam ſi is ritus, eaque conſuetudo circumcidendi à Dæmone inducta fuiſſet, numquam Dei Filius circumcidi voluiſſet. Aiebantque perditi illi, legem, quæ promulgata à Moyſe fuiſſet, non diuinam eſſe legem, ſed Dæmonum, ideoque debere repudiari. Vera igitur duo, et non vera alia duo videntur per hoc circumciſionis myſterium in Chriſto ſignificata eſſe. Sed locum hunc tractare ingredientes nos quid ita circumcidi Chriſtus voluerit, primum omnium meminiſſe debemus, rem, quæſtionemque propoſitam eſſe de Numine, Deoque illo, cuius magnitudo captum humanæ mentis longiſſimè ſuperet, qui Cælum condidit, Orbeſque cæleſtes, illos videlicet, quorum motus, admira-
Iob cap. 38 n. 37. *bilemque concentum nullus mortalium potuit vnquam ita aſſequi, vt in eo, quod aſſecutus eſſe videretur, conquieſceret, neque reperiret præterea quidquam. Attamen, quantum tarditas humana, et noſtri luminis obſcuritas, et hæc manus infirma rationis aſſequi et contingere diuina myſteria poteſt, dicimus, circumcidi voluiſſe Saluatorem, vt legem adimpleret; ſuam namque perfectionem*

ab

ab eo ſolum accepit. Rectèque Sanctus Auguſtinus ità ait. Chriſtus ſuſcepit circumciſionem, ablaturus circumciſionem; ſuſcepit vmbram, daturus lucem; ſuſcepit figuram, completurus veritatem. *Cum Abrahamo lex illa circumciſionis diceretur, fuerat id pacti ſignum, et pignus, nempe ab ipſius ſtirpe proditurũ eſſe Saluatorem: eaque res exitum habuit tunc, cum ſignum, et res ſignificata conuenere. Cumque ſalutis hominum cauſa Chriſtus in terras deſcendiſset, conſentaneum, verumque fuit, nihil ab eo omitti rerum earum, quæ ad illud humanæ ſalutis opus pertinerent; ideoque voluit myſterium ſubire circumciſionis, ne tamquam hoſpes atque peregrinus Hebræorum genti adſpiceretur, vtque diſciplina eius plus auctoritatis haberet apud eos, qui primi omnium eam accipere debebant. Ita apparuit Chriſtum eſſe illum, de quo cæleſtia promiſſa Abrahamus accepiſſet, quemadmodum Auguſtinus, et Euthimius affirmant, affirmatque Epiphanius excuſationem omnem ità abſciſſam fuiſſe Iudæis, dum circumciſo Meſſia fidem abrogare audent. Verùm ad contumaces Hebræorum animos inualida iſta omnia fuere, callidèque excuſationibus alijs vſi ſunt, quemadmodum Euangeliſta Ioannes ait;* Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit vnde ſit. *Pau-*

S.Auguſt. Ser.9. in Nat.

S Aug. in qq. noui teſt. q. 54. Euth in cap. 2. Lucæ.

Ioan. cap.7.u.27

lòque

Ibid u.41. & 42 *loque poſt ſubdit*; Numquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit; Quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus? *Iam de eo, qui*
Ioan. cap. 9. u. 29. *cæcus natus erat, quàm acriter, et proteruè cauillati ſunt? Erat præterea gens Hebræorum capta ſuperſtitione animi, maligna eadem, atque obtrectatrix, et niſi circumcidi Chriſtum vidiſſet, ſtatim accuſationes, et calumniæ fuiſſent in promptu, caput eſſe impium, violatoremque diuinæ legis, et auctorem populi offenſionis, cæteræque inanes, et perfidæ ſuſpiciones inter eos increbuiſſent. Has fuiſſe cauſas ait Euthimius, cur membra nati Saluatoris circumcidenda deſtinarentur. Id obſequium, eaque legis antiquæ reuerentia congruit cum ſententia Saluatoris ipſius, quam de tributo perſoluendo tulit ille vitandæ offenſionis*
Matth.cap.17. u. 26. *ſcandaliue cauſa, cum Principi Apoſtolorum interroganti reſponderet. Huc Apoſtoli Pauli*
1. ad Theſſ. cap. 4. *prudens conſilium reſpicit, quo ſuſpicionem omnem, ſpeciemque peccati vitare iubemur; non in*
Ad Rom. cap. 12 *Dei ſolum, ſed etiam in hominum conſpectu. Atque id fit bona exempla ſemper, ſcandalumue nullum exhibendo, ſicut Ambroſius, et Athanaſius docuere. Scandalum arcus ille eſt, qui multa vno ictu tela contorquet, multoſque ferit. Scandalo velut indagine Dæmones captant plu-*

S. Ambroſius ad Rom cap 12. S. Athanaſius ad Rom. cap. 12.

res

res ſimul feras: idque ab odio, et fame, qua noſtrum exitium rapidè appetunt iuxta Propheta illud; Dilatauit Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. *Scandalum fera illa eſt, qua perimit adſpectu, nec alia bellua magis lethale venenum fert oculis. Fera hac, nullo ſexus, nullo atatis, nullo ordinum diſcrimine necat omnes. Cadit parentis manu filius, fera hac inſtigante, et in teneram pracipuè atatem ſauire amat. Quod ſi quemadmodum corporum ſtrages oculis cernitur, ita cernerentur funera animarum, omnia oppleta tabe cadauerum confunderent mœrore animos, atque ad omnes domos, et ad limina fortaſſe potentiorum vel maxima ea ſtrages compareret. O miſeros homines, ò pectora fœcunda malorum, ò deteſtabiles animas ſcandalo, exitioque aliarum!* Et quiſquis ſcandalizauerit vnum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. *Inter tot hominum culpas nulla fortaſſe fuit vnquam, cui, ſicuti nunc, ſcandalo propria pana diuinitus irrogaretur. Mors ipſa impar culpa huic habetur: ſingulare mortis genus exquirit, quod nulla humana arte vitari poſſet. Et quò plus terroris incutiatur animis ad huius culpa deteſtationem, exemplum proponitur eorum,*

Iſaiæ cap. 5. u. 14

Marci cap. 9. u. 41.

 qui

qui corporis ſalutem planè deſperant. Iam, quæ pœna parata erit illis, qui denſiſſima ignorantiæ nocte circumfuſi, ne culpæ quidem huius grauitatem vident, adeoque culpam tegere non curant, vt potiùs ea glorientur ſedentes in ſede peſtis, et re, verboque ſcandala multa præbentes? Quàm mira iſta videntur, quàm noua dictu? Et verè tamen omnia dicta ſunt. Si monita Saluatoris, ſi denuntiatæ pœnæ non mouent eorum animos, ſi diuina hodie lingua, et ſapientia Verbi non mutat horum mores, quomodo tandem ſalutis æternæ compotes eſſe poterunt? Quæ ſalus æterna non tantum eſſet, nec tale donum, ſi perditis atque improbis veluti præmium acta per ſcelera vitæ concederetur.

IN EA
ELVCERE MAGNA SIGNA
Humilitatis.

CONCIO III.

SEMPER ita cenſuere viri ſapientes, difficile eſſe de rebus diuinis ità loqui, vt earum magnitudinem verbis exequi poſſimus: ideo dixerat vnus eorum, quoties eiuſmodi ſermonem ingrederemur, petendam eſſe veniam, erroremque fatendum, qui nondum admiſſus, ſuſceptuſque eſſet. Cæterùm, ea de rebus diuinis oratio difficilior etiam eſſet, ſi tractarentur ea, quæ cæleſtia, et diuina eſſent, ſimulque abiectionem humilitatemque continerent. Id hodie mihi vſu venit, auditores, acturo vobiſcum de Deo ſimul, et de circumciſione, quæ magnum cæleſte myſterium, atque diuinitus lata lex fuit. Atque in hoc myſterio, legeque circumciſionis id mihi agendum hodie erit, vt intelligatis placitum ita fuiſſe Diuinæ Maieſtati, vt ſe abijceret, contemnendumque præberet. Nihil in Deo cogitari, ac reperiri poteſt admirabilius, atque altius humilitate et abiectione. Nihil enim à ſuprema illa Maieſtate, et eſſentia remotum magis, alienumque eſt: inſuperque Plato in Critia.

ſuperque nulla alia re clariùs, expreſſiuſque declarari poteſt infinita Dei magnitudo, quàm hac ipſa humilitate et abiectione. Namque ſi maieſtas, et magnitudo illa infinita ſpectetur fugit, ſuperatque captum humanæ mentis; ſi autem ſpectetur humilitas, clariſſimè intelligitur, naturam illam eſſe infinitam, quæ cùm talis eſſet, potuit eò deſcendere, vt ad humilitatem ſubmiſſionemque deprimeretur. Fuit igitur Diuinæ magnitudinis, ſupremæque poteſtatis opus, abijci ita, deprimique et ſubmitti, cuius depreſſionis atque ſubmiſſionis illuſtria ſigna dedit Saluator quamdiu inter homines egit. Abiecit primum omnium ſe ſe Diuina Maieſtas, atque ſubmiſit tunc, cùm naturam humanam, quæ corrupta, et deprauata erat, ſi per ſe conſideraretur, aſſumpſit, licèt gratiæ Diuinæ poſtea muneribus eadem mirifica effecta fuerit, priuſquam perſonæ alicui iungeretur.

Atque abiectionem hanc longè maximam, pleniſſimamque humilitatis, Apoſtolus Paulus Exinanitionis vocabulo appellauit. (Ad Philip. cap. 2. u. 7.) *Poſtquam verò carnem humanam aſſumpſerat, abiecit ſe rurſus, dum ſtatuit inter peccatores agere vitam, ſordibuſque eorum immiſceri, quas quantopere alioqui auerſaretur, antiqua exempla declarant. Sæpius enim in vetere teſtamento ſancitum hoc lege diuina erat, ne mortalium vllus ad ea loca appropinquaret,*

pinquaret, quibus in locis gloria diuina apparebat. Inde illa leguntur; Conſtitues terminos popu- lo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. *Renouaturque eadem lex hiſce verbis*; Deſcende, & conteſtare populum: ne forte velit trãſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. *Quis igitur vnquam exiſtimaſſet, hunc ipſum Deum, cuius tanta gloria, et maieſtas in Sina Monte conſpecta eſset, eo eſse deſcenſurum, vt familiariter vteretur hominibus etiam illis, qui praui, impurique eſsent, cum ita legatur*; Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? *O diuinæ Maieſtatis magnitudinem, ſimulque humilitatem quàm admirabili arte coniunctas vos eſse video! Neque dixere obtrectatores, cur magiſter inter peccatores ſedet, dátque leges et præcepta vitæ illis, ſed cur accumbit vnà cum illis, qui digni ſunt omnibus in hac vita ſupplicijs, quoſque in altera vita ſempiterni ignes manent. Cæterùm, magis magiſque creſcente humilitate mitiſsimi Saluatoris, et maiora in ſingulos dies exempla edente, non ſolùm inter peccatores voluit agere vitam, sed annuit, vt improbus ipſe, atque peccator haberetur.*

Exod. cap. 19. u. 12.

Ibidem u. 21.

Matth. cap. 9. u. 11

Atque

Atque ita non ſolùm parum honeſtis moribus auſi ſunt eum dicere nonnulli, ſed perditis etiam, atque corruptis, bibacem ſcilicet, et impoſtorem, et commercio Dæmonum immiſſum, ipſumque à Dæmone obſeſſum. Non ea de Ioanne exiſtimatio fuerat, qui ſanctiſsimus, innocentiſsimuſque ab omnibus habebatur: cumque fauentes Saluatori quidam eum extollere laudibus vellent, nullum aliud maius, illuſtriuſque præconium habuere, quàm vt Baptiſtam ipſum ipſi dicerent; Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. *Sed nullum vnquam illuſtrius humilitatis exemplum dedit Chriſtus, quàm hodie, dum notam eam excipit atq; ſubit, quæ erat inſigne peccati, labemque naturæ humanæ teſtabatur, eaque humilitas, et nota circumciſionis maximum omnium operum fuit, quæ Diuina Maieſtas huius amore virtutis ſuſcepit. Apoſtolus illi Diuini Verbi interpres, quem ob vim, et prudentiam fortaſſe dicendi, Mercurium appellauere Gentes, cùm Chriſti humilitatem in Cruce ſubeunda oſtendere, et amplificare vellet, ita dixit;* Humiliauit ſemetipſum factus obediens. *Et qua obedientia?* Vſque ad mortem. *Et qua morte?* Morte Crucis. *Qua autem humilitate? Humilitate voluntaria; neque ita, vt contemneretur abijce-*

Matt cap 14. u. 2. Luc. cap. 9. u. 8.

Ad Philip. cap. 2. u. 8.

returque

returque tantum, ſed etiam vt ſe ipſe contemneret, atque abijceret. Videſne voraginem, atque profundum iſtud humilitatis? Attamen altior fuit vorago circumciſionis. Non ſemper mors argumentum culpæ fuit. Quàm multi enim innocentes vltima paſſi fuere? Ac de eo multitudo ſimplex iam in ipſo Paſſionis tempore rectè iudicauit. Namque percutientes pectora ſua reuertebantur. *Tuncque dictum fuit*; Verè hic homo Filius Dei erat. *Nullum autem reperietis fuiſſe circumciſum, qui peccati labe careret; ideoque myſterium illud et nota circumciſionis ſpecie rei, moribuſque, et exiſtimatione communi erat inſigne culpæ. Tu verò quiſquis es ingenio, moribuſque tumidus, vermiculuſque terræ, ignarus diuinarum, humanarumque rerum, velut allucinans bellua, times vmbras, et ea, quæ timeri minimè oporteret. Abiecti animi, nec generoſæ mentis eſt, ſi immodicè ſolicitus ſis, ne te cæteri contemnant. Hoc enim ipſo, non eſſe te honore dignum, ſtatuis. Præterea, ferè ita accidit, vt quantum appetas ipſe et ſequare honorem, tantum is à te fugiat, atque recedat. Honor eſt vmbra virtutis, quæ fugientes ſequitur. Vbi corpus nullum, ibi ne vmbra quidem eſſe poteſt: vndè autem virtus abeſt, ibi non poteſt eſſe honor. Planèque honor, et fama, et laus,*

Lucæ cap. 23. u. 48.
Marci c. 15. u. 39

contra quàm Valentinus cenſuerat, et membra illius terreſtria eſſe, non cæleſtia, ſicuti nonnulli affirmauere. Præterea, ſignificabatur diuinum præceptum eſſe circumciſionem, non Dæmonis inuentum, quod Manichæi credidere. Nam ſi is ritus, eaque conſuetudo circumcidendi à Dæmone inducta fuiſſet, numquam Dei Filius circumcidi voluiſſet. Aiebantque perditi illi, legem, quæ promulgata à Moyſe fuiſſet, non diuinam eſſe legem, ſed Dæmonum, ideoque debere repudiari. Vera igitur duo, et non vera alia duo videntur per hoc circumciſionis myſterium in Chriſto ſignificata eſſe. Sed locum hunc tractare ingredientes nos quid ita circumcidi Chriſtus voluerit, primum omnium meminiſſe debemus, rem, quæſtionemque propoſitam eſſe de Numine, Deoque illo, cuius magnitudo captum humanæ mentis longiſſimè ſuperet, qui Cælum condidit, Orbeſque cæleſtes, illos videlicet, quorum motus, admirabilemque concentum nullus mortalium potuit vnquam ita aſſequi, vt in eo, quod aſſecutus eſſe videretur, conquieſceret, neque reperiret præterea quidquam. Attamen, quantum tarditas humana, et noſtri luminis obſcuritas, et hæc manus infirma rationis aſſequi et contingere diuina myſteria poteſt, dicimus, circumcidi voluiſſe Saluatorem, vt legem adimpleret; ſuam namque perfectionem

Iob cap. 38 n. 37.

ab

ab eo ſolum accepit. Rectèque Sanctus Auguſtinus ità ait. Chriſtus ſuſcepit circumciſionem, ablaturus circumciſionem; ſuſcepit vmbram, daturus lucem; ſuſcepit figuram, completurus veritatem. *Cum Abrahamo lex illa circumciſionis diceretur, fuerat id pacti ſignum, et pignus, nempe ab ipſius ſtirpe proditurũ eſſe Saluatorem: eaque res exitum habuit tunc, cum ſignum, et res ſignificata conuenere. Cumque ſalutis hominum cauſa Chriſtus in terras deſcendiſſet, conſentaneum, verumque fuit, nihil ab eo omitti rerum earum, quæ ad illud humanæ ſalutis opus pertinerent; ideoque voluit myſterium ſubire circumciſionis, ne tamquam hoſpes atque peregrinus Hebræorum genti adſpiceretur, vtque diſciplina eius plus auctoritatis haberet apud eos, qui primi omnium eam accipere debebant. Ita apparuit Chriſtum eſſe illum, de quo cæleſtia promiſſa Abrahamus accepiſſet, quemadmodum Auguſtinus, et Euthimius affirmant, affirmatque Epiphanius excuſationem omnem ita abſciſſam fuiſſe Iudæis, dum circumciſo Meſſiæ fidem abrogare audent. Verùm ad contumaces Hebræorum animos inualida iſta omnia fuere, callidèque excuſationibus alijs vſi ſunt, quemadmodum Euangeliſta Ioannes ait;* Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit vnde ſit. *Pauloque*

S.Auguſt. Ser. 9. in Nat.

S. Aug. in qq. noui teſt. q. 54. Euth. in cap. 2. Lucæ.

Ioan. cap. 7. u. 27

Ibid u.41. & 42 *loque poſt ſubdit;* Numquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit; Quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus? *Iam de eo, qui*
Ioan. cap. 9. u. 29. *cæcus natus erat, quàm acriter, et proteruè cauillati ſunt? Erat præterea gens Hebræorum capta ſuperſtitione animi, maligna eadem, atque obtrectatrix, et niſi circumcidi Chriſtum vidiſſet, ſtatim accuſationes, et calumniæ fuiſſent in promptu, caput eſſe impium, violatoremque diuinæ legis, et auctorem populi offenſionis, cæteræque inanes, et perfidæ ſuſpiciones inter eos increbuiſſent. Has fuiſſe cauſas ait Euthimius, cur membra nati Saluatoris circumcidenda deſtinarentur. Id obſequium, eaque legis antiquæ reuerentia congruit cum ſententia Saluatoris ipſius, quam de tributo perſoluendo tulit ille, vitandæ offenſionis*
Matth. cap. 17. u. 26. *ſcandaliue cauſa, cùm Principi Apoſtolorum interroganti reſponderet. Huc Apoſtoli Pauli*
1. ad Theſſ. cap. 4. *prudens conſilium reſpicit, quo ſuſpicionem omnem, ſpeciemque peccati vitare iubemur, non in*
Ad Rom. cap. 12 *Dei ſolum, ſed etiam in hominum conſpectu. Atque id fit bona exempla ſemper, ſcandalumue nullum exhibendò, ſicut Ambroſius, et Athanaſius docuere. Scandalum arcus ille eſt, qui multa vno ictu tela contorquet, multoſque ferit. Scandalo velut indagine Dæmones captant plu-*
S. Ambroſius ad Rom cap 12 S. Athanaſius ad Rom. cap. 12.

res

res ſimul feras: idque ab odio, et fame, quæ noſtrum exitium rapidè appetunt iuxta Prophetæ illud; Dilatauit Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. *Scandalum fera illa eſt, quæ perimit adſpectu, nec alia bellua magis lethale venenum fert oculis. Fera hæc, nullo ſexus, nullo ætatis, nullo ordinum diſcrimine necat omnes. Cadit parentis manu filius, fera hac inſtigante, et in teneram præcipuè ætatem ſæuire amat. Quòd ſi quemadmodum corporum ſtrages oculis cernitur, ita cernerentur funera animarum, omnia oppleta tabe cadauerum confunderent mærore animos, atque ad omnes domos, et ad limina fortaſſe potentiorum vel maxima ea ſtrages compareret. O miſeros homines, ò pectora fæcunda malorum, ò deteſtabiles animas ſcandalo, exitioque aliarum!* Et quiſquis ſcandalizauerit vnum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. *Inter tot hominum culpas nulla fortaſſe fuit vnquam, cui, ſicuti nunc, ſcandalo propria pæna diuinitus irrogaretur. Mors ipſa impar culpæ huic habetur: ſingulare mortis genus exquirit, quod nulla humana arte vitari poſſet. Et quò plus terroris incutiatur animis ad huius culpæ deteſtationem, exemplum proponitur eorum,*

Iſaiæ cap. 5. u. 14

Marci cap. 9. u. 41.

T *qui*

qui corporis ſalutem planè deſperant. Iam, quæ pœna parata erit illis, qui denſiſſima ignorantiæ nocte circumfuſi, ne culpæ quidem huius grauitatem vident, adeoque culpam tegere non curant, vt potiùs ea glorientur ſedentes in ſede peſtis, et re, verboque ſcandala multa præbentes? Quàm mira iſta videntur, quàm noua dictu? Et verè tamen omnia dicta ſunt. Si monita Saluatoris, ſi denuntiatæ pœnæ non mouent eorum animos, ſi diuina hodie lingua, et ſapientia Verbi non mutat horum mores, quomodo tandem ſalutis æternæ compotes eſſe poterunt? Quæ ſalus æterna non tantum eſſet, nec tale donum, ſi perditis atque improbis veluti præmium actæ per ſcelera vitæ concederetur.

Digitized by Google

IN EA ELVCERE MAGNA SIGNA Humilitatis.

CONCIO III.

S*EMPER ita cenſuere viri ſapientes, difficile eſſe de rebus diuinis ità loqui, vt earum magnitudinem verbis exequi poſſimus: ideo dixerat vnus eorum, quoties eiuſmodi ſermonem ingrederemur, petendam eſſe veniam, erroremque fatendum, qui nondum admiſſus, ſuſceptuſque eſſet. Cæterùm, ea de rebus diuinis oratio difficilior etiam eſſet, ſi tractarentur ea, quæ cæleſtia, et diuina eſſent, ſimulque abiectionem humilitatemque continerent. Id hodie mihi vſu venit, auditores, acturo vobiſcum de Deo ſimul, et de circumciſione, quæ magnum cæleſte myſterium, atque diuinitus lata lex fuit. Atque in hoc myſterio, legeque circumciſionis id mihi agendum hodie erit, vt intelligatis placitum ita fuiſſe Diuinæ Maieſtati, vt ſe abijceret, contemnendumque præberet. Nihil in Deo cogitari, ac reperiri poteſt admirabilius, atque altius humilitate et abiectione. Nihil enim à ſuprema illa Maieſtate, et eſſentia remotum magis, alienumque eſt: inſu-*

Plato in Critia.

ſuperque nulla alia re clarius, expreſſiuſque declarari poteſt infinita Dei magnitudo, quàm hac ipſa humilitate et abiectione. Namque ſi maieſtas, et magnitudo illa infinita ſpectetur fugit, ſuperatque captum humanæ mentis; ſi autem ſpectetur humilitas, clariſſimè intelligitur, naturam illam eſſe infinitam, quæ cùm talis eſſet, potuit eò deſcendere, vt ad humilitatem ſubmiſſionemque deprimeretur. Fuit igitur Diuinæ magnitudinis, ſupremæque poteſtatis opus, abijci ita, deprimique et ſubmitti, cuius depreſſionis atque ſubmiſſionis illuſtria ſigna dedit Saluator quamdiu inter homines egit. Abiecit primum omnium ſe ſe Diuina Maieſtas, atque ſubmiſit tunc, cùm naturam humanam, quæ corrupta, et deprauata erat, ſi per ſe conſideraretur, aſſumpſit, licèt gratia Diuinæ poſtea muneribus eadem mirificè effecta fuerit, priuſquam perſonæ alicui iungeretur.

Ad Philip. cap. 2. u. 7. *Atque abiectionem hanc longè maximam, pleniſſimamque humilitatis, Apoſtolus Paulus Exinanitionis vocabulo appellauit. Poſtquam verò carnem humanam aſſumpſerat, abiecit ſe rurſus, dum ſtatuit inter peccatores agere vitam, ſordibuſque eorum immiſceri, quas quantopere alioqui auerſaretur, antiqua exempla declarant. Sæpius enim in vetere teſtamento ſancitum hoc lege diuina erat, ne mortalium vllus ad ea loca appropinquaret,*

pinquaret, quibus in locis gloria diuina apparebat. Inde illa leguntur; Conſtitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. *Renouaturque eadem lex biſce verbis*; Deſcende, & conteſtare populum: ne forte velit trãſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. *Quis igitur vnquam exiſtimaſſet, hunc ipſum Deum, cuius tanta gloria, et maieſtas in Sina Monte conſpecta eſſet, eo eſſe deſcenſurum, vt familiariter vteretur hominibus etiam illis, qui praui, impurique eſſent, cum ita legatur*; Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? *O diuinæ Maieſtatis magnitudinem, ſimulque humilitatem quàm admirabili arte coniunctas vos eſſe video! Neque dixere obtrectatores, cur magiſter inter peccatores ſedet, datque leges et præcepta vitæ illis, ſed cur accumbit vnà cum illis, qui digni ſunt omnibus in hac vita ſupplicijs, quoſque in altera vita ſempiterni ignes manent. Cæterùm, magis magiſque creſcente humilitate mitiſsimi Saluatoris, et maiora in ſingulos dies exempla edente, non ſolùm inter peccatores voluit agere vitam, ſed annuit, vt improbus ipſe, atque peccator haberetur.*

Exodi cap. 19. u. 12.

Ibidem u. 21.

Matth. cap. 9. u. 11

Atque

Atque ita non ſolum parum honeſtis moribus auſi ſunt eum dicere nonnulli, ſed perditis etiam, atque corruptis, bibacem ſcilicet, et impoſtorem, et commercio Dæmonum immiſtum, ipſumque à Dæmone obſeſſum. Non ea de Ioanne exiſtimatio fuerat, qui ſanctiſſimus, innocentiſſimuſque ab omnibus habebatur: cumque fauentes Saluatori quidam eum extollere laudibus vellent, nullum aliud maius, illuſtriuſque præconium habuere, quàm vt Baptiſtam ipſum ipſi dicerent; Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. *Sed nullum vnquam illuſtrius humilitatis exemplum dedit Chriſtus, quàm hodie, dum notam eam excipit atq; ſubit, quæ erat inſigne peccati, labemque naturæ humanæ teſtabatur, eaque humilitas, et nota circumciſionis maximum omnium operum fuit, quæ Diuina Maieſtas huius amore virtutis ſuſcepit. Apoſtolus illi Diuini Verbi interpres, quem ob vim, et prudentiam fortaſſe dicendi, Mercurium appellauere Gentes, cum Chriſti humilitatem in Cruce ſubeunda oſtendere, et amplificare vellet, ita dixit;* Humiliauit ſemetipſum factus obediens. *Et qua obedientia?* Vſque ad mortem. *Et qua morte?* Morte Crucis. *Qua autem humilitate? Humilitate voluntaria; neque ita, vt contemneretur abijce-*

Matt cap 14. u. 2. Luc. cap. 9. u. 8.

Ad Philip. cap. 2. u. 8.

returque tantum, ſed etiam vt ſe ipſe contemneret, atque abijceret. Videſne voraginem, atque profundum iſtud humilitatis? Attamen altior fuit vorago circumciſionis. Non ſemper mors argumentum culpæ fuit. Quàm multi enim innocentes vltima paſſi fuere? Ac de eo multitudo ſimplex iam in ipſo Paſſionis tempore rectè iudicauit. Namque percutientes pectora ſua reuertebantur. *Tuncque dictum fuit*; Verè hic homo Filius Dei erat. *Nullum autem reperietis fuiſſe circumciſum, qui peccati labe careret; ideoque myſterium illud et nota circumciſionis ſpecie rei, moribuſque, et exiſtimatione communi erat inſigne culpæ. Tu verò quiſquis es ingenio, moribuſque tumidus, vermiculuſque terræ, ignarus diuinarum, humanarumque rerum, velut allucinans bellua, times vmbras, et ea, quæ timeri minimè oporteret. Abiecti animi, nec generoſæ mentis eſt, ſi immodicè ſolicitus ſis, ne te cæteri contemnant. Hoc enim ipſo, non eſſe te honore dignum, ſtatuis. Præterea, ferè ita accidit, vt quantum appetas ipſe et ſequare honorem, tantum is à te fugiat, atque recedat. Honor eſt vmbra virtutis, quæ fugientes ſequitur. Vbi corpus nullum, ibi ne vmbra quidem eſſe poteſt: vndè autem virtus abeſt, ibi non poteſt eſſe honor. Planèque honor, et fama, et*

Lucæ cap. 23. n. 48.
Marci c. 15. n. 39

laus,

laus, et gloria mortalium ſimillima eſt nauium ingentibus velis; quæ ad curſum vtilia ſunt, ſi peritè dantur ventis, inutilia eadem et damnoſa, ſi abſque arte collocata ſint. Quàm multos autem fuiſſe ſcimus, qui, dum honorem auramque popularem aucuparentur, multas lacrymas, multumque ſanguinis effuderunt, nimiùmque magna mercede parauere quod cupierunt? Superbia ventus ille eſt, quo non alius violenter magis turbat, trahitque vitam hominum, nec aliunde plus periculi ab vniuerſo naufragio eſt. Incendium hoc illud eſt, quod exardeſcit ſubitò, ac niſi properè reſtinguatur, pectora humana redigit in cinerem, atque fauillam. Hic ſplendor gloriæ eſt, qui nebulas inter, obſcuroſque dies etiam præſtringit aciem nobis aufertque. Cùm igitur videas quàm pernicioſa ſint, et falſa inſignia honoris, cur non animum inducis contemnere ea atque aſpernari? Cur non perorante talia me, apud animum tuum ipſe ita loqueris? Agnoſco vanas honoris vmbras, fraudeſque et fallacias earum: agnoſco vecordiam ipſe meam, quòd adhuc tanti iſta fecerim, atque tam effuſè adamarim. Non ſine animi mei fructu fuerit hodie tanta Saluatoris humilitas: non deerit qui exemplum id ſequatur. Sumpſit carnem hanc Saluator, diu inter peccatores egit, peccator ipſe habitus inuſtuſque pec-

cati

cati nota. Qui faſtus, quæ ſuperbia non à vobis fugerit, ſi talia vobiſcum ipſi locuti eritis. O vos ſanè felices, ſi ſuperbiam elationemque animi omnem agitationibus huiuſmodi pelletis. Manent enim vos præmia æterna, quibus gloria infinita continetur.

CVR DEI FILIVS PROPRIVM *ſibi nomen imponi voluerit, quo appellaretur.*

CONCIO IV.

SI ego dicerem, Auditores, in circumciſione Chriſti humilitatem quandam infinitam adhibitam fuiſſe, dum ſcilicet voluit ipſe obnoxius eſſe legi, dumque ſanctiſſimo ſuo corpore, membriſque puriſſimis in ipſo vitæ primordio, tenerrimaque ætate ſubijt vltro tormenta, doloreſque grauiſſimos, vera ſanè iſta dicerem, ſed à multis alijs etiam ſæpe pronuntiata. Sed ſi dixero, ſuper hæc omnia opera extrema humilitatis illud fuiſſe, quod Dei Filius, Saluatorque noſter voluerit proprium ſibi nomen imponi, quo nuncuparetur, id tam nouum et admirabile videri poterit, quàm verum,

manifeſtumque eſt. Atque vt intelligatis cuiuſmodi ſit iſtud, quod nunc à me dicitur, maximè attentos vos eſſe oportebit. Nomina, quæ rebus aſſiduè imponuntur, ſunt illuſtrium imaginum inſtar, quæ non corporis oculis, ſed animo, et menti, memoriæque noſtræ naturam, et vim rerum ipſarum ſubijciunt, atque repræſentant. Videturque nominis eſſe hoc, vt circumſcribere, ac definire rem vnamquamque poſſit, docendo ſcilicet quidnam ea res ſit, eamque à cæteris propria nota diſtinguendo. Inde fit, vt magnæ cuiuſdam ſapientiæ, eximiæque artis opus ſit, rectè imponere præſtantiſſimæ cuique naturæ id nomen, cuius ſono natura illa declaretur, atque definiatur, licèt Naturæ diuinæ nullum eiuſmodi nomen reperiri poſſit, quo ſcilicet
Gen. cap. 32. n. 29. *ipſa exprimatur. De eo enim ita legitur;* Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? *Sunt præterea voces ſigna quædam intelligentiæ noſtræ, fiuntque noſtri animi intelligendo ſimilitudines, et formæ quædam rerum intellectarum. Atque ideo ſicuti non poſſumus perfectè intelligere rem aliquam ſublimem, atque infinitam: ita ne perfectum quidem ei nomen imponere poſſumus. Idemque eſt nomen imponere nomini alicui, ac noviſſe hominem eum: vnde illud in Exodo legitur;*
Exodi cap. 33. n. 12. Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. *Quod ſi nomina diuina inſpiciamus, quæ in*

veteri

veteri lege ſcripta ſunt, reperiemus, Deum ſemper appellatum fuiſſe nominibus, quibus vel ſimilitudo aliqua ineſſet, veluti Lucis, et Ignis, vel natura eius tantùm, non autem perſona ſignificaretur. Ideò, nomina illa, Admirabilis, Deus, Fortis, celebreque nomen illud אדני Adonai Hebraicè attribuitur eſſentiæ Diuinæ; multòque magis nomen alterum illud יהוה Iehouah, quod inter Dei nomina ſanctiſſimum atque celeberrimum eſt. Nouæ legis igitur ſingulare munus hoc, noſce nomina Diuina, quorum vi, et præſertim nomine Ieſu ſingularis perſonæ ſignificatur, atque manifeſtatur. Hoc verò nomen è Cælo datum fuit, quia humanæ mentis eſt rudi quadam intelligentia complecti res ipſas, rudique ſermone vti. Varia fuere nomina, quibus Adamus cuncta notauit, atque diſtinxit, ſed ea ille ſumebat à rebus ipſis; quæ res in ea nominum impoſitione fuere magiſtræ Adamo. Nos verò vndenam Ieſu nomen accipere potuimus, niſi è Cælo, luceque illa, quæ omnes illuſtrat, quotquot in hac infima valle morantur? Atque hæc diuina lux, radiuſque iſte cæleſtis diuino nutu deſcendit è Cælo, vt nomen imponeretur ei, qui verè ſine nomine erat, vtque infinitum illud nominis ſui nota circumſcriptam quandam definitamque vim præferret. Nonne autem noua quædam hæc, et inuſitata forma humilitatis,

militatis et abiectionis fuit apud animos eorum, qui magnitudinem, et poteſtatem illam infinitam alioqui ignoraſſent? Sed ò vanas hominum cogitationes, moreſque vanos! Terra ipſa audet efferri ſuperbia, faſtuque inani, dum minoribus inſultat, appetitque titulos inanes, et illuſtria nomina, aliaque ſpecioſa dictu: voluntque homines ceruice inflata incedere, vileque cœnum, et cinis humi continere ſe non poteſt, attollitque ſe vltra et ſumma petit. Sed tetrius, turpiuſque nonnihil faciunt, audentque mortales; ſacrilegiumque maius admittitur. Nam quò humana mens virtute ſua, et fauore diuino, quod vix aſſequitur, vt Dei nomen ſatis reuerenter pronuntiare poſſit, illuc contumacia perditorum, menſque impura ſe ſe erigere audet, ſanctiſſimum illud nomen impiè pronuntiando. Neque reſponderit ita mihi quiſpiam: nullas in Deum ego voces impias iacto. Satis eſt ad flagitium, exitiumque tuum, ſi ſanctum eius nomen minùs reuerenter, ac religioſè pronunties. Notum pleriſque veſtrum eſſe arbitror, quemadmodum ſapientiſſimi illi veterum Hebræorum proprium Dei nomen יהוה Iehouah religione inducti nuſquam pronuntiare inſtituerint; et eius loco nomen אדני Adonai vſurpabant. Secundo hoc nomine non continentur arcana, neq; admirabilia, quæ primo nomini inſunt,

et

Digitized by Google

et quibus altior diuinarum rerum intellectus, non aquè aquieſcunt duorum horum nominum ſignificationi. Aliud enim ſignificat, qui Dominum, aliud qui Deum dicit; priorq; illa appellatio Angelis etiam aliquando tributa fuit. Ita in Geneſi. Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum. *Per diuinas, humanaſque leges impunè erit irreuerenter pronuntiare nomen illud, quod legis antiqua homines, ſapientia, moribuſque laudati pronuntiare religioſum duxerunt? Dum autem impurè, temerèque Deum appellas, ipſe tibi factus es inimicus, tuaque ſalutis immemor eam tibi abſcindis, atque aufers.* Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. *Et alibi;* Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Similis illi es, qui maris medio ventis elatus diſſoluere, aut corrumpere nauigium illud ſtudet, à quo vita ſua ſalus pendet. Quòd ſi flagitij culpam huius metiri velimus non tam magnitudine damnorum, quæ inde ſequuntur, quàm turpitudine, et grauitate ipſius, affirmare ego poſſe videor, licet idololatria flagitium cuncta hominum ſcelera ſuperet, verborum tamen impiorum, peierandique licentia neſcio quomodo plus habere turpitudinis, et fœditatis videtur.*

Gen. cap. 18. u. 3.

Act cap. 4. u. 12.

1. ad Cor. cap. 6. u. 11.

Cul-

Cultores namque Deorum inanium propoſitum vtique habent Numinis ſui honorem, ſique in vero Deo agnoſcendo miſerè decipiantur, nuſquam tamen afficere contumelia Numen illud ſuum cogitant: atque de celebri conuiuio ſolemnibuſque epulis Gentium ita legimus; Laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſquè & lapideos: *Tibi verò congerendi probra, contumeliaſque in Deum flagrantisſima ſitis eſt, ſcienſque et volens effers impura ſacrilega verba, aliaque tua ſuper alias nefaria voces audiuntur. Quid tibi reliquum eſt, quod impurius ſceleſtiuſque facere poſſis; ſiquidem huius turpitudine flagitij etiam Idololatriæ monſtrum vincis? Sed et impurior es ſceleſtiorque damnatis, qui iactant quidem impias in Deum voces, ſed liberalitatis Diuinæ fructus omnis, ſpeſque illis abſciſſa eſt, infelicibuſque illis ad ipſum pœna tormentumque eſt, quòd vtique exiſtunt. Tu autem nouis ſubinde Diuinæ Beneficentiæ donis auctus, eaque tenens manu ſimul, et ore Deum violas atque offendis. Nihil dico de beneficijs alijs, quæ diuinitus tibi aſſiduè tribuuntur: de ſacrilego tuo ore tantùm, bucciſque impuris hoc dico, inter ipſam peierandi blaſphemandique temeritatem, duo eſſe beneficia Diuina, quæ vſurpas, ſpirando ſcilicet, et reſpirando. Munera tu Dei igitur ad contumeliam ipſius*

Dan. cap. 5. n. 4.

ipſius conferre audebis? Ea, quæ tibi ſunt tributa diuinitùs præſidia et ſubſidia vitæ, arma tibi fient in Deum? Quid cogitari fierique poteſt, quo peruerſitas iſta ſuperetur? Sanè malitiam, et ſcelera mortalium aliquorum cum aliorum hominum ſceleribus comparari debuerant; ideoque non auſim ego progredi vlteriùs, reoſque flagitij huius homines Dæmonum furore et rabie vti tetriores, arguere, de quibus ità legitur; Credunt, & contremiſcunt; *et alibi*; Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: *Non colunt Deum, quia contemnunt; neque intremiſcunt magnitudine eius, quia nimium audent; non ritè credunt, quia impurè loquuntur. Videmus præterea, obedientiores eſſe diuinis præceptis malignos eos Spiritus, qui corpora humana obſederunt, quàm ſceleratos iſtos, quos neque humanæ leges, nec diuina iura mouent. Cedit maior potentia, nec cedere volet minor? Sed facit orationis noſtræ modum præſcripti temporis lex; ideoque nihil vltra dicendum erit de ſcelere flagitioque iſtorum, qui nomine diuino abutuntur. Non à te peto, vt Sanctus innocenſque ſis: non poſtulo, vt Diuinam Maieſtatem crebro multumque adores: non Angelicam à te vitam contemplationemque Gloriæ Cæleſtis requiro? Tantum peto, ne multis ſceleratis hominibus ſceleſtior, impuriorque*

Iacobi cap. 2. u. 19

Ad Philip. cap. 2. u. 10.

riorque eſſe pergas: peto ne cultoribus Idolorum, Furijſque Inferorum tetrior eſſe velis. Hoc vnum poſco ab homine, et à Chriſtiano, et ab eo, quem honeſtatis eſſe effigiem, atque exemplar oportebat. Sed ne id quidem impetrare poſſum. Si nimium eſt id, quod poſtulaui, leuius quiddam, faciliùſque poſco. Cuiuſmodi autem id eſſe poteſt? Concedere mihi debebitis, auditores, id, quo nihil, neque leuiore negotio, neque maiore veſtro bono fieri poteſt.

DE MAGNITVDINE
Nominis Ieſu.

CONCIO V.

Lucę cap.2.n.21. ET vocatum eſt nomen eius Ieſus. *Appellatus eſt eo nomine, cuius ipſa pronuntiatione ac ſono leniuntur curæ, perturbationeſque noſtræ, quod lucem oculis, palato ſaporem, bona omnia animo*
S. Bern. Serm. 15. ſuper 1. Cant. *infert. Hoc eſt oleum, inquit pia lingua Bernardi, quod per Iudæam primo diffuſum, manauit in omnes deinde terras, atque penetrauit in partes etiam vltimas; eiuſque nominis ſono*
Cant. cap.5.n.13. *terræ voragines intremuere. Hæc ſunt labia Sponſi*

Digitized by Google

Sponſi conſtructa è lilijs, vndè mirrha aſſiduè ſtillat: hic dulciſſimus ille fauus eſt in Sponſa, Ibid. cap 4. u. 1. *hoc eſt in Eccleſia ore natus: hoc lac, hoc mel eſt.* Ibidem. *Sed inſuper altiſſimum hoc, et cæleſte nomen eſt, plenumque myſteriorum, ſicuti demonſtrare pergam. Nomina ſunt argumenta, et ſigna perturbationum motuumque illorum, quos animus noſter ciere ſolet; ſuntque voces interpretes ac nunciæ animi. Ac ſicuti notæ litterarum ſcribentibus nobis ſubijciunt verba, oculique potiuntur rem, quæ antea in poteſtate linguæ fuerat: ita nomina transferunt ad aures noſtras id, quod fuerat priùs theſaurus animi, non autem ſenſuum. Hæc nomina adhiberi poſſunt, prout cuique viſum, placitumque fuerit, atque ab vario nominum vſu varietas et multitudo ipſa linguarum ortum duxit. Nominum autem præſtantiſſima illa ſunt, quæ naturam conditionemque rei aptiùs expreſſiùsque complectuntur, ac declarant; ideoque veterum Sapientum vnus dixerat olim, nomina* Plato in Crat. *imagines eſſe rerum. Magnaque et eximia ſapientiæ virorum, non multitudinis imperitæ eſt nomina imponere; quæ rem, naturamque contineant et declarent. Atque ille, qui tam eximijs,* Plato ibid. *præclariſque inſtitutis ordinare Rempublicam potuit, munus hoc nominum imponendorum cenſuerat ad conditores legum pertinere. Et primus*

X ille

ille mortalium, cui tantum ſapientiæ diuino munere obtigerat, illud quoque inter cætera decora, honoreſque eximios obtinuit, vt rerum creatarum nominibus ad philoſophandum vteretur, cuius altæ, diuinæque Sapientiæ veſtigia lingua Hebræorum adhuc præfert, atque conſeruat. Quòd ſi in Mundi primordio ſapientior Adamo quiſpiam aptiùs, meliùſque nomina rebus imponere potuiſſet, haud dubiè ſapientiæ huius arcana naturæ interiùs, altiùſque nobis aperuiſſet. Sed cùm Sapientia Diuina voluerit ipſa ſibi nomen imponere, credere oportet, id fuiſſe adeo ſingulare, adeoque mirificum, vt aciem intelligentiamque omnem humanæ mentis longè ſuperaret. Quis autem vim efficaciamque virtutis eius nominis vnquam aſſequi cogitando, et verbis exprimere poſſit? Nam ſi Adamus tam apta, et tam plena myſteriorum nomina excogitare potuit, quid cenſebimus feciſſe Deum ipſum, dum ſibi pararet inueniretque nomen? Præterea, ſi Deus ipſe in hominibus alijs appellandis, alta id ratione fecit, veluti cùm Abrahamum, et Iacobum, et alios ſuo quemque nomine inſigniret, in ſuo ipſius nomine quantum ſapientiæ adhibitum eſſe cenſemus? Quòd ſi dicat aliquis, notum atque peruulgatum eſſe nominis Ieſu ſenſum, quo nomine Baſilius populi ſalutem, Cyrillus Hieroſolymitanus

S. Baſil. Hom. 25. de hum. Chriſti gen.

mitanus Saluatorem, Græci, et Hebræi ferè medicum ſignificari dixere; reſponderi poteſt: ſicuti naturam eſſentiamque diuinam exprimens vox vna reperiri nequit, quemadmodum Baſilius contra Eunomium affirmat: ita ne mente quidem humana concipi poſſe nominum horum vim atque virtutem, in quorum receſſu maius ampliuſque nonnihil ſemper eſt, quàm quantum promptè prætulerunt. Exemplo poteſt eſſe nomen admirabile יהוה Iehouah *inclytum illud apud Hebræos ſimul, et Latinos, et Græcos, cuius nominis vim exprimi poſſe Græci diffidentes, non auſi ſunt id in aliam linguam transferre, ſpeciemque tantummodo eius, et veluti corticem repræſentauere,* Tetragrammaton *id nomen appellando, vt litteræ quatuor eius nominis, velut emortuæ et mutæ repræſentarentur. Ac ſanè ſubit admiratio meum animum, cur, cùm tam diues Græcorum lingua nominum ſit, abſtinuerint ab hoc nomine facundiam illam facilitatemque ſuam; neque vlteriùs progredi auſi, continuerint ſe ſe reuerenter intra deſcriptionis inchoatæ terminos; atque vmbras. Ita dicendum, affirmandumq; mihi nunc oportet, nonnullos, licèt credant vim atq; ſenſum nominis Ieſu ſe probè tenere, falli tamen in eo, partemque myſterij eius, non totum vtique myſterium eſſe aſſecutos. Res tota diuina eſt, arcana, et magna,*

et digna labijs, oreque Dei, non vt mortale quidquam demonſtraret, ſed ſe ipſum, quoad fieri poſſit. Quanta igitur veneratione proſequi nomen id debemus quantoque honore, et religioſo cultu? Vos tamen illud et rarò inuocatis, et ferè irreuerenter, nec honore debito ac iuſto. Sed id quoque leue eſt, præ magnitudine culpæ eius, cuius argui vos oportet. Contemptui ſunt vobis ſancta Dei nomina, neque hoc tantummodo, ſed omnia ſimul. Iam annus eſt, cùm hoc ipſo die, hoc eodem loco tam graue ſcelus ita coargui, vt contra hiſcere nullus auderet, nulluſque negare quin vera exprobrarentur. Dixi, contemptores iſtos nominis Diuini nequiores eſſe omnibus, qui Idola adorarent, et Dæmone ipſo turpiores. Nunc in animo habeo confutare defenſionem, qua falsò vtuntur homines infenſi Deo, aduerſarijque Numini et Maieſtati eius. Quodnam autem iſtud eſſe mendacium putatis, quo flagitium ſuum eleuare iſti conantur? Aiunt peccare ipſos conſuetudine quadam, temerèque, atque inconſultè voces excidere ipſis ſacrilegas illas atque impuras. Vt poſſis ipſe tibi reſpondere, turpiſſime homo, reputa quæſo tecum ipſe quot alijs, quantiſque peccatis lingua tua te ipſum, alioſque polluerit, antequam mos et conſuetudo illa tibi contraheretur, quæ flagitioſæ præteritæ tuæ vitæ certiſſimum argumentum eſt. Ita natura, non volun-

voluntate factus nequam atque impurus; quod malorum extremum eſt. Habitus naturam dedit, et natura habitum, idque præter inſtinctum naturæ ipſius, quæ oculos, vocem, et pectus, et animum ad Deum ſemper vertit, atque inclinat. Namque dum pronuntiari Dei nomen audis, ſuadet natura, vt illud adores, opemque inde petas. Numquam verò excuſatio iſta conſuetudinis culpam minuit; quandoquidem peccandi facilitas de magnitudine culpæ nihil detrahit: ſicuti ex diuerſo inter virtutis opera, nec facilitas, nec difficultas ipſa rerum auget, eleuatve meritum, et momenta rerum. Namque alioqui monachus ille antiquus, qui multorum annorum vſu, cilicio, ieiunijs, et ſolitudine aſſuefactus, ad aſperitatem illam, laboreſque planè obdurauit, nihilò maior eſſet alumno ſuo tenero, et recenti, qui itinera illa primùm ingreditur. Non igitur facilitas meritum adimit, ſicuti ne peccatum quidem excuſat. Quòd ſi veritatis huius argumenta adhuc efficaciora requiris: ni ita eſſet, ſequeretur, vt quò quiſque flagitioſior eſſet, eò excuſatior haberetur. Inde fit, vt agendi facilitas ab habitu profecta, neque meritum minuat, neque tollat culpam. Sin autem ab rei natura, circa quam occupati ſumus, proficiſcatur ea facilitas, et meritum, et culpam ea minuere poteſt. Verùm,

argu-

argumentorum ſatis iam probationumque eſt. Ad lacrymas, et lamenta iam hinc oratio mea ſe ſe conuertet, atque vnà cum eximio inclyto illo calamitatum humanarum deploratore ſic dicam;

Iob cap. 15. n. 15. & 16. Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem? *Temerè, improuidèque iſti peccant, nec ſolùm peccata hauriunt, velut aquæ potum: ſed peccant, inhoneſteque loquuntur, et contumelioſè agunt, et execrantur, et fidem quoque ſanctam eiurant eadem facilitate, qua reciprocant animam. Sed faceſſant procul hinc aliquando monſtra iſta verborum; nec mihi vel dicere, vel vobis audire, talia vltra neceſſe ſit. Faceſſat mœſtitia denique tanta, et dolor: ſilentioque ipſo linguas impuras deteſtemur; aureſque noſtræ claudantur vocibus, quas nec improbos iſtos pronuntiare, nec nos audire fas eſt. Ita namque pro atrocitate flagitij ſatis caſtigati erunt, ſi neque hominum, neque Chriſtianorum numero habeantur.*

DE

DE SPIRITVALI NOSTRA *Circumciſione*.

CONCIO VI.

NVLLA tellus vnquam ſpinarum, vepriumque tam fœcunda fuit, neque valles, monteſve vlli tot venenatas herbas aluere, quot formæ ſolicitudinum, atque culparum in pectore humano gignuntur, atque aluntur. Vetuſque illa, et triſtiſſima ſententia non in terram modò hanc, quæ premitur nobis et calcatur, ſed in animorum quoque noſtrorum infeliciorem terram cadit. Vtraque tellus, et campus vterque ab eo initio, ſententiaque lata tribulis oppletur: itaque illæ cæleſtes, ſpinas & tribulos germinabit tibi, *non* Gen. cap. 3. u. 18. *ad agros tantùm, ſed ad animos quoque hominum pertinuere. Ideo, conandum nobis ſemper, enitendumque eſt, vt malignas herbas, fribraſque et radices earum, et hæc venenata germina extirpemus. Quodque veteri Hebraica lege ſancitum fuit, vt pars humani corporis recideretur, huius intimæ neceſſariæ circumciſionis myſterium et figura fuit. Harum ego circumciſionum alteram prætermittens, de altera hodie acturus ſum,*

quæ

quæ ad fructum et diſciplinam animi noſtri pertinet. Duæ ſunt partes, ex quibus homo conſtat, anima, et corpus, ſpiritus, et caro, exterior, interiorque lex, ac proinde circumciſionis duplex etiam genus. Spiritualis circumciſio multis, varijſque nominibus in ſacris Litteris appellata eſt.

Ierem. cap. 4. u. 4. *Cordis namq; circumciſionem legimus apud Prophetam Ieremiam, intuente Vate diuino ſpinas, et tribulos, et venena pectoris humani naſcentia*

Ad Coloſ. cap. 2. u. 11. *illic, et germinantia ſemper. Dicitur circumciſio non facta manu, deſcribiturque ſic ab Apoſtolo, quia non corpus, ſed animum ipſa attingit.*

Ad Rom. cap. 2. u. 29. *Dicitur circumciſio facta per ſpiritum; quia fruc-*

Ad Coloſ. cap. 2. u. 11. *tus, vtilitaſque eius ſpiritu continetur. Dicitur circumciſio Chriſti; quia nouam hanc ille diſciplinam tradidit ignotam antea Patribus antiquis, cùm lex antiqua careret vi atque facultate perfectionis impertiendæ; quæ vis et poteſtas Euā-*

Ierem. cap. 4. u. 4. *gelio ineſt. Dicitur circumciſio ob Dominum; quia nihil humani, neque terreni, ſed ſupera et diuina omnia intuenda ſunt ei, qui ita circumciditur.*

Ad Rom. cap. 2. u. 29. *Dicitur denique myſterium, cuius gloria, et magnitudo non à mortalibus vllis, ſed à Deo proficiſcitur; et ab oculorum ſenſu remota, neque ſub ſenſum omnino vllum cadens, latebat cæcas Hebræorum mentes, qui corporis tantummodo circumciſionem agnoſcebant. Cùm igitur huius*

perfec-

perfectiſſimæ circumciſionis nomina propoſita atque explicata ſint, reliquum eſt, vt eius quoque vim et naturam explicemus. Atque hæc ipſa à Sancto Patre Chryſoſtomo mirificè declarata eſt biſce verbis; Quæ tua ſpiritualis circumciſio? Omnis malæ concupiſcentiæ exciſio, & ab ea auerſio. Quod tuum Altare? Mens tua ſpiritualis. Quod ſpirituale tuum ſacrificium? Omnis bona operatio. Quis altaris tui ignis? Compunctionis calor. Quod Templum tuum à Deo conditum? Mundum cor, in quo Deus habitare amat. *Circumciſio ſpiritus atque animi, ſicuti in multis locis Chryſoſtomus, et Cyprianus, et Ambroſius docent, in id præcipuè adhibetur, vt praui et corrupti noſtri animi motus, immodicæque perturbationes auferantur, vtque remedium paretur malis etiam illis, quæ ſola primi Parentis culpa nobis incubuere, atque ex turbido illo fonte manarunt. Cùm natura humana in primo illo ſuo ſtatu felix, et plena bonorum, plena dignitatis ageret, obnoxium erat animæ corpus, animæque partes inferiores imperium atque poteſtatem ſuperiorum ſequebantur, et mens Deo obediens erat. Hic pulcherrimus ordo corruptus, atque diſſolutus traxit ruinam omnium rerum, et mala cuncta nobis incubuere. Hinc circumcidendi neceſſitas, hoc eſt malorum remedium,*

D. Chryſoſtom. Serm in Pent. de Spiritu Sācto tom. 3.

dium, et compenſatio damni. Germinant exiſtuntque perturbationes? Illico recidantur. Peccati labes exiſtit? Tollatur ea deformitas, radixque illa extirpetur. Quòd ſi communes humani generis, et proprias quiſque ſuas miſerias noſcere cupit, ſciat, hominem à Deo ita initio creatum fuiſſe voluntate, et intellectu præditum, vt capax Diuinæ Maieſtatis etiam eſſet. Vtque voluntatem, et intellectum eadem Diuina Maieſtas inter ſe iungeret, parteſque illas tanta poteſtate præditas vinculo vno complecteretur, ſenſus aptos aſſignauit, capaces videlicet rerum omnium, auidoſque, de quibus ita dictum eſt; Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. *Hæc omnia cùm ita inſtituiſſet feciſſetque Deus, pactum veluti quoddam cum ipſo homine inijt, tanquam ita diceret. Has animi partes adeo egregias efficaceſque tibi conceſſi, quæ quoniam non vſquequaque plenæ ſunt, nec refertæ, nec exæquatæ obiectis ſuis; liberas vacuaſque relinques ad id tempus cùm replendæ, et cumulandæ erunt. Nunc tibi ſufficiat data fides, ſpecimenque futuræ iucunditatis, quam in tempore habiturus es. Quid deinde factum eſt? Impatiens homo moræ, et nimis ſeram eam venire felicitatem ratus, non potuit vacuas continere partes, eaſque mille noxijs rebus repleuit, quæ res cùm ad animum ipſum*

Eccleſiaſtes cap. 1. n. 8.

quadam

quadam contagione pertingant, ibique ſedeant, ſunt circumciſione recidendæ. Ea circumciſio dicitur, non autem extirpatio, quia malum hoc ſemen recidi tantùm, non autem euelli poteſt. Itemque circumciſio dicitur, quia circumſtant nos vndique mala, et ab omni parte circa noſtrum animum germinant. Ac fortaſſe prima ætas circumciſioni deſtinata fuerat, vt in ipſo vitæ primordio mortales dolori aſſueſcerent, inciperentque frænare, et in poteſtate habere ſenſus ſuos, et ſæua irritamenta carnis. Campus autem, ex quo tribuli ſpinæque iſtæ tollendæ ſunt, tam latè patet, vt nullus vnquam talem animi ſui campum vno tempore purgare potuerit vepribus ſpiniſque iſtis, cùm germinare inciperent: ſpinæque nonnullæ acriores atque vehementiores fuere, quæ numquam tolli excindique potuerunt, veluti mors, et morbi, et ignorantia, quæ ſine remedio mala nobis obtigerunt, fruſtraque radicibus illis ferrum admouetur. Item ſi, omiſſa hac in vniuerſum deſcriptione ſtatus conditioniſque noſtræ, velitis propiùs vobis certiùſque demonſtrari ea, quæ recidenda ſint, id quoque exequi ac docere paratus ſum. Recidendæ ſunt in primis, atque extirpandæ peccandi occaſiones. Monachi veteres, ſicuti refert idoneus auctor, vaſtitatis immenſæ ſolitudines ingrediebantur, abdebantque ſe in deſerta illa,

ducti ſpiritu humilitatis, quò longiùs ab occaſione peccandi abeſſent. Vos verò occaſiones eas vltro quæritis, pergitiſque conſectari. Præterea, danda opera vnicuique eſt, vt genus omne peccati tollat ex animo ſuo; miſerique illi erunt, qui confitentur ita peccata, vt tollere atque amouere illa minimè ſtudeant, miſerique ſacerdotes etiam, qui confeſſiones ita audiunt, vt nullam adhibeant percunctandi curam, quò campi cæleſtes animarum nitidi, cultique et purgati appareant. Tertio loco de affectibus humani animi dicendum erit, quos item tollere, ac delere ex animo vnuſquiſque debet, eorumque formas Apoſtolus recenſet. Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. *Quibus ſanè Apoſtoli verbis non ſolum genera culparum, ſed etiam ſtimuli inclinationeſque carnis notantur. Talem eſſe animi circumciſionem oportet, auditores, talibuſque nominibus ea nuncupatur, talis natura eius eſt, talia effecta ſequuntur eam. Hoc circumciſionis genus nunquam intelligere et aſſequi Hebræi potuerunt, quorum in ea re triplex et grauiſſimus error fuit. Primò enim ignorauere quænam eſſet verior, et magis perfecta circumciſio, ſed eius tantummodo vmbram intuebantur, erroremque illum Apoſtolus ita arguit.* In quo & circumciſi eſtis circumciſione

Ad Gal. cap. 5. u. 19.

Ad Coloſ. cap. 2. u. 11.

non

non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti. *Inſuper, perſuaſum erat eis totam ipſorum ſalutem, ſummamque rerum in corpore circumcidendo poſitam eſſe, neque quidquam præterea penſi habebant, atque in hos Apoſtolus ita inuehitur.* Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. *Myſterium etiam iſtud obibant Hebræi, moris approbationiſque communis potiùs cauſa, quàm virtutis pietatiſque ergo; id quod Apoſtolus idem ita coarguit.* Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. *Infelix itaque Hebræorum genus, qui tardi hebeteſque adeo fuere ad myſteria diuina percipienda. Sed fortaſſe nihilò felicior natura noſtra eſt, vel potiùs ſopita hac mens, quæ nihil curæ in eo adhibet, vt animi campum excolat, et tantummodo ſementis meſſiſque cogitatio ſedet animis, hoc eſt commodorum atque voluptatum. Cùmque curis alijs grauioribus minimè occupatus ſis, non ſolùm magnam illam tanti momenti curam negligis, verùm etiam nulli laudabili operi intentus ob minima*

Ad Rom. cap. 2. n. 25.

Ibidem cap. 2. n. 28.

et

et leuiſſima quæque hanc obliuioni tradis. Ita ſtolidus arator olim (quoniam de agris loquimur) leuiſſima de cauſa abnuit inire conuiuium, cui adhibendus erat, experſque cœnæ magnæ fuit. Iuga
Lucæ cap. 14. u. 19. bouum, *inquit*, emi quinque, & eo probare illa: *Chriſtus erat paterfamilias, qui infelicem illum comiter et benignè inuitabat: celebre conuiuium erat, opiparèque inſtructum: non ad laborem, ſed ad epulas vocabatur. Et tamen reſpondere audet;* Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa. *Non arandum ſibi dixerat, ſulcandumve agrum, ſementemve faciendam, ſegeteſque metendas: tantùm inanis curæ cauſa, vanoque appetitu ſtimulante, contumax aduerſus tantæ rei inuitationem fuit. Hæc ſunt inania ſtudia eorum, qui animæ ſuæ terram ſegniter colunt, abſque cura recidendi vel euellendi purgandique pectorum ſuorum deſerta, et quidquid ibi noxium atque inutile naſcitur. Vidiſtis quid ſit hæc ſpiritualis circumciſio, quam adhiberi induſtriam per vos oporteat, quæ vobis herbæ euellendæ ſint?*

Hæc rectè vobis intelligenda primùm ſunt, deinde in animum mentemque dimittenda, ſedulòque exequenda, quoniam ſancita diuinitus et conſtituta ſunt.

DE

DE CIRCVMCISIONE *corporis apud Hebræos.*

CONCIO VII.

EORVM, qui apud alios verba faciunt, ea conditio eſt, vt, quantò plus auditoribus accedit, tantum ferè amittat Orator, eaque diminutio concioni ipſi incrementum fiat. Ac licèt neſciam ego, meis ſuperiorum temporum orationibus atque ſermonibus, quæ vobis opes, quive fructus pacti ſint, cùm de circumciſionis Chriſti myſterio, deque cauſis, cur circumcidi ipſe voluerit, et de magna eius circa eam rem humilitate, deque circumciſione ſpirituali, et de nomine Ieſu egerim; hoc certè ſcio, probèque intelligo, inopem iam me eſse factum, ita ſcilicet, vt non facilè explicauerim nouum apud vos argumentum materiamque orationis, quam ſequi debeam, niſi ſi fortaſſe rem antea numquam vobis exquiſitè demonſtratam docere atque aperire ingrediar, quid ſcilicet apud Hebræos circumciſio corporis ſignificaret, quidve per eam illi aſſequerentur. De ea re nobis hodie agendum eſt, eamque rem cùm nouæ legis Sacramentis, quæ Sacramenta circumciſioni ſucceſ-

ſere

ſere comparabimus. Simul conſiderabimus commentabimurque nonnulla, quæ vobis ad vitam rectè inſtituendam documento eſſe poſſint. Sciendum vobis itaque eſt poſt primi noſtri Parentis culpam, manante ad genus humanum duplici malo, ignorantiæ videlicet, et malitiæ, parentem eundem, ſubeunte pænitentia animum, agere id atque tentare cœpiſſe, vt et mores ipſe ſuos emendaret, et proli ſuæ conſuleret, atque ita imbuiſſe diuinis legibus eos, multùmque elaboraſſe, ne fidei lumen omnino reſtinctum, et memoria beneficiorum diuinorum ſublata omnis atque abolita videretur. Tantuſque fidei ardor in bonorum animis per ea tempora erat, vt cùm nullo alio ſubſidio opus eſſet, fidem et pietatem vnuſquiſque ſuam teſtari conaretur, et precibus, et adoratione multiplici, adderentque dona, et ſacrificia, et ignes victimaſque aris. Verùm cùm hæc ipſa extrinſeca eſſent, et ab hominis animo remota, vel certè non firma, nec ſtabilia ſemper, neceſſitati hominum minimè ſatisfaciebant, malitiaque nimiùm increſcente, nouo ſubſidio opus fuit, quo humani generis damna ſarcirentur. Tunc Deus ſub Abrahami ferè ætatem remedium præſens atque opportunum generi humano admouit. Sigillum id fuerat, certaque et propria, ſingulariſque nota impreſſa humanæ carni, quod ſigillum, quæve nota,

veluti

veluti pignus eſſet, vinculumque fidei profeßionis, vt quam fidem animo conceptam mortales haberent, eam apud omnes publicè teſtarentur. Ut autem ſignum hoc fructui nobis eſſe poſſet, vtque myſteria ſigni eius inclyta et memorabilia fierent, ſtatutum ita diuinitus decretumque eſt, vt ſigni eius efficacia et virtute deleretur labes, et nota primæ culpæ, ſimulque flamma perennis illa ſedaretur, quæ appetitu et libidine carnis accenſa immodicè ſæuiret. Ea profeßio fidei ante Abrahami ætatem minimè neceſſaria fuerat. Non enim ante eum populus Hebræorum ſeparari ſecernique à gentibus tantopere cœperat, quantum ſub eo Patriarcha ſeparatus atque ſecretus fuit. Vtque populo vni ſimul congregato lex daretur, neceſſe fuerat, populum ipſum ſigni huius pignore coaleſcere priùs atque coniungi, deinde ſcribi darique legem. Hoc circumciſionis myſterium fuit: hæc cauſa initiumque myſterij: hoc vox ipſa ſignificat: hæc effecta ſequebantur. Quæ ſanè circumciſio, licèt ſanctißima res, et plena myſteriorum eſſet, multum tamen ceßit ſemper magnitudini, et diuinitati ſacramentorum nouæ legis. Quòd ſi populo illi ſtolido et contumaci notæ ſignique huius cæleſte pignus à Numine datum fuit; quid tandem populo Chriſtiano fiet, fideli ſcilicet, et charo acceptoque Numini? Quantum

tum antecellere genti nominique Hebræorum, Chriſtianos ius faſque erit? Quòd ſi vim dignitatemque ſacramentorum hoc loco conſiderare ingrediamur, videor ego nihil à ſuſcepto argumento alienum eſſe facturus. Hoc enim etiam pertinet ad demonſtrandum, quale myſterium eſſet apud Hebræos inſtitutæ circumciſionis. Atque vt magnitudinem prærogatiuæ Chriſtianorum clariùs meliùſque intelligatis, conſiderate, quæſo, mecum vnà, qui vir, et quantus Patriarcha Abrahamus eſſet. Sanctiſſimus ille, ſapientiſſimuſque Patriarcha, gentium innumerabilium pater: quas gentes ei prolem ſobolemque Deus promiſerat: cui ab domo, patriaque ſua egredienti diuinà liberalitas terram, regnumque nouum parauerat: cui victoria de Regibus data diuinitus fuit ex eo bello, quod primum omnium inter mortales geſtum fuit. Cùmque Patriarcha tantus ille fuerit, honoris tamen eius nominiſque amplificandi cauſa, circumciſionis ſignum ei datum eſt, quo non dabatur Gratia, ſed tantummodo ſignificabatur; eoque ipſo infra ſacramenta omnia nouæ legis erat. At nouæ legis munere quilibet ſimplex homo, pauperque, et muliercula vna in eum Gratiæ locum aſſumitur, vt particeps compoſque ſacramentorum fiat, atque id toties, quoties obire ea ad ſalutem pertinet.

net. Prætereà, in antiqua lege ſignum vnicum circumciſionis dederat Deus ei populo: nobis verò tot ſacramenta dedit, taliaque et tanta virtutis. Hæc ſunt propria et aptiſſima remedia noſtris malis; noſtræque calamitates ſubſidijs huiuſmodi ſuſtentantur atque ſubleuantur. Viſne viam inire Saluatoris? Baptiſmus porta eſt. Viſne robur, vigoremque aſſumere, ne in via ipſa concidas atque labaris? Præſidium munimentumque Confirmatio eſt. Quæriſne cibum ad propulſandam famem? Euchariſtiam habes: Quòd ſi fortè prolapſus eris, quid tandem remedio erit? Pœnitentia. Alijs verò, ne cadant, Matrimonij ope ſubuenitur. Vtquè cœptum iter laudabilius, honeſtiuſque conficiatur, eſt Ordinis quoque ſacramentum. Demum in vita termino, vbi neceſſitas maior, ſubſidium vltimum adeſt, nempe extrema Vnctio nobis conceſſa diuinitus. Habent præterea Chriſtiani non ſacramenta tantùm, ſed auctorem quoque ſacramentorum, tenentque eorum fontem; et Gratiæ largitor inter eos moratur, dum ſcilicet Chriſtus intra viſcera eorum per Euchariſtiæ ſacramentum deſcendit. Quæ tantarum rerum munera circumciſioni comparata ſunt Iſaiæ ſententia, quæ ſub ſimilitudine ac ſpecie fontium, id nobis egregiè repræſentat. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Iſaiæ cap. 12. u. 3.

 Sal-

Saluatoris. *Haurietis, Chriſtiani, gratiæ copiam non tamquam è ciſterna, ſed tamquam è fonte, multiplicesque haurietis aquas, non ſingulares atque vnas. Ineſt namque ſacramentis virtus et efficacia præſens aduerſus noſtra mala. Haurietis autem in gaudio, non autem in luctu lacrymiſque, et ſanguine effuſo, doloreque intolerabili, et manifeſto diſcrimine vitæ, quale periculum in circumciſione adibatur. Plures verò fontes ſacramenta ſunt, non fons vnicus; ſuntque Saluatoris fontes, non fontes Abrahami, ſicuti circumciſio erat. Hæc enim ab ipſo ſumpſerat et nomen, et cæremonias, et primas leges: at ſacramenta tradidit Chriſtus, inſtituitque et ordi-*
Gen. cap. 26. *nauit. Non putei iſti ſunt, quos Patriarcha Iacob à ſuis ſeruis effodi iuſſit ad ſuam, et gregis vtilitatem: ſed myſteria Chriſti ſunt ab ipſo inſtituta, auctorque ipſe, atque inuentor, et titulum eis, et cognomen dedit. Tu verò ſancta hæc et diuina contemnes? Iudæis circumciſio ſancta erit: tibi verò Pœnitentia, et Euchariſtia ſacramentum, venerabile munus, ſanctumque non erit? Non tu ex hoc fonte ſalutares latices haurire voles? Statutum tibi decretumque eſt emori ſiti? Et caue dixeris, ideo non accedere te ad hæc myſteria, quia ſis indignus. Sicuti Sol lumine Solis ipſius cernitur, non autem lumine laternæ: ita*

nos

nos ad ſacramenta præparamur ſacramentorum ipſorum ope. Viſne tu rite confiteri? Fiet hoc, ſi ſæpe confiteri inſtitueris. Viſne nutriri cibo? Accede ad menſam, et ſume cibum. Attamen in tanta copia ieiunus famelicuſque es, pauperque, et nudus. Strenui, et ſumma laude digni milites habiti ſunt illi, qui leuiter attigere aquas, properèque, et quaſi furtim primoribus tantummodo labijs eas guſtarunt. Humanarum namque voluptatum aqua illæ figura erant. At diuinæ aquæ ſacramentorum longè ſecus ſe habent. Non enim cito gradu, neque per occultum, neque vana trepidatione ad Saluatoris fontes accedendum eſt, neque illic mora tædium eſſe debet. Qui verò erga diuina myſteria ita affecti ſunt, videntur mihi ſimiles eſſe canibus Ægypti, de quibus in re diuerſa aliàs me narrantem audiſtis. Belluæ infelices ardent aſſiduè torrenturque ſiti, quam Africana ſabuleta facere poſſunt. Ita vagantur diu quærentes occultos ſinus et receptacula Nili; ibique terrore ferarum incolentium illas aquas, vix lambere modicum quid poſſunt, repetuntque curſus ſuos ærumnoſos, nihil leuata ſiti. Ægyptij canes dici poſſunt iſti, quos neceſſitas ad Gratiæ fontes compellit; ibique vel timore humano capti, vel alia animis offuſa caligine, ſtatim vbi libauere aquas, proripiunt ſe ſe,

atque

atque aufugiunt. Ingrediuntur templum infelices peruigilio ipſo Paſchatis, vel etiam ipſo Paſcatis die, prono in terram capite, belluarum potiùs, quàm hominum more; ibique huc illuc circumſpicientes, quærunt oculis aliquem vnum, cui peccata confiteantur. Mox quaternas quinaſve culpas properè commentati eas, apud ſacerdotem, quem fortè nacti ſunt, effundunt ore impuro: Surgunt inde, protinuſque curſitant ad aram, et labijs impuris Chriſti Corpus recipiunt: terga deinde myſterijs obuertunt: egreſſique templo, per vias et compita omnia, velut amentes, et lymphati diſcurrunt. O perditos hominum mores, remque dignam, cui pij omnes illacrymentur! Non canum inſtar, ad fontes currere debemus, ſed more ceruorum bibamus inde oportet, vt lauti tamquam agni, ſaturique et nitidi prodeamus ab diuinis aquis.

Pſal. 41. u. 1.
Cant. cap. 4. u. 2.

QVÆ

QVÆ FVERIT CAVSA Circumciſionis apud Hebræos.

CONCIO VIII.

DVRA ſanè et aſpera lex apud Hebræos illa fuit, quæ membra vix nata circumcidi iubebat. Tener Infans, recens natus, nondum fortaſſe ſenſum eum habebat, vt cum aliqua voluptate lac maternum exugeret, cùm ſanguinis effundendi tormentum ei adeundum fuit. Cùmque in tantas humanas ærumnas ille natus eſſet, tamquam non ſufficerent illa inchoando, atque ad extremum vſque continuando luctui, nouum aliud acerbioremque dolorem ſentiebat, quo dolor ille communis augeretur. In eo cruento ſacrificio mater offerebat admouebatque aris filium: proximi et ſanguine coniuncti tormentorum artifices erant: nec ſanguis tantùm effundebatur, ſed vita ſæpe infantis. Neque diues, neque nobilis, neque infirmus, ægerve vllus immunis eius tormenti erat. Sed licèt aſpera hæc et horrida lex eſſet, antiqua tamen, et ſancta erat lata diuinitus, confirmata multorum ſæculorum vſu, renouata ſemper inuiolatèque cuſtodita. Dum autem non ſine magna ratione id ita in-

ſtitutum

Digitized by Google

ſtitutum fuiſſe reputo, rationis ſimul eius cauſas, initiumque inueſtigandi occaſio mihi præbetur. In qua quidem inueſtigatione nihil vltra faciendum mihi eſſe arbitror, quàm vt Sancti Chryſoſtomi auctoritatem ex Commentarijs ipſius in Geneſim, capite ſeptimodecimo, repetam. Fuit, inquit ille, circumciſio genti Hebræorum vinculum, et pignus, ac diſciplina, qua monerentur, Numinis tantùm ipſos, non autem alienam eſſe poſſeſſionem, gentemque eſſe ab alia gente ſeiunctam ac ſeparatam. Atque exequendo cætera diuinus Orator, ita ait. Videte ſapientiam Dei, qui prona in malum pectora Hebræorum proſpiciens, ad gentem in officio continendam frænum impoſuit: voluit circumcidi ſingulos, ne gentibus alijs miſceri poſſent: talibuſque vinculis adſtrinxit, obligauitque virtuti: ſtatuitque fines eis, extra quos vagari non poſſent, et contumacibus veluti ſeruis catenas iniecit, ne vagari vſquam et aberrare gens ea poſſet. Hæc, et his ſimilia diuino ore Chryſoſtomus in eam ſententiam effatus eſt: ille ſcilicet aureum flumen orationis fundens, ille Græcæ Chriſtianæ eloquentiæ pater. Atque id verè ab eo eſſe dictum reperiemus, ſi memoria repetere velimus, quàm ſæpe, quàmque varijs modis egerit hoc cum Hebræorum gente Deus, vt à cæteris gentibus, populiſque

S. Chryſoſt. in cap. 17. Gen. Homil. 39.

puliſque ſecreti, et diuerſi eſſe vellent. Id ipſum primò quæſiuit impoſitione nominum ipſorum, cum gentem eam nunc [A] Partem ſuam, nunc [B] Hereditatem, nunc [C] Peculium, nunc [D] Filium, nunc [E] Populum peculiarem, modò [F] Gentem ſanctam, modò ſacerdotale [G] Regnum, modò [H] Genus electus, modò [I] Populum acquiſitum appellaret. Diuerſitate præterea ceremoniarum, rituumque diuinorum, idipſum iniunxit ſignificauitque genti, cùm et propria, ſingulariaque ſacra, et ſacerdotes ſuos, et templa, et aras, et feſtos dies eis aſſignarit. Legibus præterea ipſis idem actum fuiſſe apparet; quarum capita eò ferè pertinuere, vt gens ea à cæteris ſegregaretur. Lex vna vetabat Hebræorum genti fœdus eſſe cum externis vllis; iubebatque omni alienigenarum commercio abſtinere. Alia lege pacta et fœdera, et ſocietates damnantur, denuntiaturque populo, ingrata hæc eſſe Numini. Ne ſanguinem, et genus miſcento cum gentibus alijs: neque Hebræa vlla inde enubito: neve Hebræus ex alienis ducito. Cuncta gentium ſint inuiſa Hebræis; templaque et aras, et idola earum euertere ac delere ſtudeant. Nulla vaſa, nullaque inſtrumenta, et rem omnino nullam, quæ gentium fuerit, deferant in ſua tecta Hebræi; ac ne optare quidem ea licitum ſit. Videtiſne vos igitur, et nominibus, et cultu

A Deut. cap. 32. u. 9.
B Deut. cap 9. u. 29.
C Exodi cap. 19. u. 5.
D Oſee cap. 11 u. 1.
E Deut. cap. 7. u. 6.
F Exodi cap 19. u. 6.
G Ibid.
H 1. Pet. cap. 2. u. 9.
I Ibid.

Exodi cap. 34. u. 12.

Deut. cap. 7. u. 2.

Ibid u. 3

Ibid. u. 5.

Ibid. u. 25.

A a di-

Digitized by Google

diuino, ritibusque ſacrorum, et legibus quantopere ſecreuerit Deus Hebræos à colluuione gentium, et quàm noluerit, vllam huic populo cum alijs eſſe ſimilitudinem, atque ſocietatem? Sed quoniam fieri poterat, vt hæc omnia, et mutatione temporum, et varietate caſuum diſſoluerentur; ſignaque iſta non certa, neque ſtabilia, neque firma futura erant, quibus ſignis, et notis diſtinguerentur à cæteris, atque ſepararentur; ideo viſum ita Numini eſt, ſignum dare certum, atque proprium, quo membris, et corpori eorum impreſſo, etiam præter ipſorum voluntatem, quæ varia mutabiliſque erat, palam fieret quinam illi eſſent. Circumciſionis id fuerat ſignum: atque ob eam rem ea inſtituta fuit. O gentem Hebræorum, ò miſeram, infelicemque gentem! Tu proprijs diuino munere nominibus inclyta, ſacriſque et aris, et templis, et legibus nobilis, ac diues, ad tantam poſtea recidere potuiſti obſcuritatem, tantamque plagam, quanta tibi hodie eſt, ſemperque meritò erit? Hanc verò Hebræorum miſerã infauſtamque ſortem plenam dedecoris, et ignominiæ video ego cum eorum ſorte poſſe comparari, qui vitam inter flagitia agunt. Video, ego, Mediolanenſes, neque id inficiari poſſum, ſed geſtio potiùs, et triumpho, et largitori bonorum omnium gratias ob id ago ſupplex abiectuſ-

que

que humi: video, inquam, decus coronamque meam gemmis auroque contextam, hoc eſt pium cœtum eorum, qui ſeptem millium fortaſſe numerum explent, nulla in hanc diem adoratione Baalis Idoli inquinatos; video, ſi dicere fas eſt, Dei partem, et hereditatem, et ſortem, peculiaremque populum, dilectamque prolem. Cæterùm, iiſdē oculis, temporeque eodem video dira agmina impiorum, qui Deo ſimul, et ſibi hoſtes, nihil aliud præter ſcelera cogitant, ita vt ne notam quidem chriſtianæ religionis vllam præferant, et nihil tale in eorum vita diſcernere ego poſſim, cùm Dei leges, Deumque ipſum procul à ſe amouerint atque abdicarint. Eſt homini Iudæo propria nota, per quam ab Idolorum cultore diſcernatur: tu verò, qui Chriſtianus es, nullam eiuſmodi notam habebis? Vincet igitur te Iudæus profeſſione religionis? Trades obliuioni fidem, quam profeſſus eras: ille verò fidem ſuam aſſiduè mente animoque complectetur? Hebræum agnoſcent omnes: te verò non agnoſcent? Quanam autem ſigna fidei præfers? An opera, an benignitatem erga pauperes, an quòd templa frequentas? Vbi frequens myſteriorum vſus, vbi obliuio iniuriarum, vbi modeſtia ſermonis, vbi velamen oculorum, vbi puræ manus, purique pedes, et cor tibi purum? Vultiſne magis adhuc ad

viuum à me deſcribi vitam moreſque infelicium iſtorum, vultiſque effigiem eorum expreſſius clariuſque repræſentatam intueri? Eam veſtris oculis ſubijcere conabor. Multa iam luce mane experrecti adhucque pleni ſaporis, crudique et ſemigrantes deſcendunt lectulo, vel potiùs tolluntur inde, atque aſportantur. Circumſtat inutilis turba mancipiorum ſimiliòr inijcientibus veſtimenta cadaueri, quàm viuo, ſpirantique hero. Per hos ornatur politurque corpus Inferno addictum, Infernique catenis. Efferunt deinde domo pedem, circumfuſi adulantium, perditorumque turba, et paucos progreſſi paſſus, ſtatimque fatigati, quietis cupidine magis, quàm pietatis cauſa, in proximum templum ſe recipiunt. Ibi ante aram, dum ſacra fiunt, in licentiam omnem effuſi morantur, mouenturque incondité, et impurè, et circumferunt huc illuc oculos, ſicuti carniuoræ aues vultur, aut coruus marcida exta reſpiciunt. Interea, dum ſacerdos diuinas laudes recitat, obtrectando ipſi, et nugando, et cauillando, ridendoque, extrahunt deſtinatum ſacrificio tempus; idque pretioſa hora momentum ſacrilega capita fœdare conantur. Sacrificio deinde perfecto, redeunt domum, ibique mora impatientes, importunique et irati poſcunt multiplices epulas, quibus non eius tantummodo diei neceſ-

ſitas,

ſitæ, fameſque præuenitur, ſed multorum dierum alimenta continentur. Editur, bibitur, clamore et ſtrepitu cuncta perſonant. Impleta cibis venæ ſarcinam, molemque corporis reſoluunt, atque deſtituunt; ipſique languidi ſomno, vel decumbunt, vel in eadem ſede reclines iacent. Tenebræ ſuperueniunt, noxque properat ſcelerum aliorum dies, et ſplendore Solis gratior eis lux. Tunc ipſi vel incluſi cum aleatoribus ſuis, vel ſanguinaria conſilia in ſecreto cum alijs agitantes, vel turpi pluma demerſi tranſigunt id nocturnum tempus. Vbinam in huiuſmodi vita veſtigium aliquod notamque Chriſtianæ religionis inuenire poſſis? Ubi fides, vbi opera conſentanea fidei, vbi virtutis amor? Sed ſatis ſcio, dicturos eos, propriam et certam ſe præferre notam Chriſtianæ religionis, nempe Baptiſmum, qua nota, et à Gentibus, et ab Hebræis, et ab his, qui ſectas alienas ſequuntur, Chriſtiani diſtinguimur, ac ſeparamur. Ah miſer! Quid ita fateris vnica nota Baptiſmi differre te à Iudæo? Scilicet hæc vna nota te diſtinguit, non à Iudæo ſolum, ſed à Barbaris etiam, et Indis; et qui cæleſtibus olim aquis ablutus fueras, fidei nunc emortua es? Hæc tua excuſatio te condemnat magis, gladioque ipſe tuo iugulatus iaces. Talis eſt vita impiorum, taleſque mores. Iſti vnico nomine ri-

tuque

tuque Baptiſmi profitentur ſe Chriſtianos; atque ad ius eius nominis, nihil, præter mortuam fidem, habent. Studeat vnuſquiſque veſtrum alia inſignia, notaſque præferre Chriſtianæ religionis, nempe pios mores, et opera virtutis, et ſalutis alienæ curam, et pietatem erga Deum. Foueat vnuſquiſque pectore Gratiæ theſaurum, eumque cuſtodiat acri cura: ſed et vita, moribuſque diſcipulum ſe Ieſu Chriſti oſtendat, palamque teſtetur.

CHRISTVM AVCTOREM eſſe ſpiritualis Circumciſionis.

CONCIO IX.

Lucæ cap. 2. u. 21.

ET poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer. *Nempe circumciſa ei caro fuit, corpuſque laceratum, et præſcriptam aſpera lege diem ipſe ſeruauit, obediuitque tempori, cum et leges omnes, et tempora ipſi obedirent, obnoxiaque eſſent. Nos vero infelices nullum horæ momentum reperiemus, quo pectus, animuſque noſter, et partes præcipuæ noſtri circumcidantur? Semper nos aliud ex alio tempore tempus, annoſque inſequentes, et noua ſolennia deſtinabimus circumciſioni huic? Audite pij, audite.*

Hæc

Hæc ſpiritualis circumciſio eſt; quæ Chriſti circumciſio maximo omnium, et ſanctiſſimo nomine appellatur; In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti. *Omnium ordinum homines antiquitus circumcidebantur, auctore Deo. Nunc à ſummo ſacerdote Chriſto id myſterium inſtauratur, atque renouatur, iſque myſterij eius ſe ſe antiſtitem præbet. Chriſtus ipſe gladius fuit, non carnis noſtræ tantùm, corporiſque viliſſimi, ſed mentis etiam, cogitationumque, et operum, vt omni parte perfecti et ſancti eſſemus. Et lapideus hic fortaſſe gladius eſt, de quo in Ioſue legimus capite quinto*; Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael. *Lapideus, inquam, ſicuti vulgata lectio habet ab Hebraica lectione in eo differens. Varietas autem ex eo orta eſt, quòd vox ipſa* צורים Tſurim, *et lapides ſignificare poteſt, et aciem rei acutæ, ſiue incidentis. Pſalmo octuageſimo octauo pro vulgata illa lectione*, Auertiſti adiutorium gladij, *Hebraicè legitur*; Auertes aciem gladij. *Gladius lapideus Chriſtus fuit; quoniam diuina petra ipſe erat ea, quæ in ſacris Litteris non vno loco ſignificata eſt, vel etiam quia gladius ille raſit abſtulitque quidquid vitioſi in nobis erat. Ideo dici poteſt nullam*

Ad Coloſſ. cap. 2. u. 11.

Ioſue cap. 5. u. 2.

Pſalm. 88. u. 44.

*lam legem inimiciorem vnquam fuiße vitijs hu-
manis, ſenſibuſque deprauatis, et à religione alie-
nis, quàm Chriſtianam. Ea lex id ſibi ſumpſit,
vt omnes animi noſtri partes, ſenſuſque omnes
intra ſimul, et extra cuſtodiat ac regat: ea cor-
pus, animamque imperio amplexa tuetur, et gu-
bernat: ea perfectum, atque abſolutum virtutis
exemplar, optimique ſtatus imaginem exhibet
nobis atque proponit. Nulla lex vnquam fuit,
quæ tam alta ratione conſultum ſuis vellet, vt
quorum cauſa lata eſſet, eos perfectioni diuinæ
æquare conaretur. At Chriſtiana lex ita præ-*
Matth cap. 5.u. 48. *cepit;* Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater
veſter cæleſtis perfectus eſt. *Id autem, quò
facilius aſſequeretur, diſtinxit præcepta à conſi-
lijs. Suadet interdum, interdum præcipit, ſene-
rèque mandat, quò plus proſit. Ideo Chriſtus*
Iſaiæ cap. 30.u. 20. *ab Iſaia Magiſter appellatur, non Rex tantum,
et Paſtor. Ea lex inſuper vias omnes tentat,
atque perſequitur, ne pars vlla noſtri præda vi-
tijs relinquatur; vtque animo ſimul, et corpori,
ſenſibuſque conſulat, ea planè ſolicitudine, et cura,*
Exodi cap. 10.u. 26. *qua prouiderat Moyſes, ne virum, neve femi-
nam vllam, neve pecudis vngulam in Ægypto
relinqueret in poteſtate Pharaonis. Ne vngula
quidem igitur vna eſt, ad quam leges, et præ-
cepta diuina non extendant curam, miſtaque
con-*

conſilia legibus genus omne virtutum exprimunt utque repræſentant. *Et ignota etiam Gentibus virtutes Euangelica lege continentur*. *Vbi vnquam apud porticus, ſcholasque Philoſophorum diſciplina humilitatis tractata eſt? Vbi amor erga inimicos? Quando vnquam illa audita ſunt*; Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus. *Et illa item*; Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce? *Sanctus Auguſtinus nullas vnquam ait Platonicorum fuiſſe diſputationes de corde contrito, deque ſacrificio eius. Quæ fuit lex vnquam, de qua illa canerentur*; Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis? *Vbi vnquam illa audita ſunt*; Impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata? *Chriſtus igitur eſt acuta acie gladius: Chriſtus Miniſter eſt et auctor huius noua circumciſionis, qua ſpiritus purgatur. Acuta eſt acies gladij eius, vitiaque et ſordes omnes noſtras abradere et auferre poteſt. Nulla lex vnquam fuit rationi, et virtuti amica magis. Hinc fit, vt Chriſtianus ille, qui ſenſum potiùs, quàm rationem ſequitur, quemlibet alium magnitudine culpæ ſuperet, quia maiorem iniuriam rationi, iuſtitiaque facit, violatque ita leges omnes, quas natura dedit, quave ſcripta ſunt, et quæ Euangelio continentur; quo*

Ad Galat. cap. 2. u. 20.
Ibid. cap. 6. u. 14.
S. Auguſtin. lib. 7. Conf. cap. 21.
Pſal. 18. u. 8.
Pſal. 17. u. 31.

triplici legum genere illud actum eſt, vt circumcideretur animus noſter, et omnis inde culpa vitiumque omne abraderetur. Hoc lex naturæ tentauit communibus præceptis: hoc ſcripta lex tentare voluit rudi, et inchoata diſciplina elementorum Chriſtianæ fidei; atque ideo ea lex Clem. Alex. lib. 1. Strom. *appellata pedagogus eſt, quo ducebamur ad Chriſtum. Euangelica deinde lex ſuperuenit, acutus ſanè gladius ex metallo optimo temperatus, quo noſtri partes infecta et corrupta reciduntur. Sed vereor ego, ne ex eorum numero, qui hic adſunt, nonnulli ſimillimi ſint metallis rudibus et ignobilibus, quæ dum probantur igni, ſoluuntur in cineres, experientibusque vaneſcunt atque ſubſidunt in puluerem. Nam opes ingeniumque ſuum, et animi, corporiſque vires ad ſcelera conferunt; cùmque videantur eniti multum atque contendere, nihil in ijs boni reperias. Ab hominibus ſi reſcidere partes eas velis, quæ vitium tabemque contraxere, ſimilis fias occidenti. Nihil enim* Osee cap. 10. u. 1. *ſani habent.* Vitis frondoſa Iſrael, *ait Propheta Oſeas, hoc eſt vitis, quæ frondibus tota conſumitur, ſicuti Symachus legit. Hanc vitem ſi ablaqueare, et intercidere, ac putare velis, totam ferro abſcindas, quia nihil præter pampinos inutiles habet. Tales igitur qui ſunt, difficillimè conuertuntur ad Deum immoriunturque peccatis,*

Digitized by Google

tis, quia remedia nulla morbis eorum inueniuntur. Neque radices, neque robur, neque fructus vlli ſunt in vobis, ſed frondes tantùm, humorque ſuperuacaneus. Ita malus, improbuſque homo in vitæ huius æſtate pompam honoremque frondium inanem præfert, atque in omnium conſpectu clarus, magnuſque habetur: hieme deinde ſuperueniente, hoc eſt alterius vitæ iudicio, defluunt humi frondes, marceſcitque faſtus, et gloria eorum. Nullus igitur expectet futuræ vitæ hiemem, ſed anteuertat vltro, manibuſque ſuis et voluntate ipſe ſua circumcidat ſibi atque auferat luxuriantem culparum abundantiam, humoremque ſuperfluum, atque id agat, vt demendo ſibi vitæ huius commoda, conſulat alterius vitæ bonis, arborque felix, et perpetuò virens in Paradiſo perennet.

Digitized by Google

SPIRITVALEM CIRCVMCIſionem non eſſe differendam.

CONCIO X.

Luc̨ cap 2.u.21. ET poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer. *Infelix natura mortalium, quæ tormentis, et pœnis tantummodo nata eſſe videtur, gaudiaque vitæ non aliter ineat, quàm ab inſignibus, exordioque mortis. Vix editus in lucem infans, ſanguinis ſui tributa pendit.*
Gen. cap. 9. u. 4. *Sanguinem humanum diuina Maieſtas adeo auerſata fuerat olim, vt ne pecudum quidem ſanguinem attingi ab hominibus vellet: De ea*
Leuit. cap. 19. u. 28. *re diuina lex antiquitus lata fuit: Nec Deo placitum incidi carnes humanas, cicatricesque ibi*
3. Reg. cap. 18. *apparere. Barbarum inſuper fuit, et apud cultores idolorum fœdè vſurpatum, incidere ſibi mem-*
Deut. cap. 14. u. 1. *bra adſpergique cruore. Non tamen ideo diuinas leges incuſare fas eſt. Adamus enim poſtquam innumerabilibus è Cælo beneficijs affectus fuerat, in culpam illico prolapſus, ingratè egit; eratque non ante paucos modo dies, ſed ante paucas horas ille natus, cùm peccare cœpit. Ac*
Pſal. 48. u. 4. *de ea re ita legitur;* Homo cum in honore eſſet non intellexit. *Quo loco Hebraica lectio plena myſteriorum,* אדם Adam *nomen ad ſingu-*

larem

larem illam, certamque perſonam, non ad genus hominum refert. Ac pro verbo illo בל ילין Bal ialin; Non intellexit; *ſententiam hanc habet; Non peruenit ad diei finem initiumque noctis, antequam peccaret. Namque in exordio ſuæ ætatis, atque inter primas vitæ horas funeſtam culpam ille admiſit. Ideò, ius faſque erat, atque id ipſum leuius, quàm pro admiſſa culpa exigeretur, circumcidi prolem eius, vt pœnam ſtatim ſubeundo aliquam, remedia malis pararentur. Quæ ſcilicet pœna cùm tam iuſta eſſet, ſpectaretque ſalutem noſtram, grata et accepta Deo erat: contra quàm fuere ſuperſtitiones Gentilium, quibus placari Dæmonum iras, vel eorum inuocari opem ipſi credebant. Sanctiſſima igitur cauſa fuerunt fundendi ſanguinis partem in vita primordio; idque planè ita fieri ſtatim, neque differri conueniebat. Oportebat namque deleri properè, quantum per nos fieri poſſet; contractam illam ab origine culpam nobis ad omnia bona aduerſariam atque infeſtam. Oportebat Diuinæ Maieſtati offerri membra, animumque; et vitam, et quidquid per nos in vita ageretur. Debebat quamprimum firmari pactum illud, quod myſterio circumciſionis inibatur. Minus periculi adibat in illa ætate vita Infantis, quàm ſi firmior et magis* Gen. cap. 17. u. 15.

adulta

adulta fuiſſet. Minus etiam doloris, vbi et ſenſus et notitia minor. Maiore præterea reuerentia, elegantiùſque et honeſtiùs in ea ætate myſterium celebrabatur: nulla pugna rationis aduerſus ſenſum; neque locus hoſti relinquebatur ad tentandos animos, quominus id obire vellent. Quantum prouidentiæ, quantum conſilij inter diuinas leges elucet atque apparet? Cæterùm, quoniam ſacroſancta myſteria, legeſque diuinæ licèt latæ antiquitus ad Hebræos propriè pertinerent, vtilitatis quoque noſtræ cauſa latæ fuerant: ideo, ſumere inde exemplum documentumque debemus, ne circumciſio animi, hoc eſt morum et vitæ caſtigatio ac diſciplina in vltima ætatis tempora differatur. Neque dandus locus malo eſt, vt grauius inſanabiliuſque fiat, quò remedium deinde quæratur. Immo, tantò difficiliùs inuenies dolori tuo finem, quantò longiùs ætas proceſſerit. Tunc peruerſa verecundia etiã obſtabit tibi, cùm faciendum ſeni erit, quod in iuuenta facere debueras. Ita cogitationibus improbis campus ingens patebit, quò irrumpant in te omnes, obſideantque et debellent; atque differendo, id aſſequere, vt vitæ tantummodo tuæ partem, et eam, quæ minùs pura eſt, offerre Deo poſsis. Exedit omnia tempus frangitque humanas opes, et vires; tuque interea, quò magis ætate

pro-

proceſſeris, tantò firmiorem te fieri poſſe cenſebis? Planta cæleſtis eſt homo, ſapienter olim dictum fuit, atque hanc ipſe arborem inueteratam, fatigatamque ſenio fœcundiorem fore putas, quàm cùm integra, vigenſque floreret? Nondum tamen in moribus vitaque tua quidquam emendati apparet, nulla ſigna videmus olim circumciſi pectoris. Quid autem eſſe putatis pectoris animique circumciſionem, niſi mutatos in melius purgatoſque mores? Ephraim ſubcinericius panis, qui non reuerſatur. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit; ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. *Ephraim pars vna dilecti populi erat, quæ nullo modo poterat ad diuina præcepta flectere animos, neque diuinæ legis itinerà ingredi volebat, ſed cœno ſordibuſque flagitiorum hærens, nuſquam caput inde attollebat. Nec ſolum flagrabat ardore cupiditatum, ſed torrida, atque anguſta flammis exitialibus cernebatur, velut placenta, quæ prunis impoſita, nuſquam in partem alteram verteretur. Pergit inde Propheta, aitque;* Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit. *Nihil aptius expreſſiusque dici poteſt ad effrenatas humani animi perturbationes indicandas, quàm ſi dicatur, eas eſſe noſtri voratrices. Vorant, atque abſumunt corporis vires, robur*

Oſee cap. 7. n. 8.

robur animi ſimul, rem familiarem, dignitatem, amicos. Aliena ſunt et peregrina nobis, planeque nullum commercium cum ijs homini eſſe oportebat. Omnem prauum animi motum pro alieno haberi par fuerat, reijcique et abdicari tunc, cùm in animum noſtrum deſcendere conatur; prauique iſti appetitus eò ſpectant, vt virtutem omnem, vigoremque corporis ſimul et animi perdant atque abſumant, florem ætatis auferant, annoſque meliores. Non vides, exactam tibi dimidiam eſſe ætatem, facieque et aſpectu ſenili cum ſis, nondum corde circumciſo es. Meliorem partem ætatis, annoſque feliciores abſque fructu vllo tranſigiſti, redundantque inania culparum, deteſtabiliſque, et impurus in Dei conſpectu appares. Pergit Propheta, aitque; Sed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. *Non ſentiunt infelices ad exacta ætatis terminos iam ſe perueniſse, ſectanturque puerilia adhuc, et more iuuenum agunt, iamque ſenes circumcidi nolunt. Flos iuuentæ concidit abſque fructu vllo, canumque caput gerunt, et ſicuti Græca lectio habet, tempora floruere illis; nec tamen fructus vllus aſpicitur, qualis ſequi flores iſtos debebat. Ait Origenes Homilia decima ſexta in Ioſue, et Homilia quarta in Pſalmum trigeſimũ ſextum per homines peccare aſſuetos, nuſquam* ap-

Orig. Hom. 16. in Ioſue, & Homil. 4. in Pſal. 36.

appellari ſenes, ideo quia in virtutis itinere nuſquam progrediantur, ſed retro cedant ſemper, et eorum anni decreſcant. Dei verò ſeruos maturitate, et prudentia nominis eius honorem mereri, vt ſenes dicantur. Circumcidantur igitur culpæ omnes, ſordeſque auferantur; niſi, ſi fortaſſe Chriſtiani cum ſitis, cenſetis nihilo ſanciores vos eſſe oportere, quàm Hebræos; et niſi perſuaſum habetis, pluris apud Deum eſſe cæremonias, et ritus, quàm ſpiritum interiorem et gratiam, quæ non cernitur oculis: niſi etiam creditis, placere Deo inertiam, et veternum, et pœnitentiæ dilationem: niſi demum creditis, offerendam eſſe Deo ſenectam, odioſamque ætatem, acto inter vitia et voluptates flore annorum. Stultum eſſet tale quiddam, vel omnia ſimul iſta opinari.

QVAM VTILIS SIMVL, et quàm benigna lex circumciſionis ſit.

CONCIO XI.

SI in conditionem, ſortemque mortalium nulla alia calamitates incubuiſſent, quàm quæ cupiditatibus immodicis adiunctæ eſſe ſolent, poterat hæc vna ærumna genus humanum vrgere ſatis, atque aggrauare, vt infelix miſerumque diceretur. Nonne enim vermis animi deſiderium eſt; nonne bellum ſenſuum cogitationumque noſtrarũ; nonne diſcordia ciuilis, quæ omnes animi noſtri partes aſsiduè turbat? Hæc nos deſideria trahunt ad belluarum fere naturam; à natura autem diuina diuellunt atque abducunt, quæ nullo vnquam deſiderio inquietatur, ſed ſe ipſa contenta eſt. Deſiderij radices fixæ ſunt in appetitu habendi, qui ipſe appetitus mirificè nobis ab natura inſitus eſt, ibique vnicè pollet ac regnat. Hunc ego libenter appellauerim communem auaritiam, quæ natura deprauata veluti publica lex appellari poteſt. Valetudinem optimam alius ſibi optat; alius ad honores, ambitionemque nititur; alius ſcire cupit, modiſque penè infinitis vnuſquiſque habendi cupidus eſt. Id ego fieri arbitror

ab

ab conſcientia miſeræ noſtræ conditionis, quæ cùm ad nihilum redacta ſit; cùmque videat eodem ſe recidere atque relabi, id ipſum timens fallaci prudentia quærit remedia malo, quod in ſingula momenta propinquare ſibi videt. Tantaque iſta cupiditas habendi, et recipiendi eſt, vt plerique reperiantur, qui ob id ipſum habere cupiant, vt dare poßint, atque in eorum animis auaritiam atque cupiditatem liberalitas ipſa nutriat. Hæc igitur illa eſt inſatiabilis animi noſtri fames ſæuior, infeſtiorque, quàm altera, quæ cibum, et alimenta corpori poſcit. Hæc illa eſt, quæ dites pauperibus, miſeriſque felices æquat, dominique terrarum etiam huic importunæ tyrannidi ſubiecti, et obnoxij ſunt. Sanè ſchola Philoſophorum commentando, et diſputando, multum in eo elaborauere, vt huic morbo remedia aliqua pararent: ſed nuſquam vinci potuit peſtiferi morbi malignitas, donec è Cælo demiſſa ars id ſibi ſumpſit ac vindicauit. Hæc fides Chriſtiana eſt, cuius hodie lege iubentur mortales cor vnuſquiſque ſuũ circumcidere, eiuſque rei facultatem ſimul ipſa præbet. Ac licèt apud veteres, qui ſapientia cæteros antecedebant, quique honeſta tantummodo ſectabantur, multum in ea ipſa re elaborarint atque contenderint, nuſquam tamen aſſequi potuere, vt pectus, animumque purgarent vitijs

Cc 2 quæ

quæ multiplicia, et grauia inſidebant. Non enim ea tollebantur, ſed mutabantur potiùs, inuicemque alia aliјs aſſiduè ſuccedebant; tantum aberat, vt liberi, immuneſque ab ea labe remanerent. Paupere victu contenti erant, vt gloriæ cumulum haberent: adſpernabantur honores, vt honore alio potirentur: ſubſtinebant iniurias, vt imperitare poſſent. Sanctiſſima fuit Moſaica lex, quæ è Cælo delapſa inſtitit illuc ſubducere mortalium animos, vnde ipſa venerat; eaque tamen lex varijs promiſſis pectora ſenſuſque illiciebat, nunc dulcedine mellis, et lactis, nunc frumenti copia, nunc olei liquore, ſemperque commodi alicuius, quietiſue blandimento; ita vt humana diuinis miſceret, dicique poſſet ex parte ſupera et caleſtis, ex parte terreſtris et humana. At in Ieſu Chriſti lege nihil mortalis et humani, nihil ſordidi, et abiecti reperiri poteſt. Rectèque Sanctus Paulinus in Epiſtola quarta ad Seuerum, S. Paulinus Epiſt. 4. ad Seuerum. *nouacula acuta Saluatorem ipſum æquiparauit, qua nouacula reciſum, abraſumque ſit ex mente humana quidquid ei terreſtre et ſuperuacaneum erat. Id Euangeliſta Lucas eximiè ſignificauit* Lucæ cap. 14. u. 26. *illis verbis, quæ Saluatoris ipſius ore pronunciata fuerunt;* Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam

ſuam,

ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Non accipiendi, non permutandi, ſiue poſſidendi vox vlla miſcetur: relinquendi tantùm, atque amittendi verba rem vniuerſam continent: ea acies gladij huius eſt. Aſpera in ſpeciem et dura lex, auditores, ſed aſperior, duriorque lex Mundi reperietur eſſe, ſi rectè conſiderare velitis. Quos illa gladios, quaſue lanceas acutè profundèque ferientes amatoribus ſuis intentat? Quòd ſi circumciſionem Chriſti times, atque germinantes in tuæ mentis campo ſenſus, cupidineſque malas demetere inde, et excindere non ſuſtinet tibi animus, multò magis perhorreſcere debebis tormenta, quæ in carnificina Mundi huius aſſiduè perferenda ſunt. Hos ego legum humanarum aſſeclas æquiparari poſſe puto ſacerdotibus impuris, qui Baali ſacrificantes, inferebant vulnera corpori ſuo ſanguinemque fundebant, vt illud inane Numen exorarent. Quem Gentium ritum abominata miſericordia, maieſtaſque Diuina, multò ante vetuerat, quemquam lacerare ſibi membra et corpori ſuo vim afferre;* Et ſuper mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. *Videte legis huius manſuetudinem atque lenitatem, qua corporis ſimul, et animi ſalutem tuetur. Ego verò infelices iſtos, qui res humanas effuſè ſequuntur,* Leuit. cap. 19. u. 28.

ita alloquor. Ne te fatiget ambitio; ne torqueat inuidia; ne odia diſrumpant præcipitemque agant, dum ad ſuperbiæ faſtigium eniteris, atque contendis. Spectacula namque iſta et profana ſacra minimè requirit à te Deus, cuius clementia, amorque paternus corpori tuo pariter, et animo vult eſſe conſultum; eaque diuina cura tuæ ſalutis, legibus diuinis expreſſa eſt. Verùm, iſti, qui bonum et ſalutem ſuam odere, tormenta iſta vltro depoſcunt intermorique illis decreuere. Cæterùm, et diuina Iuſtitia perditos eorum mores intuens; addit vulnera vulneribus, et tormenta tormentis: ac ſicuti peccauere ipſi in Deũ ſimul, et in homines: ita diuinis ſimul humaniſque pœnis lacerantur, atque torquentur. Radet
Iſaiæ cap.7.u.20. Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen ſunt, in Rege Aſſyriorum, caput & pilos pedum; & barbam vniuerſam. *Diuini gladij acerrima acies, non ſegniter, ac lentè, ſed velut nouacula, quæ cote nuper exaſperata ſit, minimos etiam quoſque pilos momento vno recidet, atque abradet intima ſenſuum tuorum; et diuitijs tuis paupertas, felicitati miſeria, incolumitati mors tibi continuabitur nullo inter extrema hæc ſpatio, moraque interiecta. Hæc gladij diuini ſunt opera. Durum eſſet, auditores, perſuadere ſubeundas eſſe pœnas, quas animi ſpirituſque cir-*

cum-

cumciſio ſancita diuinis legibus affert, niſi certum hoc, fixumque eſſet, rem ita comparatam eſſe, vt vel ab ipſo Mundo crudeliter ac ſæuiſſimè, vel à Iuſtitia diuina coerceri nos oporteat. Chriſti lex mitiſſima eſt; eaque plus dat, quàm adimit nobis; et pro ſordibus, aurum impertit. Non dixi ſemini Iacob: Fruſtra quærite me. *Tantum gloriæ, quæ ſequitur virtutem, tanta præmia Beatitudinis æternæ, tantos incunditatis fructus, qui vitam honeſtam ſequuntur, parauit nobis Deus ille, qui frigida aqua potum remunerare ſe velle dixit, qui ſecreta viliſſima noſtrarum actionum contingere non dedignatur. Atque benignitatem huius intuentes, offeramus ei rem noſtram exiguam, immo naturæ noſtræ nihilum, vt ſcilicet pauperiem hanc noſtram locupletare ipſe velit.*

Iſaiæ cap. 45. u. 19.

Matth. cap. 10. u. 42.

Iſaiæ cap. 64. u. 6.

DE

DE SEVERITATE legum humanarum, et de ſuauitate Chriſti Legis.

CONCIO XII.

INFELIX *cœtus, et ſynagoga Hebræorum, quæ in miſerias et calamitates nata eas, ad extremum vſque perpeſſa eſt. Poterant ſanè robuſtus ſeruus, et integris viribus ancilla argumento fidelitatis id pati et ſuſtinere, vt perforarentur ipſis aures, quemadmodum in Deuteronomio diuina lege ſancitum fuiſſe videmus. Vt autem recens natus, tenerque Infans lacrymis, et ſingultu, ſanguineque effuſo, viuum ſe eſſe teſtetur, id ſanè lugubre atque atrox videri poteſt. Atque ex eo ſecta Stoicorum ignara arcanorum Numinis, ſumpſerat occaſionem arguendi ſæuitiam illius; temerèque et abſurdè raciocinari ita inſtitit. Demus, admittendam atque reuerendam eſſe circumciſionem, veluti grauidã, plenamque myſterijs, magnique ſecreti figuram. Pericula ne igitur, et pœna, tormentaque infantum adhibentur ad repræſentanda obſcura argumenta notaſque et myſteria legis huius? Non iſte legumlator loci quidquam habuerat, vbi deſcriberet, atque imprimeret imagines et ſimulacra*

Exodi cap. 21. u. 6.
Deut. cap. 15. u. 17.

iſta

iſta præterquam in corpore, membriſque humanis? Præpotentis Dei lex nuſquam alibi inciſa, vel inſculpta eſſe potuit, niſi in carnes mortalium incideretur? Tanta ne igitur bonitas Numinis huius eſt, vt vitam hominum à vulneribus inchoari velit? Sed verior ſanciorque Cypriani ſermo de re eadem in hunc modum fuit. Tenera ne igitur ætas legem adeo ſeueram ſtatim excipere debebat? Conuenienſque fuerat, puniri et plecti prauos atque impuros noſtri corporis motus, cùm nondum ita moueri corpus poſſet: remediaque extinguendo igni parari debuerunt, cùm nondum ſcintilla vlla, ſuſpicioque incendij appareret? Cuius legis aſperitatem Propheta Ieremias expreſſerat verbis illis; Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas: Quo loco magnopere commendatur circumciſio animi; viderturque ſententia eò pertinere, vt corporis vulnera vnuſquiſque vitanda ſibi eſſe intelligat. Exponenſque ſententiam illam inclytus eruditione Tertullianus ait; corporis circumciſionem iniunctam fuiſſe populo contumaci: ſpiritus autem, et animi conceſſam ad ſalutem fuiſse illis, qui promptos, atque obedientes ad diuina mandata exequenda ſe præbebant. Manifeſta igitur eſt aſperitas huius diuinæ legis, ſi legibus eis comparetur, quæ ſunt fidei religioniſque Chriſtianæ. Namque ſacra

S.Cypr. de ratione Circumciſ.

Ierem. cap. 4. u. 4.

Tertull. l b. adu. Iud. cap. 3.

Iuſtinus Martyr quæſt. 103
S. Chryſoſt. Homil. 39 in cap. 17. Gen.
Epiphan. lib. 1. contra hær.

lauacra Baptiſmi, ſicuti Iuſtinus Martyr, et Chryſoſtomus, et Epiphanius docuere, circumciſioni ſucceſſerunt. Quarum cæleſtium aquarum lenitatem, atque dulcedinem nihil comparari attinet ei myſterio; quod multa ſanguinis miſſione conſtabat. Ipſaque nomina Baptiſmi declarant remedij eius aduerſus noſtra mala lenitatem.

Iuſtinus Martyr in defenſ. pro Chriſtianis ad Anton.
S. Ambr. in cap. 11. Epiſt. ad Roman.
S. Auguſt. in Enchirid. cap. 29.

Namque Iuſtinus Martyr Illuminationem, Sanctus Ambroſius Dei Donum, et Auguſtinus procreationem alteram dixere Baptiſmum. Planeque diuerſa admodum iſta ſunt, refrigerari membra aquis, eluique ſordes, et ſanguine effuſo reſtingui culpa aliena flammas. Mitiſſima igitur et leniſſima lex, paciſque et clementiæ plena. Quam in legem aptius, veriùſque, quàm in veterem illam collata eſſe videntur ea, quæ ſunt apud Oſeam; In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: &c. ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum. & declinaui ad eum vt veſceretur. *Quibus inter ſe modis homines iucundè et amabiliter agunt, his ego perditas mortalium mentes ad ſalutem vocare decreui. Ferox Hebræorum gens, indomitum veluti animal, funibus atque catenis legum aſperrimarum conſtricta fuerat: nunc, quæ vincula tenebunt meos; et quomodo remouebitur ab eis aratrum, quo mortalium pectora excolenda ſunt?*

Oſee cap. 11. n. 4.

Amor

Amor et charitas, maxima vincula animo humano, opus hoc efficere debent; non autem metus, et violentia reperta beſtijs. Et ab aratoribus, cultoribuſque agrorum hæc propriè figura petita eſt. Videre eſt aſsiduè circum rura proſcindentes arua agricolas labore bouum; quos immodicè fatigare nolunt; ſed per horarum interualla, quiete, pabuloque reficere ſtudent. Demum, nondum præcipiti in occaſum Sole, reducunt animalia domum, liberantque iugo, ne labor exhauſtus grauet. Talis erga nos Diuina benignitas Prophetæ verbis expreſſa; cùm per omnia ſentiatur, vbinam illi ſunt, qui duram Chriſti legem, Mundi autem lenem et facilem dicunt? Vbi lamenta iſtorum, lacrymæque turpes et ſuſpiria infanda? Vbi occultus animi mœror, quo diuina inſtituta ægrè ferentes, plaudunt moribus inſtitutiſque Dæmonum? Satis crudeliter, infeſtèque Mundus agit aduerſus aſſeclas ſuos, erratque vecors idem et nequam quiſquis Mundi tramites non eſse aſperrimos putat, occluſaſque vltro veritati aures habet, cuius voce hæc dicta ſunt; Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Pſal. 16. n. 3.
Quæ verba ita ego interpretor, vt dicam, praua

Dd 2 et

et improba eſſe, quæ mortales agunt; quodque de cuſtodienda via dicitur, id nihil aliud eſſe, quàm declinare inde alioque auerti, nec omnino inſiſtere itineribus illis. Confragoſos diruptoſque calles ingredi mihi non fuit animus, inquit Propheta, propterea quòd lex tua, Deus Optime Maxime, inde me auocauit. Quantum porrò moleſtiarum, itinera calcando diuina, refugiendo autem à Mundi itineribus, vitantur, auditores? An fortaſſe dicat aliquis, Mundum comiter et benignè accipere ſectatores ſuos? Audite quid de illis dicatur. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorũ. Quoniam iniquitates meç ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem. *Hic exercitus, hæ copiæ perditorum ſunt. Inſignia et arma, et veſtitus, et ſermo militem monſtrant, vnde ſit, et cui ſtipendia faciat. Suſpiria, habitus, oris ſqualor et mœſtitia frontis intimas animi ſolicitudines declarant. Iam qui fideles clienteſque ſuos ita tractat, iuſtum, mitemque Dominum hunc dicere ſuſtinebimus? Quot ærumnoſos dies, quot inter ſuſpiria noctes iſti tranſigunt! Funeſta facies inter flagi-*

Pſalm. 37. v. 4. & ſeq.

flagitia viuentis hominis expreſſa eſt eo diuinarum Litterarum loco, quo Elias Propheta, prouocatis ad ſolenne certamen ſacerdotibus Baalis Idoli, cæleſtia ſigna pro verbis adhibuit ad eos confutandos, atque coarguendos. Res in hunc modum acta narratur. Poſtquam inſani adoratores, cultoreſque Idoli, per totum diem vocibus irritis pulſauere Cælum, inſtincti deſperatione, et rabie, arripuere gladios, vulneraque ſibi multifariam inferre cœperunt, fatigantes inani clamore illud inane Numen, à quo nihil vnquam reſponſi tulerunt. Sed et maiore exemplo crudelitatis tyrannus iſte Mundus iuſſerat immolari Acabi filium, ac de ea re ita ſcriptum eſt; Inſuper & filium ſuum conſecrauit, transferens per ignẽ, ſecundùm idola Gentium. *Immo Paralipomenon libro ſecundo, verſu vigeſimo octauo, duos Regis eius filios ad impias aras mactatos eſſe legimus. Verumenimverò de hac re dici plura non attinet, cùm ſæuitia Mundi per omne tempus nimiùm magnis cladibus et ſtrage mortalium teſtata ſit. Nonne bella fere omnia leges humanæ concitarunt? At raræ pro Chriſto arma ſumuntur, raræ pro Catholica fide acies ſtruuntur, ſi crebra et atrocia bella ſpectemus, quæ rerum humanarum cauſa, ſæculis omnibus geſta fuiſſe conſtat. Morbi præterea doloreſque corporis, iniuriæ,*

3. Reg. cap. 18. n. 28.

4 Reg. cap. 16. n. 3.

2. Paral. cap. 28.

iuriæ, contumeliæque omnes nonne naſcuntur in hoc campo? Nimium ſæua, nimiumque dura lex eſt tuendæ dignitatis; ſiquidem minima quaque de cauſa ſanguinem effundi ea lex cogit. Spargendi humano ſanguine aras, barbarum immanemque ritum quilibet miratur: et nihili interea fit hoc, quòd cupiditatum noſtrarum cauſa, auaritiæque, et ambitionis, et luxuriæ inſtinctu ſacra fiunt Ioui, et Mercurio, et Veneri, quos fuiſſe Dæmones minimè ambigimus. Tu verò quiſquis ſuperbia, quiſquis iracundia, et libidine flagras, Dæmoni non inſeruis? Hæc eſt Idolorum ſeruitus; idque nomen magno Apoſtolo conuenire viſum eſt huiuſmodi flagitijs. Nondum deleta eſt memoria inſani moris Indorum, qui parentes, et fratres, et ſeipſos per furorem mactare conſueuerunt. Et reperietur tamen aliquis, qui petitis è ciuili prudentia rationibus, probare conetur, honeſtum eſſe dimicare certamine ſingulari, quo animam ſimul et corpus, teque, et alios perdas? Aſſeclæ Mundi, mancipia Dæmonis, Martyres Inferorum. E duobus alterum faciendum vobis ſuſcipiendumque eſt, vel vt mutata in melius vita, tot mala fugiatis ſperetiſque ſalutem æternam, vel certè in hac, alteraque vita abſque remedio vllo miſerrimi ſitis. Nolite expectare, dũ è Cælo deſcendat iterum Deus; dumve Angelus

Ad Galat. cap. 5. u. 20.

ali-

aliquis diuerſæ doctrinæ auctor vos alloquatur. Sunt enim hæc ſanctiſſima noſtræ fidei decretis firmata, et ſancita, et poteſt vnuſquiſque veſtrum ipſe per ſe videre quid conſilij ſit iſtud ruere vltro in calamitates æternas, nec læti quidquam in hac ſimul et in altera vita mereri velle.

CIRCVMCIDENDVM ESSE noſtrum quoque intellectum.

CONCIO XIII.

DVRO nimis, et triſti principio orationis, præter voluntatem meam, ſalutis veſtræ cauſa vti cogor, auditores. Dura ceruice; & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Act. cap. 7. n. 51 *Ita contumaces illos inclytus Martyr Stephanus alloquebatur, cùm lapidibus ipſum inceſſerent. Deus hoc auertat, vt tale quiddam vnquam dici poßit; vel in vos, qui hic adeſtis ad noſtra monita faciles, cupidique audiendi, vel communiter in huius magnæ ciuitatis populum; qui pietate, et religione multos alios haud dubiè antecellit. In perfidiam contumaciamque Iudæorum olim dicta fuère hæc, duraque lapidum inſtar pectora ſic increpari iuſtum fuit. Planèque duræ ceruicis populus vt appellari poſ-*

poſſet, immanes mores, et pectora obliuioſa faciebat. Nam ſi verbi vim Hebraicæ vocis momento penſare velimus, dura ceruix obliuionem ſignificat rerum earum, quas memoria teneri oportebat. ערף Horef, *pars illa eſt oppoſita fronti, quam ſedem, et receptaculum eſſe memoriæ Philoſophi crediderunt. Partem autem hanc ea voce ſignificari, intelligi poteſt vel ex eo loco Exodi* Exodi cap. 23. u. 27. *di capite vigeſimo tertio, vbi Hebraicè legitur;* Dabo omnes inimicos tuos ad te ceruicem vertentes. *Atque interpretatio iſta affirmatur loci alterius auctoritate, quo loco ibidem in Exodo populi eiuſdem ingratus animus arguitur atque incuſatur.* Ibid. cap. 32. u. 8. Receſſerunt citò de via, quam oſtendiſti eis: feceruntquè ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt; *Ideſt, diſciplinam omnem, et præcepta diuina tradidere obliuioni. Pertinacia verò gentis alibi potius ſignificata eſſe videtur per ſinciput, ſicut apud Ezechielem videre eſt;* Ezech. cap. 3. u. 7. Omnis quippè domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde; *Et paulò poſt;* Ibid. u. 8. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. *Quaſi ſcilicet Diuina Maieſtas populi contumaciam, atque leuitatem ad Vatis conſtantem firmumque animum comparandò, ita diceret. Opponam conſtantem tuum animum, fir-*

mamque

inamque frontem contumaci, et obſtinatæ fronti impiorum illorum. Quòd ſi quis interpretationem aliam ſequi malit, verba illa Protomartyris Stephani, haud minùs aptè, et appoſitè ſignificare poſſunt peſſimum quendam habitum, affectionemque mentis, et voluntatis, et ſenſuum et carnis, facultatumque interiorum, undè vitia ſæpe multa gignuntur atque exiſtunt. Huiuſque communis ſignificationis exemplum alibi notari poteſt in ſacris Litteris, quæ Cæli nomine, nihil aliud ſignificant, quàm ſpacium, regionemque illam, quæ aer, et ignis, et Cæleſtes orbes Vniuerſi continentur. Et quoniam eſt hoc in ſacris Litteris frequens atque vſitatum, vt diuerſis verbis res vna ſæpe repetatur; eiuſque rei exempla afferre poſſem, inde fit, vt incircumciſi corde homines idem ſint ac duræ ceruicis. Videmini mihi animo peruerſo eſſe, prauè affecti, ex fraudibus, doliſque conflati. Nunc quoniam vobiſcum ſæpe egi, Mediolanenſes, de circumciſione voluntatis, et ſenſuum, carniſque, non alienum puto de circumciſione agere, quæ ad mentem animumve pertinet. Argumentum autem hoc, et propoſita quæſtio tanti momenti eſt, et adeo neceſſaria nobis, vt magnopere dubitari poſſit, vtrum plura mala ab animo, et mente, an à voluntate proficiſcantur. Sin autem malorum ipſorum grauitatem

Gen. cap. 2. u. 1. Ibid. cap. 24. u. 22. Exodi cap. 9. u. 22.

tatem intueri velimus, nihil dubitari attinebit, cum corruptelæ religionis, et diſsidia, infandæque ſeceſsiones originem hinc initiumque ducant. Præterea, licet priuati etiam homines, obſcurique multa perperam concipere animo poſsint, ratione tamen, et vſu compertum eſt, procerum, magnorumque virorum hanc propriam ferè eſſe calamitatem. Inter omnes autem animi errores, grauiſsimus ille cenſeri debet, cum ſapientiæ ſuæ fiducia quiſpiam ſibi perſuadet, optimè nota habere omnia, quæ ad ſalutem æternam pertinent, multamque prudentiam ſibi in ea re aſſumit. Qui porrò tales ſunt contenti opinione ſua, nihil vltra requirunt, temerèque inflantur, et multum ſibi arrogant. Inde mala plurima oriuntur; nec iſti vnquam concionibus ſacris interſunt, quæruntve ſolita cura peritos culparum ſuarum Iudices; nec ferunt æquo animo, ſi admoniti fuerint; et obſtinati ad omnia, quæ ſuſcipere, quæ agere inſtituerunt, ac demum ſpreto auxilio omni, ruunt in ſempiternos ignes. Et inſita homini ſciendi cupiditas ita eſt, vt mentes inquietæ mortalium aſsiduè angantur, plura ſemper, et maiora inquirendo, quæ vbi aſſecuti ſunt, non reſtinguitur, ſed accenditur magis ea ſitis, et vnà cum rerum ipſarum cognitione augetur. Ea ardens, et inquieta cupiditas artium præſtantiſsimarum fere

ma-

mater fuit : ea naues pelago infert , foditque terræ viſcera , et mundi partes ignotas veſtigat, neque ſatiatur vnquam , aut expletur . Ea denique tanta eſt , vt Scriptor Græcus , liceat enim hoc exemplo vti, prodiderit, non contentum Alexandrum notis terræ finibus , pluraque ſemper , et vlteriora inquirentem , ad Templum Iouis Ammonis perueniſſe, qui pro Numine Gentibus erat. Eò poſtquam perueniſſet , conſuluiſſe Oraculum , vbi nam fontes Nili eſſent . Non ille percunctatus eſt de incerto bellorum euentu , non de futura felicitate Græciæ , non de vita ſuæ ſpatijs : animi tantummodo opes inquirebat , eiſque opibus auctiorem in dies fieri ſe cupiebat . Sed quis crederet, huius natiuæ cupidinis vim , atque ardorem , et legem hanc mentibus hominum tam altè infixam , ibi vaneſcere, atque elangueſcere poſſe, vbi non iam humana , ſed cæleſtia et diuina inueſtigari tempus erat ? Non tu Gratiæ fontem quæris , non tu ſcaturiginum illarum auidus , curioſuſque es : non per ſpatia ampla Regni Cæleſtis peregrinari amas : damnoſaque iſta quies , et inutile otium , et languida voluntas in cauſa eſt , ne animus tuus doloris morſum ſentiat ex magnitudine culparum . Poſtquam graue flagitium Adamus admiſerat , ſummum , primumque beneficium illud accepit , vt diuinam vocem audiret ,

Max. Tyrus Ser. 25.

qua ipſe excitabatur, quave acutus veluti ſtimulus ſopitum illius animum pepulit atque commouit. Inde timor, ruborque inceſsit animo, qui veluti ſaxum, et petra aliqua alioqui ſtetiſſet abſque ſenſu planè vllo. Hac igitur diuina vox, qua penetrat in corda mortalium, morſus vnicuique ſua conſcientia eſt; quem morſum nullo modo ſentire poſsunt illi, qui falſa opinione ducuntur, tamquam per virtutes ipſis vita agatur. Ignorantiaque iſta tantorum malorum nobis cauſa eſt, vt ad peccandum ipſa viam faciat. Notitia verò peccati frenum eſt, quo à peccando inhibemur, et vbi peccata innotuere, nullus ferè eſt, qui natura hortante, non refugiat inde atque abhorreat. Ob eam rem animi, mentiſque error prauitati atque vitio portas aperit, confirmatque peccantem, vt impedimenta omnia, quibus tardari atque inhiberi poſset, contemnat ac nihili ducat. Id ita eſse plurima exempla demonſtrant, ſed illud maximè, quod in morte, et nece Saluatoris ſpectatum eſt. Fuit ea ſcelus vltimum Hebræorum, qui tamen id ſuſcepere ob vanas ſuas de venturo Meſsia opiniones, atque in obſcura illa luce pauebant vmbras. Verùm, vbi penitus reſtincta lux omnis animi eſt, et vbi credidere, Chriſtum de gloria diuina locutum impiè eſſe, ſtatim ſummus ſacerdotum inter eos,

verba

verba illa pronuntiauit; Blaſphemauit : quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam : quid vobis videtur? *Illico reſponſum fuit*; Reus eſt mortis. *Atque de voce illa Chriſti, quam ipſi impiam atque ſacrilegam omnino exiſtimauere, apud Euangeliſtam Marchum ita legitur*; Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis. *Herodes ipſe, quia errore captus, cùm minimè agnouerat, contemptui Saluatorem habuit, illudque venerabile ſilentium tali contemptu dignum eſſe putauit. Caterùm, ſicuti ex animi erroribus tanta damna exiſtunt, quanta vidimus: ita remedium tam graui parare morbo difficile eſt, longèque difficilius, quàm aduersùs ea, qua voluntate peccantur. Id et Saul et Dauid exemplo ſuo declarant. Reſeruauerat Saul prater diuina pracepta ſpoliorum partem, qua ex pralio Amalechitarum relata erant. Id Numini adeo diſplicuit, vt caleſti ope deſtitueretur illico Saul, vitaque ſimul et regno, et ſalute aterna priuaretur. Tantum ne piaculum igitur fuerat, prada partem reſeruaſſe ſacrificio, miſericordiaque in Regem Amalechitarum vti? Miſer ille Saul diuinam in ſe iram concitauit, quia pertinaciter in ſua opinione perſiſtens, non agnouit culpam, pluriſque fecit ſacrificij religionem,*

Matth. cap. 26. u. 65.
Marci cap 14. u. 64.
Lucæ cap. 23. u. 9.
1. Reg. cap. 15.

nem, quàm vim, atque maieſtatem diuini præcepti, cenſuitque abſurdum et inutile eſſe, ſi pulcherrima quæque proijcerentur. Quæ falſa opinio Dauidem Regem cùm non decepiſſet, cùmque ille non manſiſſet in ſua culpa pertinax, impetrata culparum ſuarum venia, illud audiuit; Do-

2. Reg. cap. 12. v. 13. minus quoquè tranſtulit peccatum tuum: non morieris. *Quoniam verò agnitus error faciliùs emendatur, quàm ignota latenſque culpa, inde fit, vt ignorantes iſti abſque pœnitentia, remedioque vllo ſceleribus ſuis immoriantur, dum ſcilicet ipſi ſibi nimiùm credunt, ſicut antea dictum eſt. Eaque præcipuè calamitas eſt inſignium virorum, quos prudentiæ doctrinarumque opinio in-*

Lucæ cap 18. v. 11. *flat: hic Phariſæi error fuit ità profitentis;* Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo: *Neque enim vnquam ille talia protuliſſet, niſi plenus inſcitiæ fuiſſet. Promptumque mihi erit demonſtrari vobis, eos, qui ſibi nimium prudentiæ aſſumunt, ignaros eſſe rerum, quibus rebus ſalus ipſa paratur. Primum omnium neſciunt, ignaros, temerarioſque et ſuperbos ſe eſſe ob nimiam de ſe opinionem; idque ante omnia ſcire debebant. Non diſcernunt peccata ſua, et culpas, neque diligunt*

ligunt idoneos, prudenteſque viros, quibus peccata confiteantur. Neque momenti quidquam in eo ponendum eſt, quòd diſerti iſti videantur, famamque moderationis habeant, multumque dignitatis adſpectu ipſo præferant. Tales namque multi Phariſæorum fuerunt, quorum vita Chriſti verbis ad viuum olim quaſi coloribus expreſſa fuerat. Sunt iſti [A] *ſepulchra dealbata,* [B] *parietesque facie et adſpectu falſo: Poſſuntque plerique iſtorum æquiparari nocturnis auibus, quæ in luce cæcucientes, in tenebris vident. Vbi ſpes aliqua vtilitatis obiecta eſt, vel vbi cupiditates ſuas explendi locum inuenere, acutiſſimè perſpicaciſſimèque vident; neque ſolertia illis deeſt. Ideo, dicere poſſumus, magnum eſſe numerum eorum, qui ad rectè agendum ſtulti ſunt, propterea quòd neceſſaria prudentia deſtituuntur, nec prouidè quidquam agunt: ad vitia verò et ſcelera prudentes ijdem ſolerteſque ſunt. Horum animis lumen atque ſanitatem optare debemus omnes, ipſique præſertim optare deberent Euangelico cæco ſimiles, ex quo cùm quæſitum eſset quidnam ille vellet, ita reſpondit;* Domine vt videam. *Non ille diuitias, non honores ab eo petijt, à quo cùm maiora ſperaret, hæc etiam faciliùs impetrare poterat. Hæc ille non petijt, quia optimè intelligebat, quàm pretioſa res eſſet*

A Matth. cap. 23. u. 27.
B Act. cap. 23. u. 3.
Luc. cap. 18. u. 41.

acies oculorum, neque ignorabat vnico obtutu longè ſuperari cætera omnia, quæ mortales optare poſſunt. Vides hominem cæcum pallido mœſtoque vultu, ſuſpicionum, irarumque plenum, querulo murmure ſedentem in angulo aliquo; tantaque infelicitas eius eſt, vt infelicium aliorum etiam bonis inuideat. Si quid proſperè eueniſſe audit, mœrore occupatur. Si ſecum ipſe propinquantem auroram imaginatur, quæ cunctos exhilarare ſolet, ſuſpiria emittit, aitque, albeſcere fortaſſe diem. Vbi verò noctem ſuperueniſſe ſentit, fundit lacrymas, quia imaginem eam tenebrarum ſuarum eſſe intelligit, quibus tenebris nulla vnquam matutina lux illuceſcit. Ipſi fruſtra fulget Sol, ſcintillantque ſidera, et campi florent. Illi ne quidquam aurum gemmæque micant. Ei fruſtra tellus induit varios amœnoſque colores. Vitreæ ne quidquam illi ſcatent aquæ riuique et fontes. Ei fruſtra criſpantibus vndis cæruleo colore vibrat æquor. Tu vnus peccator ignorans ea, quæ ſcire debebas, frueris ignorantia tua nocte, neque curas hoc, quod tibi neque Sol oriatur, neque gemmæ niteant, neque floribus prata veſtiantur. Tu ſolus odiſti radios Sideris, atque pulchritudinem Vniuerſitatis huius, viuiſque et expiras in horrore ſempiterno. Illuceſcat, illuceſcat infelicium iſtorum pectoribus

lux

lux æterna tandem; ipſorumque vita, longiſsima licèt, vna dies ſit, neque vnquam Cæleſtis fauoris Sol eis occidat.

ADVERSVS DELICIAS.

CONCIO XIV.

SI quis hoc affirmare vellet, delicias inſidiatrices eſſe generis humani, blandaſque hoſtes, et domeſticam fraudem et accerſita dilectaque monſtra, periculaque optata, et manſueta in hominem arma, nihil falſi, neque vani is diceret, auditores. Viderat olim inclytus ille Ioannes, ſicut in ipſius libro res deſcripta extat, mulierem in veſte pretioſa, gemmiſque, et auro, et omni margaritarum genere diſtincta: ea tenebat manu vas aureum, vnde propinabat ijs, qui haurire et bibere vellent. Turpis hæc et abominata mulier beſtiæ multorum capitum, multorumque cornuum inſidebat, cernebaturque temulenta Martyrum ſanguine. Babylon ei nomen, iſque titulus fronti inſcriptus erat. Mater ipſa adulteriorum flagitiorumque omnium, terrarumque Principes immiſti ei fuerant. Meretrix iſta (ſic enim ab Angelo appellata eſt, per quem arcana diuina Ioanni ipſi aperiebantur) videtur mihi facie, for-

Apoc.cap.17.3. 4.

maque ſua expreſſam oſtendere formam, imaginemque deliciarum humanarum: Ea ſenſibus noſtris varijs, atque multiplicibus inſident, feruntque ſecum aurum, et gemmas, et venena propinant, ſuntque auctores et magiſtræ crudelitatis, atque cum Mundi Principibus vnà decumbunt, ac latè corrupere omnia. Nam ſi quærere velimus, vnde tot in genus humanum ſint inuecta mala, ab deliciarum cuncta fonte manaſſe reperiemus. Arbor illa Paradiſi nonne fuerat elegans, et amœna viſu? Nonne poma illa gratia multum præferebant? Nonne mirifica vis et virtus in frontem ineſſe videbatur? Color, odor, ſapor ſenſuum inſtrumento, mente receptus, viriditaſque illa frondium nonne fraude dolumque ſtruxere? Magiſter igitur, et artifex illius antiquæ culpæ pulchritudine arboris illectus, gratiaque pomi, in tantum vecordiæ proceſſit, vt diuini mandati oblitus, arbori infelici propinquaret, brachioque exporrecto, decerperet pomum, quo turbauit euertitque cuncta. Verumenimverò, cùm priſtini decoris reliquias nonnullas terra retineret, nec dum funditus illa perijſſet, ſuperuenit eluuio, non aquarum, ſed deliciarum, quæ terrarum Orbem inundauere, ac perdidere violentiùs, quàm ſuperfuſus ille liquor, abundantiaque elementi. Ideo namque le-

legitur; Sicut autem in diebus Noè, ita erit & aduentus Filij hominis: ſicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſque ad eum diem, quo intrauit Noè in arcam, & nõ cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Matth. cap. 24. u. 37.
Quæ verba declarant, tunc expetiſſe pœnas in genus hominum terramque obrutam eluuione aquarum, cùm Dei populus in delicias voluptateſque effuſus eſſet. Quamobrem, dico ego, aquas, quæ fluunt manantque è fontibus, et ſunt intuentibus miraculo, ac voluptati, non tam demerſiſſe mortales, tantumque lacrymarum conciuiſſe, quantum venenatæ aquæ deliciarum approperauere illud ſine remedio malum, genuſque omne hominum in exitium clademque traxere. Sed quid plura? Verba ipſa Euangelij, quæ nuper à me recitata ſunt, nonne denuntiant atque protendunt Mundi interitum, incendiumque damnoſius atque funeſtius, quàm ſi igni cuncta abſumantur. Erant comedentes, & bibentes. *Flamma hæc erit, quæ per terras omnes diffuſa, cuncta rediget in cinerem ac fauillam, igniſque ille caminum accendet, quo non animæ ſolum, ſed etiam corpora damnatorum conflagrabunt, antequam Vniuerſitas ipſa extinguatur. Atque*

peſtifera iſtæ deliciæ, licèt vltima illa mala proferantur, non deſinunt peſtis omne genus inferre nobis, ac per eas veluti portas penetrant in animum culpa, viamque ſcelerum omnium aperiunt. Habentur contemptui ſacra, omniſque cæleſtium, ac diuinarum rerum cogitatio procul abeſt, vbi hac ipſa pedem intulere. Quamobrem, ita ſtatuere poſſe videmur, iſtos, qui delicijs immodicè affluentes, nullis vnquam voluptatibus ſatiari poſſunt, ſimillimos eſſe Iudæ proditori, qui vnguentum, atque argentum pluris fecit, quàm Chriſti maieſtatem, Corpuſque diuinum illius. Namque iſti, qui ſe mancipauere voluptatibus, vt eas emant, ſiue vendant, et aliquo modo fruantur ijs, vilia cætera cuncta habent. Porrò, appetitus, cupidineſque iſtæ voluptatum in pectoribus improborum adeo efficaces ſunt, inſtinctuque earum adeo rapiuntur, vt rationis fræno excuſſo, terminos honeſtatis et verecundiæ omnes tranſgrediantur abſque vlla recti cogitatione, et cura. Quòd ſi veteris memoriæ monumenta euoluere velimus, bella atrocia, quæ inter mortales geſta ſunt, vnde cauſam initiumque ſumpſere, niſi à voluptatibus delicijſque iſtis? Amœna camporum, agrique felices, quàm ſæpe vaſtati fuiſtis, quantaque copia lacrymarum veſtra cauſa effuſa eſt, dum his, aut illis im-

immodicè placetis? Littoris angulum vnum, vnicumve amnem, vt poſſeſſione, nauibuſque tenerent aliqui Principum, et Regum, ciuitates, et Regna excidio data ſunt. Ne fraudetur oculorũ acies ſpectaculo aliquo, vt longiùs proſpicere, vlteriùſve ambulare queas, omnia miſceri oportebit, ipſeque elementorum ordo confundetur? Ideo minimè mirum eſt, clades excidiaque Imperiorum ab vecordia huiuſmodi proficiſci potuiſſe. Perſas non debellauere Græci armis, ſed illecebra voluptatum. Aſiaque luxu Romanum Imperium diſſolutum eſt, cui cætera imperia ſuccubuerant. Præterea, feræ iſtæ agreſtes, atque hæc infanda monſtra, quæ vnà cum peccati labe intrauere Mundum, non ſolùm cumulos ærumnarum ſectatoribus ſuis afferre ſolent, ſed etiam regnum nobile virtutis expugnare audent, quæ virtus artium ope nititur, quas liberales appellamus. Artiumque earum vigor, ſi delicijs et luxu interdum occupatus fractuſque erit, illico videmus ruere ipſas, veluti mortifera tabe recepta, omneque bonum breui horæ momento ex humana mente delabi. Quid plura? Subijciamus oculis illud ipſum, quod aſſiduè fieri videmus, quodque frequens nimis atque quotidianum eſt. Times paupertatis inopiaque tela, famemque malorum vltimum? Pauperes tibi cordi ſunt? Sa-

ui-

Digitized by Google

uitiam odiſti ditiorum? Capit miſericordia te aliena calamitatis? Suſpiria infelicium frangunt tibi pectus? Vnde fit igitur, vt infelix adoleſcentula neceſſario cultu deſtituta, pedem efferre domo non audeat constricta pudoris vinculo, ac ne nuditate ſua præda fiat oculis impuris? Quis efficit, vt Virginum earum aliqua, cuius pectus nulla vnquam laſciuiæ venena tetigerunt, quæ inuiolatos ab omni impudico obtutu oculos ſeruabat, eò denique deducatur, vt oblita honeſtatis, effundat vltro perdatque decus illud? Quid cauſa eſt, cur tormento famis, et frigoris pauper abſumatur, gematque et intremiſcat ſub dio nocturnus, vaguſque per vias, extincto apud omnes igne charitatis, ſublato humanitatis ſenſu, oppreſſiſque Iuſtitiæ legibus, niſi hæc omnia deliciæ luxuſque efficiant? Fruſtra conuicijs inſequimur terram, quæ benigna mater mortalium eſt, quandocumque fames inceſſit; fruſtra elementa annique vices incuſamus: temerè nonnulli iraſcuntur Cælo ipſi, ſi fortè ſolita fruges non reſpondere votis. Nulla eſset inter homines paupertas, niſi deliciæ inter nos voluptateſque habitarent. Oneratum auro corpus; cupediæque ſimul et venena conuiuiorum; effrænata libido, quæ dedecus infamiamque alienam pretio immenſo mercatur; ſeruorum greges congerieſque lapidum, qui nitent

in

in ædium tuarum fronte; ſerico, et auro nitens aula, parietesque veſtiti, auiditatem iſtam, et famem languoremque pauperum effecere. Lupi famelico ſemper et rapace hiatu, ſi bona illa, quæ ſuperſunt abundantque vobis, impertiretis pauperi, facilè abſterſas eſſe lacrymas videremus, quibus oppletus ille ſqualet, atque abſumitur. Sæpe videmus arentem immodica ſiccitate terram efferueſcere, torridamque fieri, ac ſinu etiam aperto teſtari incendia, quibus vritur, victamque dolore, mille faucibus expoſcere opem. Tunc arbores adultæ etiam, et robuſtæ langueſcunt honoresque ſuos demittunt; herbæque ipſæ, velut alimenta ignium, emortuæ iacent humi, et per omnes morientis terræ partes floſculi flacceſcunt; omneque animal ſiti enectum conqueritur, et irati Cæli minas illas cuncta pertimeſcunt. Nolite tamen expectare, dum vos interea Cælo comparem, quicumque nihil aliud, præter delicias et oblectamenta ſpectatis. Potiùs vos ego comparauerim aſperæ cauti rupique duriſſimæ, quæ nullum vnquam ſalutiferum liquorem fundit, licèt ſubiectos campos, et propinqua omnia torrida, atque arentia et mœſta deſpectet. Hoc, quod nunc à me ita dicitur, vellem per omnia reſonante voce perueniret ad eorum aures, qui omne virtutis opus auerſari, atque odiſſe videntur, timentque

et

et erubeſcunt inferre Templo pedem, atque, ſi ibi conſpecti ſint, verecundia afficiuntur, quæ loca impudica ſubeuntes honeſtos viros tenet. Adſint, adſint ſemel ſaltem ſtolidi agreſteſque iſti, et præbeant nobis aures, et quæ dicimus, in animũ demittant. Si rem, quomodo ſe habet, ipſis demonſtrare potuero, quid inficiari poterunt? Sin autem traxero eos in conſilij mei aſſenſum, quid cauſæ erit, quò minùs ſtatim exequantur? Sed quando vnquam dicendi finis à me fiet, dum mala, quæ per delicias ad humani generis excidium inuehuntur, exponam? Tetrior, peſtilentiorque veneni vis eſt, quo terras omnes inficiunt, generique mortalium bellum atrox faciunt. Quinimmo Cælum ipſum appetere armis, et violare ſacra audent; ipſamque Numinis Maieſtatem attingere, et violare tentaret is furor, ſi aditus illuc daretur. Quis Dei Filium in Terras deuocauit, atque redegit ad paupertatem extremam; quis Maieſtatem illius quaſi compulit in anguſtum carcerem noſtræ carnis, niſi deliciæ id effecere? Quæ res, præter delicias, Dei Filium in Præſepe coniecit? Quid cauſæ fuit, cur aſperrima hieme natus, difficillimo itinere peregrinaretur, ſemperque poſtea vagam, atque laborioſam, et extorrim inter mortales vitam ageret, niſi deliciæ cauſæ rei huius fuerunt? Eæ

fe-

ſecere ne domicilium vſquam et ſedem Dei Filius haberet, vtque in paupere veſtitu, fame, et ſiti cruciatus, nudo pede calcaret terram. O delicias æterni Patris Filio triſtes, cauſaſque ærumnarum, vitæque aſperrimæ! Hæ capitales hoſtes cæleſtium rerum, grauiora mala etiam ei pepererunt, vt nempe circumcideretur, multumque ſanguinis funderet, atque ſpectaculum fieret tamquam culpis coopertus. Ob delicias hodie ille tormenta patitur laniaturque, et in ipſo limine vitæ pene extinguitur. Nutu namque Mentis æternæ ſtatutum ita decretumque fuit, vt circumcideretur Saluator, vt ea res documento mortalibus eſſet imperium exercendi in ſemetipſos, non ſolùm ad remouendas à corpore libidinum ſordes, verùm etiam ad luxum, deliciaſque conculcandas, virtuti honeſtatique inimicas. Itidem in antiqua circumciſione Hebræorum pœna illa, tormentumque corporis non ſolùm monumentum erat conſeruandæ in noua lege caſtitatis, ſicuti Sanctus Heronymus docet; neceſſitatisque in prima ætate aſſueſcendi vincere ſenſuum appetitus, ſicuti Sanctus Cyprianus affirmat: ſed id myſterium eò pertinebat etiam, vt in quacunque re ſumeremus exemplum comprimendi immoderatos ſenſuum motus, ærumnas quoque, et damna, et mortem, ita vt voluptati do-

S.Hier. in cap. 2. Epiſt. ad Rom.

S.Cypr. de ratione Circumciſ.

lor opponeretur, ſanguis aduersùs oblectamenta ſtaret. Vulnera, præmitiaque dolorum, quæ Deo offerebantur, ſignificabant imperium atque poteſtatem, quam animus in membra parteſque corporis obtinere debet. Id fortaſſe etiam Gentium inſtituto ſignificabatur, quo clariſſimum quemque circumcidi mos fuit; ob eamque rem apud Ægyptios, neque Geometricis, neque Aſtrologia operam dabant, niſi qui priùs circumciſi eſſent. Non ſacerdos fieri, miniſterve ſacrarum rerum quiſquam poterat, non vaticinari futura, non ſacras notas interpretari, niſi circumciſus eſſet. Et, ſicuti clariſſimi auctores perhibent, inclyta nationes à moleſtijs et calamitatibus inchoabant vitam, aſſuefaciebantque teneros Infantes calori frigoribuſque immodicis, vt æſtu et gelu durati, cuncta vita incommoda perferre faciliùs poſſent. Neque talia audientes mirari oportet; ſiquidem ſumma ratione prouidebant illi, atque intelligebant, maiora damna afferre delicias, quàm tormenta et dolores. Atque inter ea tormenta filiorum ſuorum, talia parentes dicere debuerunt. Proijciantur recens nati Infantes in concretas gelu aquas, omneque periculorum genus adeat vita eorum, dummodo aſſueſcant perferre incommoda, pugnare cum ærumnis, refugere à voluptatibus, quarum veneno nulla peſ-

Orig. in Epiſt. ad Rom. lib. 2. cap. 2.

tis

tis exitioſior capitaliorque eſt. Credent fortaſſe aliqui, non tangi pectora noſtra paterno ſenſu, officijque noſtri curam excidiſſe animis, ac pro charitate et amore ſæuitiam induiſſe nos. Hæc tamen vnica et maxima cura eſt erga pignora partuſque noſtros: hoc patrij, materniquе amoris certiſſimum argumentum. Tunc ipſorum vtilitatibus, et ſaluti conſulemus, cùm à nobis opera dabitur, ne luxu immodico, delicijſque marceſcant. Scatent malis, veneniſque, et tormentis peſtifera iſta deliciæ, Mediolanenſes. E pocula aurea ſuſpecta ſæpe ſunt labia admouentibus, cùm ex fictilibus vaſis intrepidè, ac ſecurè hauriatur liquor aquarum; qui iucundiſſimè extinguat ſitim. Gemmæque, ſummus Naturæ honos, proptereaquòd inter epulas ſæpe venena occultauerunt, horrori eſſe ſolent. O delicias infauſtas, plenaſque calamitatum! Non abſque nutu conſilioque Numinis in id conſpiraſſe elementa videntur, vt genus hominum ab inſidijs, fraudeque deliciarum abducant, tutumque præſtent, pulſis, atque abdicatis à vita delinimentis earum. Nam, ſi rectè inſpicias, grauiſſima quæque damna mortalium non aliundè, quàm à delicijs proficiſcuntur. Hauriuntur fluctibus naues preſſæ mercibus, quæ ex vltimis oris ad animos effeminandos importantur; atque abſtruduntur

in maris fundum voragineſque imas gemmæ, et margaritæ, vt illic procul à contactu hominum deliteſcant. Alta palatia, ſublimeſque turres quatiuntur vento et intremiſcunt; ipſaque tellus pondus illud inane indignata, fremit ac nutat, et monumenta operoſa excutere velle videtur. At tuguria caſaſque humiles recipit lubens, patiturque et conſeruat. Spolia relata ex hoſte prædamque ditiſſimam ſæpe abſumpſit ignis, et multo ſanguine partas opes vna ſcintilla vorauit. Cur vero querelæ multiplices, et lamenta audiuntur, quoties fame laboratur? Negant arua fruges ſuas et annua tributa, ſterileſcuntque inclytæ fertilitatis glebæ noſtræ vtilitatis cauſa, vt non eſſe gulæ ſeruiendum intelligamus. Conſtantine ter magne Imperator, quàm memorabili olim oratione in celeberrimo Antiſtitum conuentu locum hunc remque tractaras! Ne credatis, alta Dei manu voluptates, et commoda per cuncta terrarum parcè ita diffuſa eſſe ob aliam cauſam, niſi vt aſſueſceret vnuſquiſque parcè item et modeſtè vti illis. Purpura et margaritæ ex imo maris ſinu petuntur; viſceraque montium laborioſius atque difficilius fodiuntur auri, et argenti cauſa, quàm ob metalla alia; eaque durities et ſæpe impenetrabilis ferro ſilex, veluti monumento poſitus eſt aduersùs cupiditatem humanæ

In Orat. ad SS. cœtum.

manæ

mana mentis, ut operis difficultate frangatur ea atque obtundatur. Flumina verò et fontes cir boſque ſimplicißimos, quibus Chriſtiani hominis vita contenta eſſe poſſit, ſparſit vbique Deus, et vbertate copiaque incredibili ſunt ad manum. Extrema dementia igitur eſt venari et conquirere voluptates immodicas, quarum aquirendarum cauſa, tantum exſudari laborum, atque difficultatum oportet. Sapienter, et egregiè ſanè Princeps ille Iſraelitarum, haud aliter, quàm 2. Reg. cap. 23. n. 19. *venenata pocula repudiauit, atque proiecit vas aquæ plenum, quod ex frigida ciſterna labore ingenti petitum, in extrema ſitis ardore milites obtulerant. Voluptates, et commoda planè dicere poſſis huius Mundi vepres, et ſpinas, non autem flores, ſicuti plerique opinantur. Quippe de hominibus per ſpinas et vepres huiuſmodi, non autem per roſas et lilia virtutum incedentibus, diuinitus illa dicta ſunt;* Propter hoc ecce ego Oſee cap. 2. n. 6. ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet. *Quæ res inuoluit incendio Terras et Mundum, niſi Mundus ipſe? Vbi flagrant, ardentque peccatores, niſi inter ſuas ipſorum flammas? Nonne Mundus Ægyptus eſt, et fornax, et caminus ille, vnde*

Dei

Deut. cap. 4. n. 20.

Dei prolex mirificè emerſit? Et eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hereditarium. *Porrò quiſquis hoc negat, neget ſimul oportet, ineſſe tormenta Mundo, ineſſe ignes, vel potiùs neget, ſenſum ſibi eſſe vllum. Quomodo Solem intuemur, ſic deliciæ nobis intuendæ ſunt: Ac ſicuti cœleſtis ille ignis, ſi nimiùm in eo defixos oculos teneremus, praſtringeret aciem: ita planè vincerentur noſtri ſenſus, ſi delicias, et oblectamenta Mundi penitus admitteremus in animum, nec leuiter contemptimque adſpiceremus. Ita namque dixere veteres illi, qui naturæ arcana ſpeculabantur; ſenſus noſtros hebetari atque infringi, quoties nimiùm propinquàuere rebus, quæ ad ſenſus ipſos pertinent:* Senſibile ſupra ſenſum poſitum non facit ſenſationem. *His enim verbis philoſophi illi rem eam explicauere. Voluptates admotæ nobis, vim poteſtatemque habent corrumpendi atque diſſoluendi humani corporis molem, ordinemque euertunt, quo ab rerum omnium Artifice moles hæc conſtructa eſt. Vidiſtis conuiuia, epulaſque ſolennes? Hæc vobis ludicra arrident: Helluo voratorque es? Intuere ſtatum, et formam, quæ ſolet eſſe hominum, qui ventri, vinoque indulgent, ſuntque tibi ad ebrietatem, et crapulam fidiſſimi comites. Animi vigor obtuſus illis, obtenebratuſque*

eſt;

eſt; delirantque, et eluctantia verba proferunt; pallido ore cinereiſque labijs conſpiciuntur; et nebula oculos occupauit; membra vacillant, ſuſpirantque ipſi, et gemunt ſub pondere cibi, quem ſumpſere intemperanter. Has tu delicias appelles? Hæc vita felix erit? Scio, pleriſque veſtrum meliùs propiùſque, quàm mihi, conſpecta fuiſſe talia monſtra vultuſque fœdos, quos voluptates impura expreſſerunt. Scio, conſpectos vobis eſſe deformes illos vultus, cadenteſque genas, oculoſque emortuos, et tremula labra, gingiuaſque nudatas, et fœda vlcera, et marcidos, eroſoſque artus, veſtigia libidinum reliquiaſque infames.

Nonne tetrum nidorem ſentitis, quem medicamenta exhalant? Nonne adſpicitis corpora inuoluta faſcijs manantibus oppletiſque tabo? Sunt hæc ingrata auditu? Ob id à me dicuntur, vt ingrata ſint, tantòque magis abominata reſpuantur. Corpus hoc, quod vitiorum tabe corruptum ita fœdatumque eſt, hæc ingrata, triſtiſque caro animam includet, quæ Deo placere poſſit? Quis corpus hoc ita deformauit? An gelu, an ardor, an cilicium, an abſtinentia? Deformauit atque labefecit anima peccatrix. Hanc tu pulchram eſſe credes, cùm tot repleta ſordibus ſit, quæ flagitia ipſius teſtantur? Sed omitto morbos ſordeſque animi: tecumque pro ſtoliditate, et tardi-

tate

tate tua argumentis tantummodo vtar, quæ à ſenſibus petuntur, quos vtique ſenſus nunc ſaltem fungi officio oportebit, et inſeruire rationi. Corrupta hæc et putrida membra Paradiſo inferentur? Corpus iſtud iuxta Confeſſores, et Martyres, agminaque Angelorum ſtabit? Hæ ſordes inter tanta decora locum habebunt? Quis mutare poteſt corporis huius effigiem, cuius ſordes æternæ ſunt, cum à peccato proficiſcantur, quod malum æternum eſt? Gratia tantùm mutare poterit, ſicuti ait Apoſtolus. Quæ porrò Gratia, quodve meritum in te reperiri poterit, cùm ſordibus aſſiduè inuolutus viuas? Vix ex longinquo adſpicere poſſum vmbram aliquam ſpei ſalutis tuæ: at mala certa præſentiaque ſunt. Tune igitur ſocius Angelorum? Cupio, te ipſo iudice, tranſigi hoc, atque decidi. Quam tandem in ſedem membra tua mortua deportanda eſſe credis? An in choros, ſedeſque Beatorum? Tu ne igitur calcabis aliquando ſtellas, et cum Sole de ſplendore contendes? Abſit vt ego credam, tali monſtro inter diuina capita, pulcherrimaſque naturas locum fore. Peccator infelix, fateris ne hoc totum ita eſſe, quemadmodum à me dicitur? Si id fateris, ſatis habebo; fructumque orationis huius idoneum tuliſſe me arbitrabor.

Ad Epheſ. cap 2. u. 8.

DE

DE INCONSTANTIA et duritie cordis animique humani.

CONCIO XV.

INCLYTVS Origenes optimè dixit, inter Litterarum diuinarum monumenta circumciſionem reperiri, nominarique duplicem; alteram corporis, alteram animi; alteram deſuetam iam, atque abolitam Chriſtianis nobis; alteram, quæ numquam intermittenda, ſemperque adhibenda eſt. Atque vt ita eſſe confirmaret Scriptor ille, teſtimonium Ezechielis attulit, cuius hæc verba ſunt. Omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne non ingredietur ſanctuarium meum. *Sed non tam auctoritate Ezechielis, quàm Ieremiæ, et Apoſtoli ipſius teſtimonio comprobantur, auditores, hæc duo genera circumciſionum, atque eorum vterque non vno loco idipſum docet, atque confirmat. Inſuper circumciſio vtraque quemadmodum differat, ſepareturque inuicem, et Origenes ipſe, et [A] Ambroſius, et [B] Hieronymus, et [C] Auguſtinus, et [D] Chryſoſtomus, et Cyrillus [E] Alexandrinus, et [F] Beda tradiderunt. Neque quærendum hoc loco dubitandumque eſt, an circumciſio animæ nobilior,*

Ezech. cap. 44. u. 6.

Ierem. cap. 4. u. 4. & cap. 6. u. 10. & cap. 9. u. 25. Ad Rom. cap. 2. u. 29. Ad Coloſſ. cap. 2. u. 11. Act. cap. 7. u. 51.

[A] S. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 11.
[B] S. Hier. in cap. 6. Ierem.
[C] S. Aug. Epiſt. 200. de Iudæis & vocab. Iud.
[D] S. Chryſoſt. Ha[illegible]

Homilia 19. in cap. 22. Matth.
z Cyril. Alex. lib. 4 in Ioan. cap. 51.
y Beda in qq. ſuper lib. Ieſu Naue de Circumciſ. quæſt. 2. cap. 6.

perfectiorque ſit circumciſione corporis. Hæc namque figura illius erat; ſiebatque corpori, quæ pars deterior eſt, animoque ſubiecta; atque per hanc gradus adituſque parabatur ad myſterium hoc, vt mentem animumque circumcidere mortales inſtitueremus. Illud quidem hoc loco dubitari ambigique poſſet, vtra circumciſio grauior aſperiorque perpeſſu fuerit, illane vetus, quæ diuino nutu inſtitutoque Moſaico membrorum partem amputabat, an verò hæc, qua legibus Euangelij, veteribuſque præceptis etiam cogimur, ac neceſſe habemus, partem noſtri præſtantiorem occultè circumcidere, atque coercere. Minimè dubium eſt, auditores, quin multo ſanguine conſtaret vetus illa circumciſio; laniatuque corporis humani, multiſque lamentis, et morte ſæpe ipſa primis illis temporibus myſterium id celebrari ſolitum fuiſſe pro certo habemus. Verùm, ſi ad truncanda atque excidenda tentamenta cupidinum malarũ, quæ per peccati labem inceſſere, conuertamur, longè acrior acerbiorque ſenſus erit vulnerum huiuſmodi, quibus vulneribus animi noſtri partes intimæ ſauciantur atque cruentantur. Feritur, laceraturque cor; nec vno ictu, vnoque tormento conſumitur pœna, ſed tot tantiſque tormentis ea continetur, vt innumerabiles eſſe pœnas dicere poſſimus, quemadmodum experimur omnes.

Earum

Earum ſanè pœnarum immunis infantia eſt ætasque prima, quamdiu ſenſus abeſt, qui voluptatem à dolore diſcernit. Verùm, vbi confirmata ætate, ſenſus ſimul, iudiciumque adoleuit, ea tormenta laniatuſque ſentiuntur. Ac ſicuti prior circumciſio vulneris acerbitate, ſenſuque, mortis interdum cauſa erat: ita in cordis animique circumciſione obeunda, ſegnes vecordeſque multi, animi ſimul, et corporis bona amittunt, et pars vtraque ita emoritur. Quàm porrò difficile ſit, atque anceps et ærumnoſum diſcernere atque agnoſcere abditos animi noſtri receſſus, multiplicemque naturam, et partes, quæ totam hominis vitam continent, ac regunt, præter ea, quæ iam dicta ſunt, vnuſquiſque per ſe videre, ac ſtatuere poteſt. Non ego nunc ſatis explicare poſſe videor, verbiſque complecti magnitudinem eius cladis, quæ ſtatim condito creatoque Mundo, cuncta occupauit. Namque, cùm Deus Vniuerſitatem hanc ita condidiſſet, vt diuina ab humanis, ſacra à profanis; clara ab obſcuris diuideret atque ſepararet, ob culpam deinde admiſſam, miſceri inter ſe cuncta paſſus eſt, Terraſque et Cælum, ſupera et infima, profana et ſacra confundi, ſublato ordine, qui ſtatutus antea fuerat. Orbes iſti Cæleſtes admirabili ordine aſſiduè conuertuntur; atque lux ipſa, ſuper-

fuſuſque iſte aer in varias partes mirificè diffunditur; alternant anni vices, et à ſuperis infima pendent; cunctaque arbitratu ſuo regit ille rerum Deus moderator. Pectora porrò, animique mortalium, ordine rupto omni, legibuſque conculcatis, prout impetus tulit, mutantur varianturque in omnes formas, miraque volubilitate et inconſtantia circumaguntur, pelluntur que ſæpe in tenebras, obſcuritatemque tantam, vt abditi ibi ſepultique diſcerni non poßint. Quòd ſi Babylonicam turrim matrem, originemque linguarum externarum tantopere admirata antiquitas fuit, iuſtiùs nos, magiſque mirari debemus pectoris animique linguas tantopere inter ſe diuerſas, illiſque obſcuriores. Namque linguæ iſtæ pectoris feriunt, occidunt, cunctaque cœno ſordibuſque inficiunt, interimque munus Angelorum occupare audent, et canere diuinas laudes. At priores illæ, mutæ tanquam et emortuæ, neutram in partem peccabant, iacebantque, velut adſtrictæ vinculis, in nullum vſum inter primos Mundi dies. Nullus credere potuiſſet, malignum, infernumque ſerpentem ingredi poſſe Paradiſum, immiſſumque ibi decoris eximijſque capitibus turbare pacem inclytam, et venenare ſuperfuſum illum aera, qui ſereno tunc et clariore Cælo micabat: ſic et peccatum aßiduè corda mortalium intrat

magis

magis temerario auſu; cùmque antiquo ſerpenti nulla lex interdixiſſet Paradiſi ingreſſum, huic capitaliori ſerpenti manifeſtè interdictum fuerat, ne pectora humana, Dei Paradiſum, intraret; audetque irrumpere tamen et ſordium omne genus inuehens, regnat ibi, et ſedet. Quas iniurias, tantæque rei cladem lacrymis, atque lamentis omnium deplorari oportet. Olim Apoſtolus Iac cap. 3. u. 8. *damna iniuriaſque et veneficia linguæ cæleſti facundia deteſtari aggreſſus, inter cætera, quæ diuino ſpiritu mirificè dixerat, inquietum malum, mortiferumque virus eam appellauit: eiuſdem linguæ ſono nunc laudari bonorum omnium largitorem Deum, nunc conuicijs onerari proximos, nec aliud ſpectare ipſam, quàm clades exitiumque humani generis. Non tamen illa fons malorum noſtrorum eſt, ſed euripus tantummodo quidam, et via, qua quis ad exitium ſimul, et ſalutem eniti poteſt. Origo prior fonſque malorum omnium, animus eſt, præ cuius culpa, innoxiam dici linguam par eſt. Dominator animus, ſerua, ancillaque lingua eſt, ibique receptaculum atque domicilium tenebrarum, et linguarum, flagitiorumque omnium. Animus humanus nunc ſanctitate plenus, nunc ſcelerum vitiorumque ſedes eſt: nunc laudat Deum, nunc contemnit; nunc in Paradiſo cum Angelis habitat,*

tat, nunc ad furias Inferorum Dæmoneſque deſcendit. Hoc illud horribile chaos eſt, quo fabuloſa antiquitas futuram Mundi conditionem deſcripſerat, atque adumbrarat; nec iam longa ſæcula nobis expectanda ſunt, vt chaos illud adſpicere poſſimus. O pectoris humani aduerſitatem, atque degenerem ab ſe ipſo formam! Adeò ſcilicet, vt vix credi poſſit, qui contemnit nunc ſpernitque animus, eundem eſſe, qui veneratione olim, et cultu totus occupabatur. Neque dubitem ego, quin fabularum auctores ad cætera mendaces et falſi, verè hoc rectèque dixerint, in varias formas mutari homines: quotidie videre eſt nonnullos nunc forma adſpectuque beſtiarum, nunc facie hominum, et figura: lupi rapaces interdum, rurſus agni mites videntur: ſatiſque apparet, homines in belluas, belluas in homines mutari cum exitio, cladeque ipſorum. Quæ quidem varietas, et inconſtantia minùs intoleranda eſſet in perditis hominibus, ſi in bono et malo æquè leues et inconſtantes eſſent. Sed Paſtores nos Rectoreſque animarum aſſiduè experimur, nimiò inconſtantiores eſſe multos ad rectè agendum, qui pertinaces, et obſtinati poſtea ſcelera, quæ ſemel amplexi fuere, tuentur. Vult vtique diuina Benignitas pectora iſta circumcidere ſuo ferro, reciſaque parte, quæ corrupta eſt, afferre

cor-

corpori ſalutem. Sed tanta pertinatia eſt, tantaque, velut Phariſaica turba, durities animi, vt nullo modo circumcidi velint. Ideo, Sanctus Auguſtinus ſpeculari, et exquirere hoc inſtituit, quid cauſa poſſit eſſe, cur corporis membra imperium animi ſequantur adeò promptè et expeditè, vt nutum illius confeſtim res ipſa ſequatur; idem verò animus, vbi velit ipſe ſibi imperare nonnihil, proterua et obſtinata cuncta reperiat. Unde monſtrum hoc exoritur, inquit Auguſtinus? Rem demum ita concludit, animum imperia ſua non obtinere ob eam cauſam, quia non certo conſilio, neque conſtanter ſatis et ſeuerè ſibi ipſi imperat. Ita peccandi occaſionibus aſſiduè te hærentem implicatumque video, quia non vis ipſe tibi neceſſitatem iniungere vitandi, fugiendique eas; quodque raptum ex alieno habes, id reddere non inducis in animum, quia ipſe tibi dominari non potes, liberoque tua mentis arbitrio minimè vteris. O pectoris cordiſque humani calamitatem, miſeriamque vltimam, qua efficitur, vt ab vinculis et nodis huiuſmodi explicare ſe mortales nolint, vltroque conſtricti, et obligati peccandi occaſionibus maneant! Horum vecordia ſimilis eſt inertiæ illius, qui ſuſcepto itinere, poſtquam aliquantum via proceſſit, repente fatigatus, abijcit in vmbra corpus, ſi fortè obuia

Act. cap. 7. u. 31.

S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 9.

obuia aliqua arbor inuitauit, tædioque laboris exurgere inde, repetereque iter cunctatur. Ita cum ſarcinulis ſuis iners tarduſque viator, multò circa arborem illam ambitu extrahit tempus, velut altera vmbra circumplectens arboris truncum; ſæpiuſque abeunti ſimilis, cunctatur tamen, donec moras dilationeſque illas occupat nox. Talis eſt vita peccantium. Nihil aliud, quàm ſedendi locum mutant, prout huc, vel illuc tranſijt vmbra. Nuſquam vitia relinquunt, ſed formas ſpecieſque tantummodo vitiorum mutant. Nuſquam progredi volunt, ſed deliciarum otijque vmbras cupidè ſectantur; ibique retenti, nunc huius, nunc illius dulcedine ſceleris manent; variantibuſque culpis, vitæ forma retinetur eadem; neque infelices iſti repetunt iter, vt ad deſtinata domicilia peruenire poſſint. Dant quidem interdum ſigna tamquam exurgere inde, et priſtinam vitæ conſuetudinem omittere velint; obeuntque myſteria nonnulla, et peccata confitentur: ſed illico ad priſtina inſtituta reuoluti, nihil mutant. Ita velut ex graui morbo non conualeſcunt illi quidem, ſed leuati pauliſper, in grauiorem deinde morbum recidunt. Sic etiam infelix ille obſeſſus à Dæmone Saul, nullum vſquam cladi ſuæ remedium, præter citharam, cantumque Dauidis inuenit; narrantque ſacræ Litteræ cantu

illo

illo pauliſper eſſe recreatum, ſed depulſas cantu furias, partamque Regi ſalutem ſacræ Litteræ non affirmant; Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus. *Inhorruere Dæmones, inhorruit Orcus cantu fidibuſque illis, quibus diuinæ fortaſſe laudes canebantur: neque peccatores ob minas caſtigationeſque ſacerdotum inhorreſcent? Quoties ad ſacra tribunalia, cùm peccata confiterere, voces iratas denuntiationeſque dirarum audiſti? Quoties fulminantes, tonanteſque diuini Verbi præcones tentauere tuum animum? Quoties appoſitus cuſtodiæ Angelus tentat, monetque, et hortatur? Nec tamen hæc diuina vox, citharaque cæleſtis proficit quidquam. Conſiderate, quæſo, et vobiſcum ipſi perpendite verborum eorum vim*; & leuiùs habebat. *At tu, ſi in id obduraſti animum, vt conualeſcere nolis, annue ſaltem, vt leuamenti nonnihil admittas: ſi ad peccatum aliquod prolapſa tibi mens eſt, exurge ſtatim, cœptumque iter repete, ne ſemper vitiorum cœno demerſus, conſtrictuſque catenis iaceas. Tales qui ſunt, etiam in ſummis opibus, ſummaque felicitate, et audacia, et contemptu ſalutis, quem tandem exitum habituri*

1. Reg. cap. 16. u. 23.

Ii vi-

videntur? Haud dubiè propius procliuiuſque eſt, vt præcipites agantur ad pœnas Inferorum, quàm vt in Cælum aſſurgere poſſint, niſi ſi potiùs altero iam pede Orcum tenent. Quid porrò futurum ſit ipſis, et ſpes ne aliqua ſalutis, an certum iam exitium immineat, ſentient ipſi quidem aliquando: ſed tunc ſolùm, cùm remedia vndique abſciſſa erunt, celerque et eadem ſera pœnitentia conſequetur. Ab ingenijs huiuſmodi refugiendum eſt, Mediolanenſes: aduersùs animos et ingenia iſta tenendum illud, quod Saluator ipſe aduersùs eos, qui repudiarent Euangelium, faciendum eſſe monuerat; Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis. *Græca fortaſse lectio efficaciùs in eandem ſententiam expreſſiùſque nonnihil habet;* ἘΚΤΙΝΆΞΑΤΕ ΤῸΝ ΧΟΥ͂Ν ΤῸΝ ὙΠΟΚΆΤΩ ΤΩ͂Ν ΠΟΔΩ͂Ν ὙΜΩ͂Ν; *Nempe nulla pulueris pars reſidua ſit, et quidquid illud calceis adhæſerit, regeratur in frontem oſque illis, vt ſe damnatos atque proiectos ſciant. Ita ſignificatur deteſtatio, execratioque horrenda in iſtos odiumque atrox, quo digni ſunt. Poteruntne iſti eſſe ſalui? Poterunt eſſe ſalui, ſi diuina tamen poteſtas, quomodo olim iuſtum hominem vitæ periculis exemit, ita iſtos exitio ſempiterno eximat.*

Marci cap. 6. u. 11.

mat. Quod quàm rarum, ac difficilè futurum ſit, intelligetis eius rei exemplo, quod narraturus ſum. De infami gente ciuitatibuſque flagitioſis iam decreuerat Deus; iam internuncij Angeli è Cælo deſcenderant; bique peregrinorum habitu Lot ſuper ea re allocuti erant; iam conſtituta omnia; iam præſtituta dies, ad quam iuſti exceßiße vrbe deberent; luxque iam aderat, cuius exortu memorabile exemplum edi oportebat in impios; nec tamen, aut Lot ipſe, aut cæteri familiares, neceſſarijque ex veterno excitati, diſceſſum cogitabant. Stimulabant inertes illos Angeli, vt fugere maturarent; nec ideo migrandi et abeundi conſilium inibatur. Rurſus inſtabant Angeli monitores, increpabantque moras, et oſtendebant diuino nutu protinus abeundum eſſe illis, alioqui Cæleſti igne conflagraturos. Hæc dicta ſurdis auribus, neque mouebatur quiſquam. Rurſus Angeli mox aiebant: flammis, et horrore, ſtrepituque cuncta complebuntur, reſonabunt in Cælum vſque voces, atque tellus iſta feruebit, cunctaque in cinerem, et fauillam redacta erunt. Cunctabantur tamen adhuc miſeri, et vaticinia denuntiationeſque illas nihili faciebant. Tunc Angeli prenſare deſtras eorum, educereque vrbe inſtiterunt, atque vbi extra mœnia pertraxere illos, ſeuerè præceperunt, vt in

Digitized by Google

vicini collis verticem aſcenderent procul à periculo imminenti. Totum hoc verè quadrat, aptiſſimèque conuenit in pertinaces illos, qui ſuas ædes, tamquam plenas vrbes flagitiorum omnium incolunt; et licèt exprobrent multa, vociferenturque ſacerdotes, non ideo relinquunt latrociniorum, impuritatumque cubilia. Quid igitur faciendum eſſet, quidve conſilij capiendum aduersùs contumàces infeliceſque iſtos? Quoniam neque concionatorum minas, neque ſacerdotum Epiſcoporumque auctoritatem verentur, præſenteſque Angelos contemnunt, Angeli eſſent alij mittendi de Cælo, quorum voce miraculoque aliquo euidenti monerentur, fidemque dictis haberent. Horum ne igitur aduentum expectaturi eſtis? Homineſque meriti ſupplicia ſempiterna, infernoſque ignes, miracula Cæleſtia muneraque diuina expectabitis? Vultis ne deſcendant è Cælo formæ Angelorum, quæ vos tueantur educantque in tutum, monſtrentve ſalutis viam; atque præeant, et arceant à vobis pericula, ſicuti pia veſtra facta meruere? Aiunt Moyſis, et Leuit. cap. 6 u. 29. *Prophetarum, et diuinæ legis ad manum eſſe volumina, non concionatores, non ſalutaria exempla deeſſe, quæ ſequi poßitis. Odere Angeli tecta domoſque veſtras, neque vnquam ſubirent loca illa impreſſa et notata ſcelerum veſtigijs flagi-*

*gitiorumque veſtrorum. Dæmones, quibus apud
vos tanta fides eſt, ductores, tutelareſque veſtri
ſint; ab his præmia raptuum, atque adulterio-
rum, et cædium petatis oportet; hi vobis apud
Regna Inferna parauere ſedem. Vobis camini
ardent voragineſque illæ, et antra Furiarum.
Scio, Mediolanenſes, nondum ſatis multa dicta
eſſe pro ſcelere, et calamitate iſtorum; iam enim
ad pœnitentiam conuerſi eſſe debuerunt, ſed per-
tinaces, et obſtinati nondum conſilij quidquam de
nouo vitæ genere ſuſcepere. Hærent conſilijs
adhuc cogitationibuſque ſuis, pectoraque gerunt
ferro, vel adamante duriora. Nulla ſalutaria
conſilia demittere in animos poſſunt; nullis mo-
nitis flectuntur; nec animus illis eſt ad accipi-
enda præcepta ſalutis, qualem Salomon ſibi op-
tarat, cùm diceret;* Dabis ergo ſeruo tuo cor 3 Reg. cap. 3. n. 9.
docile, vt populum tuum iudicare poſſit, &
diſcernere inter bonum & malum. *Rex ille
inclytus mentem animumque optabat aptum re-
gimini Iſraelitarum iudicijſque rerum, quas in
tanto imperio ſtatui decernique oporteret. Eſt
et nobis in nos imperium, poteſtaſque ſuprema,
ſicuti Chryſoſtomus ait, dum ſcilicet ſedens in* S. Chryſoſt. Homil. 3. in cap. 1. Epiſt. 2. ad Cor.
*ſumma arce animus ſubiectam perturbationum
turbam, varietatemque deſpectat, ac veluti Rex
intuetur. Hæc nobis turba regenda, atque con-*

tinenda

tinenda in officio eſt, auditores, taliſque imperij diſciplina et ingenijs, et prudentia mortalium conſtat, ſed fermè tota diuinitus traditur. Non ſolum diuina præcepta ſunt admittenda prompto animo, ſed voluntas etiam in eam partem flectenda eſt, quocumque Dei cultus vocet: non vaticinia noua Prophetarum, non minas Angelorum expectare debemus. Quoniam verò homines ſumus, manſuetè nobis humaniter-
Pſal. 50.u.12. *que agendum eſt, ita vt purum, atque pur-*
Ezech. cap. 11.u. 19. *gatum animum, et pro lapideo pectore, molliſsima iam viſcera præferamus.*

IN

IN DIE
EPIPHANIÆ
Domini

DE VIRTVTE SANCTORVM MAGORVM.

CONCIO I.

CVR vnà cum Sancto Magorum cœtu ſpeluncam hanc, antrumque cæleſte non ingredimur? Et rurſus quis noſtrum ingredi huc audebit? Cui tanta ſanctitas eſt, vt vel ingredi, vel Magos ingredientes comitari auſit? Sanè terror ingens occupabit animum noſtrum, ſi antequam illuc ingrediamur, non eluerimus ſordes, labemque omnem; ac ne vultum quidem nouelli Moyſis eximio fulgore ſplendentem, opertum licèt velo mortalitatis, poterimus abſque terrore intueri. Quamobrem, meliùs fore arbitror, in limine

mine ipſo conſtitiſſe contemplantes, inuidenteſque illis, qui ſecuti Magos, in ſacram ſpeluncam pedem inferre potuerunt. Atque hoc loco ſubſiſtentes, contemplando exequemur procerum iſtorum virtutes, qui genere quidem et natalibus inclyti erant, ſed magis inclyti fuere ob iter adorationemque illam. Fuerant Magi etiam ante luminis accepti radios, omni virtutum genere præditi, quæ genus eorum originemque decerent, tum quia aptiſſimos tantæ legationi admouere Deus ipſe debuit; tum quia primitiæ gentium iſti erant; tum denique, quia antecurſores Gratiæ erant, quo nomine à Gregorio Nazianzeno appellati ſunt. Præterea conſentaneum fuit, ſplendore alio virtutum ornatos eſſe ipſos, diuino ſcilicet, et cæleſti, cùm Sanctus Auguſtinus ita affirmet, ad id, vt grata dona Deo ſint, requiri gratiam ipſam, meritumque donantis: Ideo legitur; Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius, non reſpexit: *Et apud Iſaiam;* Incenſum abominatio eſt mihi; *nempe quia praui offerebant. Additque Chryſoſtomus, Magos eo ipſo, quòd obtulere dona, initiatos eſſe ſacerdotio, gratoſque et acceptos fuiſſe Diuinæ Maieſtati. Sed propiùs interiùſque ſpeculando munera dignitatemque eorum, primũ omnium dicimus, fuiſſe ſapientiſſimos, quia cogno-*

S.Greg. Nazian. de Nat. Dom.

S. Auguſ. de vera, & falſa pœn. cap. 8.

Gen. cap. 4. u. 4.

Iſaię cap. 1. u. 13.

S Chryſoſt. Homil. 7. in cap. 2. Matth.

gno-

gnouere rerum creatarum ſummam, altiſſimamque cauſam, cuius rei intelligentia, et Platonem et Philoſophos alios longè ſuperauere. Hunc ipſi ſapientiæ cumulum aſſecuti fuere lumine diuino, de quo ſic Iſaias; Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. *Humanam præterea ſapientiam ipſi tenuere. Namque ſapientiſſimi Perſarum, Magi appellabantur, ſicuti refert Chryſoſtomus. Baſilius, Aſtrologos fuiſſe Magos, ait, præditos ſcilicet notitia rerum, quæ ad miracula Naturæ ſpectant, quæve ſecreta ipſius continent. At Sanctus Hieronymus circumſcribens, definienſque ſapientia eorum modum, cenſet, nihil vltra quàm Mathematicos fuiſſe Magos; aitque apud Chaldæos, Magis Philoſophorum nomen tributum eſſe, et Regibus ipſis venerabile fuiſſe id nomen. Magi præterea iſti, ſicuti Baſilius ait, cognouere nouã illam ſtellam extitiſſe, dum ſcilicet cæleſtes motus accuratiſſima meditatione contemplarentur. Vaticinia Balaami cognouerant, vti Cyprianus ait, eòque reſpicientes, rem optimè coniectauere. Tantaque ſapientia fuerunt, vt non ab regali diademate, ſed ab ornamentis, dotibuſque animi ſumerent nomen; ideoque Magi, non Reges, inter ſacra monumenta appellantur. Præterea, ſapientia Magorum non ſolum mentis animique*

Iſaiæ cap. 60. u. 3.

S. Cryſoſt. in opere ſupp. Homil. 2.

S. Baſil. Hom 25. de human. Chr. Gen.

S. Hier. lib. 1. in cap. 2. Dan.

S. Baſil. Hom. 25. de hum. Chriſti gen.

Num. cap. 23.

S. Cypr. de Stella, & Magis.

ipſorum admirabile decus fuit, ſed virtutum etiam aliarum cauſa, et origo, præſertimque charitatis, zelique flagrantiſſimi, quem moribus, et vita teſtabantur. Ad cultum diuinum, ſalutemque ſuam prompti et expediti fuere; ſtatimque affectui notitiam, et rei ipſi animum accommodauere. Sidere conſpecto, ſtatim Ieroſolymam verſus capeſciuere iter, eaque alacritas ſignificata eſt, cùm verbum illud Ecce *ab Euangeliſta pronuntiaretur, qua nempe particula, ſicuti Sanctus Cryſoſtomus ait, hoc dicere voluit: ſtatim, illico, velociter. Nec aliter fieri debuit, cùm ex Arabia proficiſcerentur, ſicut Iuſtinus Martyr, et Cyprianus aiunt; vel ex Perſide; ſicuti Chryſoſtomus, et Baſilius; atque ad itineris eius celeritatem dromedarios adhibuere. Quamobrem, ita dicendum eſt, ſtatim ab ſideris adſpectu, lumine intimo commotos, arripuiſſe iter. Veloxque curſus eorum Iſaiæ vaticinio, cùm de gentium ad Chriſtum concurſu prædiceret, expreſſus, declaratuſque eſt;* Fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. *Quo loco Chryſoſtomus ſuorum, noſtrorumque temporum ſegnitiem deliciaſque inertes incuſat. Quis veſtrum, inquit ille, tam longa itinera pro Chriſto ſuſcepit?* Fe-

S.Chryſoſt.in opere ſupp. Homil.2. in cap.2.

Iuſt. Mart. Dial. ad Tryph.
S.Cypr. de Stella, & Magis.
S. Chryſoſt. in Matth. op. ſup.
S.Baſil.Hom.25. de hum. Chriſti gen.

Iſaiæ cap. 2. u. 3.

S.Chryſoſt. Homil. in cap. 7. Matth.

Feminæ pleraque nonniſi carpentis, et mulis ad templa raptantur; multique mortalium adeò pertinaciter impliciti ſuis negotijs hærent, vt vix vnquam, niſi illorum cauſa, vllam in partem gradum facere velint. Fuit verò etiam Magorum mirifica alacritas, tum in capeſcendo, tum in conficiendo itinere. Vno namque conſilio, conſentientibuſque animis, non emortuam ſibi, ſed viuam plenamque operum fidem eſſe oſtenderunt, dona ferentes, et multa, et pretioſa. Nec aliud inundantes apud Iſaiam cuncta cameli, natumque id ad ferenda onera animal, ſignificauere. Inſuper multi promptè quidem ad rectè agendum accinguntur atque exurgunt: ſed fatigati deinde, ſtatim languore inſito concidunt, atque in medio curſu, fractis animis, conſilia ſuſcepta relinquunt. Non ſic Magi, ſed fortitudine, conſtantiaque ſingulari, quod ſemel ſuſceperant, in eo ad finem vſque perſeuerarunt. Venere adorandi cauſa, non percunctandi ſciſcitandique; ſtatimque denuntiauere, veniſſe ipſos non videndi ſolum, honorandique cauſa natum Regem, ſed venerandi etiam atque adorandi; primuſque motus et prima ſignificatio animi eorum ea fuit, ſupra quam nihil maius reuerentiuſque fieri poſſet. Non illi perfidum Herodem timuere, non manifeſta trepidatione ciuitatis per- Iſaiæ cap. 60. n. 6.

S. Chryſoſt. Homil. 6. in cap. 2. Matth.

culſi ſunt. Iam mori deſtinabant, vti Chryſoſtomus ait, eius cauſa, quem nondum viderant: Regiſque præſentis minas adſpernabantur, de futuro Rege cogitantes. Timet Herodes armatus in Imperij ſui ſede: ac Magi peregrini, et inermes nihil timent. Dilabente ab oculis ſtella, itinere minimè aberrarunt. Adſpexere antrum: nec ſqualore et vilitate tugurij, ab inſtituto deterrentur. Poſſunt hæc omnia tenaces propoſiti animos arguere: conſtantiaque illa et fortitudo animorum non ab ſuperbia, faſtuque proficiſcebatur, cùm ſumma humilitate præditi eſſent; quam manſuetiſſimam virtutem rarum eſt, vt robur, fortitudinemque ſociam admittat: ideoque expers et ignara ſocietatis huius antiquitas, virtutis illius laude cùm claruerit, ſubmiſſionem animi aſpernata eſt. Ieroſolymam ingrediuntur Magi, nec recepti illic, ſpeluncam adeunt auertuntque illico iter in eam partem. Tu verò pauperum tecta ſæpe dedignaris, neque deſcendis illuc, vt pauperi ſubſidium, hoc eſt, Chriſto tributum feras. Procumbunt etiam, nec adorant tantùm; idque argumento eſt, non humiles ſolum fuiſſe Magos interiore ſenſu, ſed etiam ſigna humilitatis dediſſe: contra quàm plerique conſueuere, quibus ita perſuaſum eſt, virtutem humilitatis animo inſidere, non autem in actione exter-

na

na poſitam eſſe. Atque id ipſum, quod procubuere humi, manifeſtè incuſat iſtos, qui poplite vtroque contingere terram grauantur, vbi prope aram acceſſere. Inter ſigna tamen iſta humilitatis, prudentia elucebat, ita vt altera minimè officeret alteri, ſummaque ſimplicitas cum ſumma prudentiæ laude coniungeretur. Cuius ſanè prudentiæ magnitudinem et lucem video ego non capere oculos meos, tenuemque ad id et infirmã eſſe mihi aciem: illud tamen vtique diſcerno, itineris cauſam ſtatim, ac breuibus expoſuiſſe ipſos, vt quamuis charitate deſiderioque flagrarent, non ideo ſuaſiſſe Herodi, vt ipſe quoque adoraturus agrederetur iter, neque incuſaſſe eum, quòd nato Rege cunctaretur. Sideris verò exortum, et conſilij ſui rationem prudentiſſimè exponunt, et oratione plena veritatis, ac fidei liberant omni ſuſpicione Herodem, vetantque timere quidquã. Principio ſtatim non ſe habendi cupidos profitentur, potiùſque ferre tributa Regi declarant; atque hic Chriſtianæ libertatis exemplum mirificè exhibetur, qua libertate vti nos ad omnia oportet. Rectà petiere Ieroſolymam prudenti conſilio, proptereaquòd non vſpiam alibi, quàm in Regia ciuitate ſedes natalium Regis eſſe deberet. Ita ſi nobis quoque inquirentibus ad ea loca Deum, quo ſpes, et ratio duxerat, non ſuccedit

res,

res, irritique dimittimur, æquo animo ferendum eſt, ſicuti nihil perturbatos eſſe Magos hodie videmus, poſteaquam non reperere Ieroſolymis Regem. Stella duce Ieroſolymam vſque peruenerunt, quæ poſteaquam ſubtracta oculis eſt, prudentiæ ſuæ ductu cætera exequuntur, atque per- Matth. cap. 2. u. 2. *cunctantur;* Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? *Sic nobis quoque faciendum eſt, vt ad monita conſiliaque diuina, prouiſus quoque noſtros, quantum fieri poßit, adiungamus. Hoc lumen, hi clari ſunt, et ſcintillantes oculi Regum, hic Sol animorum illis, hoc eſt, ſumma veraque prudentia. Tendamus omnes ad nati Infantis* S. Chryſoſt. Homil. 8 in Matth. *antrum, inquit Chryſoſtomus, cuius adſpectu pectora Magorum illuſtrata, omni ſublato timore, tranquillitate et pace complentur; quæ pax et tranquillitas, vt mihi, vobiſque ſtabilis perpetuaque adſit, precor.*

DE

DE TIMORE *Herodis.*

CONCIO II.

HABENT etiam venena ſuos agros, ibique ſedulò leguntur interdum: horridique ſpecus, et cubilia ferarum, ſiue in quibus natæ, ſiue quibus innutritæ feræ ſint, adeuntur non ſine voluptate nonnullis. Nos igitur etiam, auditores, peruerſam mentem, animumque Herodis hodie ſpeculabimur, et venenata eius conſilia conquiremus. Ante omnia timor illius occurrit verbis illis manifeſtè expreſſus, quæ ſunt in Euangelio; Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt: & omnis Ieroſolyma cum illo. *Timuit Herodes ob bona fortunæ, et commoda vitæ, quibus affluebat, quibuſve ad inſaniam deditus ille erat. Notum eſt Principibus viris, quemadmodum magnas opes fortunamque illam inſidiæ multæ circunſtent: ac licèt proſpera fortuna, magnæque opes addant animos, ſicuti ſapientes viri cenſuere: tamen vbi timore capti ſunt ijdem illi, multò magis et timent, et ſuſpicantur, quàm cæteri: non enim re parua et tenui periclitantur. Nimiæ opes, ſicuti Chryſoſtomus ait, onera immodica ſunt impoſita nauibus, vnde nautæ naufragium ti-*

Math.cap.2.n.3.

S.Chryſoſt. Homil.6. de Auar.

timet, ſicut et humanis rebus addicti homines, naufragia fortunarum ſuarum timent. Sunt præterea diuitiæ, veluti vela inflata vento, quæ ſi peritè flectantur, nauem in partem proſperè deducunt: eadem, ſi peritia, ſi regimen abſit, cladem exitiumque accerſunt, et nauim ipſam tradunt fluctibus et vndis. Inſuper, cura immodica voluptatum, atque commodorum, quæ apud Herodem excubabat, efficiebat, vt paueret ille vmbras et minima quæque ſuſpicione periculi magnopere perturbaretur. Ita Herodi ſimiles, aſſidua ſuſpicione timoribuſque conflictantur, et minima quaque re turbantur, vt non temerè olim dictum fuit, timidam eſſe ambitionem. Verumenimverò quantas moleſtias, quantaſque miſerias, et lenta mortis ſupplicia ſolent perferre iſti, qui voluptates, et commoda tantopere conſectantur? Ne viliſſimis rebus immiſceris animum, inquit Auguſtinus, ne membra tui corporis eas feceris; nam ſi abſcindi illa vel feriri contingat, maximo doloris ſenſu id fiet.

S. Auguſt. tom. 10. Hom. 37.

Hinc apparet, non eſſe inuidendum illis, qui magnas in hac vita opes obtinent; quoniam de ſtatu eorum et conditione ſummus orator Chryſoſtomus ita ait. Inuides ne ei, quem in ſingulas horas ditiorem fieri vides? Lacrymis potius et miſeratione ille dignus eſt. Ridet interea quiſpiam, et ait,

S.Chryſoſt. Homil. 2. in cap. 1. Epiſt. ad Phil.

la-

lacrymis et miſeratione ſe dignum eſſe, non autem diuitis hominis conditionem illacrymandam. Sanè lacrymis dignus es, non quia pauper, ſed quia infelicem te eſſe putas, cùm minimè ſis infelix. Exequitur inde cætera Chryſoſtomus, atque: Cur tu diuiti inuides? Fortaſſe quia circumſtent ærumnæ illum; quia ſeruitio aſperrimo prematur; quia catenis oneratus ad moloſſi inſtar, argentoque ſuo alligatus ſedeat? Statim appetente nocte, temporeque quietis audit ille tumultus ſuos, anguſtiaſque animi, et mœrorem ſentit, ſolicitudinemque nimiam. Si quid increpuit, arripit fugam. Si quis in latrones incidit, magis angitur, quàm à latronibus ille ſpoliatus. Talia facundè ſuo more diuinus Orator affert, vt probet, miſerrimam eſſe eorum vitam, qui feliciſſimi habentur. Verùm, humanarum ne rerum amor, timorve Herodis maior eſſet odio, quo genus humanum ille proſequebatur, edito in teneros infantes tanta ſæuitia exemplo, dubitari poſſe videtur. Planè ſi timidus ille erat, ſæuus etiam fuit: ſi ſæuus, et timidus, etiam odio ardens. Quiſquis ſæuitia vtitur, quaſi deiectus è poteſtate mentis, cauſas periculorum ſuorum concipit animo vehementiores, quàm res ipſa eſt; ac ſiue præterita ſint, ſiue præſentia pericula, numquam ſano iudicio menteque recta rem intuetur, atque perpendit;

et immodicus ſui amator, odit alios, crudeliterque inſectatur. Sic etiam inter animalia et pecudes, quæ minus pauidæ ſunt, minus crudelitatis, et plus fortitudinis habent; ſi tamen id nomen in vlla bellua poni par eſt. Ideo, non caret magno myſterio et ratione id, quod de Caino ſacræ Litteræ tradunt, qui ſcilicet primus inter mortales ad ſæuitiam tam pauidus, anxiuſque metu fuit, vt nullum ſibi tutum locum reperiret; atque metu eo ſtimulante, petijt à Deo ſignum, quo tectus, et munitus, haud aliter aduersùs pericula foret, quàm ſi tegeretur armis.

Gen.cap.4.u.5.

Si nunc ego, viri nobiles, vtinam hoc nomine digni, probare velim, miniſtros eos ſcelerum, turpes atque flagitioſos homines, quos domi alitis, pecudum inſtar, timidos, non fortes, et ſegnes eſſe, non generoſos, promptum in id habebo exemplum Herodis, dignum nempe nequitia eorum et vilitate. Si iſti crudeles ſunt, nihil animorum habebunt: ſi ſunt animoſi, non poterunt eſſe crudeles. Facilè item demonſtrauero, quiſquis odia implacabilia gerit, quiſquis ve vel præterita, vel imminentia, vel præſentia damna nimis anxiè reputat, et priuatas offenſiones remittere abnuit, hunc et timidum eſſe et crudelem, taliaque capita hominum, velut animalia timentia vmbras, allucinari ſemper, neque vmquam diſcernere

quid

quid verùm, rectumque ſit. Fuerant Herodi et alia venena; quorum alia minùs, alia magis occulta fuere; cuiuſmodi perfidiæ venenum fuit; quam tamen manifeſtè ille prodidit hiſce verbis; Vt & ego veniens adorem eum. *Scilicet ſpecie bonoris, humanitatiſque et religionis impiè ſæuiturus. Eaque perfidia, licèt ipſe ſibi, et ſapientiæ, et potentiæ plurimum aſſumeret, cum ignorantia incredibili coniuncta fuit, dum ſcilicet captare inſidijs ſtatueret recentem hunc diuinum Partum, de quo et Magos, et Principes ſacerdotum, et populi Scribas, et diuinarum Litterarum teſtimonia audierat. Cui autem ille parabat inſidias, auditores? Regi Cæli, Terrarumque; Conditori Orbium cæleſtium; ei qui diurnam Soli lucem impertit, noctibus verò ſidera accendit iuſtaque dimenſione inflammat. Stultitiæ etiam, non ſolùm ignorantiæ extremæ fuit, agitaſſe tale quidquam. Quòd ſi ignotum illi fuerat ex quo patre natus Infans ille eſſet, et quæ diuino conſilio laterent in eo capite miracula: quid opus fuerat tanta arte, tantoque prouiſu, et tanto apparatu conſiliorum, vt exitium Puero ſtrueretur? Quid times, Herodes? Fortiſſimus ſanè Regum es, qui recens nato Infanti manum admouere non audeas, quem neque diuitē, neque nobilem eſſe ſuſpicari potes, cùm Bethlehemi natus*

ille ſit in obſcuriſſima Imperij tui parte et loco. Si tam abiectus iſte partus eſt, quã teſtari videtur vile antrum, et ſtabulum, et præſepe, et deſerta Virgo, parum ipſe circumſpicis imperij tui vires. Sin autem aliqua tibi coniectura data eſt huius diuini Partus, Cælique protegentis eum, quid opus eſt dolis, quid ſanguine effuſo, quid ſæuitia aduersùs innocentes? Propria nota, verumque inſigne ignorantiæ, peccatum eſt. Poteras vtique accepiſſe quid in iſta fortuna faſtigioque regali alteri accidiſſet, qui tenerum Infantem perimere volens, fruſtra in id Regias opes vimque coniunxit. Admiremur Dei magnitudinem vimque immenſam, ſimulque infantis Moyſis caſum memoria reputamus. Regis Pharaonis edicto, ſicuti accepiſtis, omnes Hebraicæ ſtirpis infantes neci deſtinabantur: ſed deſtinauerat aliter decreuerátque Deus, ſalutemque parabat vni, in cuius vel vita, vel morte plus momenti foret olim Ægyptio Imperio, quàm in aliorum omnium vel vita, vel morte. Ideo Pharaoni Maieſtas diuina exercitum ingentem oppoſuit, vim nempe equitum, bellicaque inſtrumenta, et turres in Cælum vſque pertingentes, ſtreuitque mare nauibus, impoſito lectiſſimo milite, quo deinde apparatu moleque belli victoria de Rege contumaci pararetur. At, quæ ſedes huius

Exodi cap. 1. 11. 12. & ſeq.

ius

ius tanti apparatus fuit? Vbinam moles iſtæ conſtiterunt, vbi maritimæ vires? Paruula fiſcella fuit contexta diuinitus, oblita bitumine, expoſita in fluminis vndas; eaque fiſcella Regem hoſtem euertit ac debellauit, deleto ipſius Regno, ipſoque Ægyptij maris vndis demerſo. O Principes, qui non contenti maximis opibus, et potentia veſtra mouetis arma in Deum, quando vnquam tempus erit illud, cùm homines eſſe velitis, et humaniter agere incipiatis! Niſi, terra et cœnum eſſetis, quid faceretis tandem? Niſi in tam breuis vita ſortem nati eſſetis, et niſi hæc ipſa vita communis myſterijs expoſita eſſet, quid tandem faceretis? Nondum ita accepiſtis, dediciſ- Pſal. 32. u. 16.
tiſque, gigantes non fore ſaluos ob virtutem vimque ſuam? Nondum ſcitis, generoſos equos Ibid. u. 17.
non ſemper eodem curſu concitari? Nondum Iob cap. 13. u. 25.
ſcitis, frondes et paleas eſſe vos in conſpectu diuinæ iræ ardentis? Nondum compertum hoc vo- Ibid. c p 9. u. 7.
bis, notumque eſt, Deum eſſe, qui luci imperat, cuius nutu illa abſconditur? Nondum ſcitis, Deũ Ibid. cap. 38. u. 11.
eſſe, cuius imperio franguntur vndæ maris ad ſcopulos, cauteſque intimas, fremènteſque fluctus inhiberi, ac ſiſti, et ſedari eiuſdem nutu? Non- Pſal. 134 u. 7.
dum ſcitis, Deum eſſe, qui ſubducit in Cælum vſque nubes, qui ventorum habenas tenet, fulguratque et tonat? Hæc eſt fœdiſſima facies ſtoli-

di,

di, perfidique et ſauiſſimi Herodis, qui amore, timoreque immodico aſtuans, implacabilia odia geſſit. Hac et venena ſunt, et medicamenta. Neque mihi, cùm apertè ita egerim iam, optandum eſt, vt vos ea, qua dixi, intelligatis: ſed illud ſanè optandum, vt ſanctè rectèque agendo, declaretis apud omnes animi veſtri aſſenſum, fidemque conſtantem ad hac omnia, qua dicta ſunt.

DE TIMORE APVD IEROSOLYMITANOS orto ob noui Regis natalem.

CONCIO III.

Matth. cap. 2. u. 3. AVDIENS autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. *Paululum auri, paruulave gemma, et ſementis exiguum ſape granum incredibili virtute pollet; latetque coacta in anguſtum immenſa vis, qua tentata deinde, et adhibita, pretium efficaciamque ſuam teſtatur. Id fieri ſolet in gemmis, et auro, et ſemente diuini Verbi, quandocumque id explicandum aliqui ſuſcepere. Itaque cùm ego anno ſuperiore hac ipſa verba, qua propoſui, ſatis fusè, copiosève tractarim; cùmque eius loci partem tantummodo vnam ob abditas opes magnitudi-*

nemque

nemque myſterij tractare potuerim, ad alteram nunc partem accedo, hanc item, Deo fauente, explicaturus. Varij motus, variaque immodica perturbationes ſolent eſſe, quæ improborum animos afficiunt, atque occupant; atque inter eas non vltimo loco ponitur timor, cuius origo non virtus aliqua eſt, ſed à ſceleribus et impuritate proficiſcitur. Id ſignificare voluit ſanctus, inclytusque Iob, cum ita diceret; Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. *Horribile ſanè claßicum ſonituſque atrox, cuius vi feritur animus atque turbatur, ita vt nihil ſupra. Hæc tuba eſt, quæ ſola gerere poteſt cum animo noſtro bellum; neque ad id vires alienas ipſa requirit. Terror igitur horrorque iſte ſignificatur illis verbis;* Et omnis Ieroſolyma cum illo; *quæ nunc verba explicare aggrediemur. Cùm Saluator è Cælo deſcendens, carnem humanam aſſumeret, nulla ſanè erat iuſta cauſa timendi, cùm Princeps ille pacis, et Paradiſi largitor minimè ad id veniſſet, vt Regna Mundi occuparet, aut arma in quemquam moueret. Cenſet Chryſoſtomus, peruerſum hunc timorem ab ea malignitate manaſſe, quæ propria Iudæorum erat, quæve ipſos, poſt tot accepta beneficia, impulit, vt carnes Ægyptias importunè deſiderarent. Theophy-*

Iob cap. 15. n. 21.

Iſaiæ cap. 9. n. 6.

S Chryſoſt. Homil. 6 in cap 2. Matth.

di, perfidique et ſæuiſſimi Herodis, qui amore, timoreque immodico æſtuans, implacabilia odia geſſit. Hæc et venena ſunt, et medicamenta. Neque mihi, cùm apertè ita egerim iam, optandum eſt, vt vos ea, quæ dixi, intelligatis: ſed illud ſanè optandum, vt ſanctè rectèque agendo, declaretis apud omnes animi veſtri aſſenſum, fidemque conſtantem ad hæc omnia, quæ dicta ſunt.

DE TIMORE APVD IEROSOLYMITANOS orto ob noui Regis natalem.

CONCIO III.

Matth. cap. 2. n. 3.

AVDIENS autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. *Paululum auri, paruulaue gemma, et ſementis exiguum ſæpe granum incredibili virtute pollet; latetque coacta in anguſtum immenſa vis, quæ tentata deinde, et adhibita, pretium efficaciamque ſuam teſtatur. Id fieri ſolet in gemmis, et auro, et ſemente diuini Verbi, quandocumque id explicandum aliqui ſuſcepere. Itaque cùm ego anno ſuperiore hæc ipſa verba, quæ propoſui, ſatis fusè, copioſève tractarim; cùmque eius loci partem tantummodo vnam ob abditas opes magnitudinemque*

nemque myſterij tractare potuerim, ad alteram nunc partem accedo, hanc item, Deo fauente, explicaturus. Varij motus, variaque immodicæ perturbationes ſolent eſſe, quæ improborum animos afficiunt, atque occupant; atque inter eas non vltimo loco ponitur timor, cuius origo non virtus aliqua eſt, ſed à ſceleribus et impuritate proficiſcitur. Id ſignificare voluit ſanctus, inclytusque Iob, cum ita diceret; Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. *Horribile ſanè claſſicum ſonituſque atrox, cuius vi feritur animus atque turbatur, ita vt nihil ſupra. Hæc tuba eſt, quæ ſola gerere poteſt cum animo noſtro bellum; neque ad id vires alienas ipſa requirit. Terror igitur horrorque iſte ſignificatur illis verbis;* Et omnis Ieroſolyma cum illo; *quæ nunc verba explicare aggrediemur. Cùm Saluator è Cælo deſcendens, carnem humanam aſſumeret, nulla ſanè erat iuſta cauſa timendi, cùm Princeps ille pacis, et Paradiſi largitor minimè ad id veniſſet, vt Regna Mundi occuparet, aut arma in quemquam moueret. Cenſet Chryſoſtomus, peruerſum hunc timorem ab ea malignitate manaſſe, quæ propria Iudæorum erat, quæve ipſos, poſt tot accepta beneficia, impulit, vt carnes Ægyptias importunè deſiderarent. Theophy-*

Iob cap. 15. u. 21.

Iſaię cap. 9. u. 6.

S Chryſoſt. Homil. 6 in cap 2. Matth.

timet, ſicut et humanis rebus addicti homines, naufragia fortunarum ſuarum timent. Sunt prætereà diuitiæ, veluti vela inflata vento, quæ ſi peritè flectantur, nauem in partem proſperè deducunt: eadem, ſi peritia, ſi regimen abſit, cladem exitiumque accerſunt, et nauim ipſam tradunt fluctibus et vndis. Inſuper, cura immodica voluptatum, atque commodorum, quæ apud Herodem excubabat, efficiebat, vt paueret ille vmbras et minima quæque ſuſpicione periculi magnopere perturbaretur. Ita Herodi ſimiles, aſſidua ſuſpicione timoribuſque conflictantur, et minima quaque re turbantur, vt non temerè olim dictum fuit, timidam eſſe ambitionem. Verumenimverò quantas moleſtias, quantaſque miſerias, et lenta mortis ſupplicia ſolent perferre iſti, qui voluptates, et commoda tantopere conſectantur? Ne viliſſimis rebus immiſcueris animum, inquit Auguſtinus, ne membra tui corporis eas feceris; nam ſi abſcindi illa vel feriri contingat, maximo doloris ſenſu id fiet.

S. Auguſt. tom. 10. Hom. 37.

Hinc apparet, non eſſe inuidendum illis, qui magnas in hac vita opes obtinent; quoniam de ſtatu eorum et conditione ſummus orator Chryſoſtomus ita ait. Inuides ne ei, quem in ſingulas horas ditiorem fieri vides? Lacrymis potiùs et miſeratione ille dignus eſt. Ridet interea quiſpiam, et ait, la-

S.Chryſoſt. Homil.2. in cap.1. Epiſt. ad Phil.

lacrymis et miſeratione ſe dignum eſse, non autem diuitis hominis conditionem illacrymandam. Sanè lacrymis dignus es, non quia pauper, ſed quia infelicem te eſſe putas, cùm minimè ſis infelix. Exequitur inde cætera Chryſoſtomus, aitque. Cur tu diuiti inuides? Fortaſse quia circumſtent ærumnæ illum; quia ſeruitio aſperrimo prematur; quia catenis oneratus ad moloſſi inſtar, argentoque ſuo alligatus ſedeat? Statim appetente nocte, temporeque quietis audit ille tumultus ſuos, anguſtiaſque animi, et mœrorem ſentit, ſolicitudinemque nimiam. Si quid increpuit, arripit fugam. Si quis in latrones incidit, magis angitur, quàm à latronibus ille ſpoliatus. Talia facundè ſuo more diuinus Orator affert, vt probet, miſerrimam eſſe eorum vitam, qui feliciſſimi habentur. Verùm, humanarum ne rerum amor, timorve Herodis maior eſſet odio, quo genus humanum ille proſequebatur, edito in teneros infantes tanta ſæuitiæ exemplo, dubitari poſſe videtur. Planè ſi timidus ille erat, ſæuus etiam fuit: ſi ſæuus, et timidus, etiam odio ardens. Quiſquis ſæuitia vtitur, quaſi deiectus è poteſtate mentis, cauſas periculorum ſuorum concipit animo vehementiores, quàm res ipſa eſt; ac ſiue præterita ſint, ſiue præſentia pericula, numquam ſano iudicio menteque recta rem intuetur, atque perpendit;

Ll et

et immodicus ſui amator, odit alios, crudeliter-que inſectatur. Sic etiam inter animalia et pecudes, quæ minus pauidæ ſunt, minus crudelitatis, et plus fortitudinis habent; ſi tamen id nomen in vlla bellua poni par eſt. Ideo, non caret magno myſterio et ratione id, quod de Caino ſacræ Litteræ tradunt, qui ſcilicet primus inter mortales ad ſæuitiam tam pauidus, anxiuſque metu fuit, vt nullum ſibi tutum locum reperiret; atque metu eo ſtimulante, petijt à Deo ſignum, quo tectus, et munitus, haud aliter aduersùs pericula foret, quàm ſi tegeretur armis.

Gen.cap.4.u.5.

Si nunc ego, viri nobiles, vtinam hoc nomine digni, probare velim, miniſtros eos ſcelerum, turpes atque flagitioſos homines, quos domi alitis, pecudum inſtar, timidos, non fortes, et ſegnes eſſe, non generoſos, promptum in id habebo exemplum Herodis, dignum nempe nequitia eorum et vilitate. Si iſti crudeles ſunt, nihil animorum habebunt: ſi ſunt animoſi, non poterunt eſſe crudeles. Facilè item demonſtrauero, quiſquis odia implacabilia gerit, quiſquisve vel præterita, vel imminentia, vel præſentia damna nimis anxiè reputat, et priuatas offenſiones remittere abnuit, hunc et timidum eſſe et crudelem, taliaque capita hominum, velut animalia timentia vmbras, allucinari ſemper, neque vmquam diſcernere

quid

quid verùm, rectumque ſit. Fuerant Herodi et alia venena, quorum alia minùs, alia magis occulta fuere; cuiuſmodi perfidiæ venenum fuit; quam tamen manifeſtè ille prodidit hiſce verbis; Vt & ego veniens adorem eum. *Scilicet ſpecie honoris, humanitatiſque et religionis impiè ſæuiturus. Eaque perfidia, licèt ipſe ſibi, et ſapientiæ, et potentiæ plurimum aſſumeret, cum ignorantia incredibili coniuncta fuit, dum ſcilicet captare inſidijs ſtatueret recentem hunc diuinum Partum, de quo et Magos, et Principes ſacerdotum, et populi Scribas, et diuinarum Litterarum teſtimonia audierat. Cui autem ille parabat inſidias, auditores? Regi Cæli, Terrarumque; Conditori Orbium cæleſtium; ei qui diurnam Soli lucem impertit, noctibus verò ſidera accendit iuſtaque dimenſione inflammat. Stultitia etiam, non ſolùm ignorantia extrema fuit, agitaſſe tale quidquam. Quòd ſi ignotum illi fuerat ex quo patre natus Infans ille eſſet, et quæ diuino conſilio laterent in eo capite miracula: quid opus fuerat tanta arte, tantoque prouiſu, et tanto apparatu conſiliorum, vt exitium Puero ſtrueretur? Quid times, Herodes? Fortiſſimus ſanè Regum es, qui recens nato Infanti manum admouere non audeas, quem neque diuitē, neque nobilem eſſe ſuſpicari potes, cùm Bethlehemi natus*

ille ſit in obſcuriſſima Imperij tui parte et loco. Si tam abiectus iſte partus eſt, quã teſtari videtur vile antrum, et ſtabulum, et præſepe, et deſerta Virgo, parum ipſe circumſpicis imperij tui vires. Sin autem aliqua tibi coniectura data eſt huius diuini Partus, Cælique protegentis eum, quid opus eſt dolis, quid ſanguine effuſo, quid ſæuitia aduersùs innocentes? Propria nota, verumque inſigne ignorantiæ, peccatum eſt. Poteras vtique accepiſſe quid in iſta fortuna faſtigioque regali alteri accidiſſet, qui tenerum Infantem perimere volens, fruſtra in id Regias opes vimque coniunxit. Admiremur Dei magnitudinem vimque immenſam, ſimulque infan-
Exodi cap.1.11.12.& ſeq. *tis Moyſis caſum memoriæ reputamus. Regis Pharaonis edicto, ſicuti accepiſtis, omnes Hebraicæ ſtirpis infantes neci deſtinabantur: ſed deſtinauerat aliter decreueratque Deus; ſalutemque parabat vni, in cuius vel vita, vel morte plus momenti foret olim Ægyptio Imperio, quàm in aliorum omnium vel vita, vel morte. Ideo Pharaoni Maieſtas diuina exercitum ingentem oppoſuit, vim nempe equitum, bellicaque inſtrumenta, et turres in Cælum vſque pertingentes, ſtreuitque mare nauibus, impoſito lectiſſimo milite, quo deinde apparatu moleque belli victoria de Rege contumaci pararetur. At, quæ ſedes huius*

ius tanti apparatus fuit? Vbinam moles iſtæ conſtiterunt, vbi maritimæ vires? Paruula fiſcella fuit contexta diuinitus, oblita bitumine, expoſita in fluminis vndas; eaque fiſcella Regem hoſtem euertit ac debellauit, deleto ipſius Regno, ipſoque Ægyptij maris vndis demerſo. O Principes, qui non contenti maximis opibus, et potentia veſtra mouetis arma in Deum, quando vnquam tempus erit illud, cùm homines eſſe velitis, et humaniter agere incipiatis! Niſi, terra et cænum eſſetis, quid faceretis tandem? Niſi in tam breuis vita ſortem nati eſſetis, et niſi hæc ipſa vita communis myſterijs expoſita eſſet, quid tandem faceretis? Nondum ita accepiſtis, dedicíſtiſque, gigantes non fore ſaluos ob virtutem vimque ſuam? Nondum ſcitis, generoſos equos non ſemper eodem curſu concitari? Nondum ſcitis, frondes et paleas eſſe vos in conſpectu diuinæ iræ ardentis? Nondum compertum hoc vobis, notumque eſt, Deum eſſe, qui luci imperat, cuius nutu illa abſconditur? Nondum ſcitis, Deū eſſe, cuius imperio franguntur vndæ maris ad ſcopulos, cauteſque intimas, frementeſque fluctus inhiberi, ac ſiſti, et ſedari eiuſdem nutu? Nondum ſcitis, Deum eſſe, qui ſubducit in Cælum vſque nubes, qui ventorum habenas tenet, fulguratque et tonat? Hæc eſt fœdiſſima facies ſtoli-

Pſal. 32. u. 16.

Ibid. u. 17.

Iob cap. 13. u. 25.

Ibid. c p 9. u. 7.

Ibid. cap. 38. u. 11.

Pſal. 134 u. 7.

di,

di, perfidique et ſæuiſſimi Herodis, qui amore, timoreque immodico æſtuans, implacabilia odia geſſit. Hæc et venena ſunt, et medicamenta. Neque mihi, cùm apertè ita egerim iam, optandum eſt, vt vos ea, quæ dixi, intelligatis: ſed illud ſanè optandum, vt ſanctè rectèque agendo, declaretis apud omnes animi veſtri aſſenſum, fidemque conſtantem ad hæc omnia, quæ dicta ſunt.

DE TIMORE APVD IEROSOLYMITANOS orto ob noui Regis natalem.

CONCIO III.

Matth. cap. 2. n. 3.

AVDIENS autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. *Paululum auri, paruulave gemma, et ſementis exiguum ſæpe granum incredibili virtute pollet; latetque coacta in anguſtum immenſa vis, quæ tentata deinde, et adhibita, pretium efficaciamque ſuam teſtatur. Id fieri ſolet in gemmis, et auro, et ſemente diuini Verbi, quandocumque id explicandum aliqui ſuſcepere. Itaque cùm ego anno ſuperiore hæc ipſa verba, quæ propoſui, ſatis fusè, copioſève tractarim; cùmque eius loci partem tantummodo vnam ob abditas opes magnitudi-*

nemque

nemque myſterij tractare potuerim, ad alteram nunc partem accedo, hanc item, Deo fauente, explicaturus. Varij motus, variaque immodica perturbationes ſolent eſſe, quæ improborum animos afficiunt, atque occupant; atque inter eas non vltimo loco ponitur timor, cuius origo non virtus aliqua eſt, ſed à ſceleribus et impuritate proficiſcitur. Id ſignificare voluit ſanctus, inclytusque Iob, cum ita diceret; Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. *Horribile ſanè claßicum ſonituſque atrox, cuius vi feritur animus atque turbatur, ita vt nihil ſupra. Hac tuba eſt, quæ ſola gerere poteſt cum animo noſtro bellum; neque ad id vires alienas ipſa requirit. Terror igitur horrorque iſte ſignificatur illis verbis;* Et omnis Ieroſolyma cum illo; *quæ nunc verba explicare aggrediemur. Cùm Saluator è Cælo deſcendens, carnem humanam aſſumeret, nulla ſanè erat iuſta cauſa timendi, cùm Princeps ille pacis, et Paradiſi largitor minimè ad id veniſſet, vt Regna Mundi occuparet, aut arma in quemquam moueret. Cenſet Chryſoſtomus, peruerſum hunc timorem ab ea malignitate manaſſe, quæ propria Iudæorum erat, quæve ipſos, poſt tot accepta beneficia, impulit, vt carnes Ægyptias importunè deſiderarent. Theophy-*

Iob cap. 15. u. 21.

Iſaiæ cap. 9. u. 6.

S Chryſoſt. Homil. 6 in cap 2. Matth.

Theophyl enarrat. in cap. 2. Matth.

phylactus item nullam aliam explicare poſſe cauſam videtur, cùm exortus ille diuinus nihil aliud, quàm afferre lætitiam Mundo potuiſſet, incertuſque ſententiæ rem ita concludit, vt dicat, vecordem eſſe malignitatem. Cæterùm, ſi rectè conſideremus, reperiemus, timorem hunc, vanum licet, ſuas tamen habuiſſe cauſas, originemque nonnullam. Prima fuit cauſa timendi, propterea quòd infelices illi Ieroſolymitani viderent, ab nati Regis ſuſpicione mala ingentia imminere ſibi ob ſæuitiam Herodis, amoremque regnandi immodicum. Verùm, et ſtulta opinio fuit, cùm ſimulatam Herodis pacem pluris æſtimarent, quàm pacis Mißiæ veram, quæ afflictis Ieroſolymitanorum rebus tot ante ſæcula promiſſa fuerat. Neque dicendum hoc loco eſt, incertum fuiſſe, quiſnam Rex ille eſſet, de quo Magi tam ſolicitè percunctarentur. Nam auditis Magis, illico Herodes quæſiuit à Principibus ſacerdotum et Scribis, vbinam naſci Chriſtum exiſtimarent. Atque iuſta hoc loco dubitatio oriri poſſe videtur, an prima verba Magorum clarius, expreßiuſque nonnihil habuerint, quàm quomodo ab Euangeliſta narrata res eſt. Credibile enim eſt, ipſos, inter cætera, illud quoque ſignificaſſe, de quo Rege loquerentur; inſuperque dubitari poſſet, an præter ſtellæ miraculum, inditia quoque alia

ſiue

ſiue teſtimonia Vatum notata haberent. Et turbarum ille timor importunus ab alia quoque mala origine extitiſſe videri poteſt; nempe ab labe, vitioque adulationis, cuius velo, ſpecieque timoris tegere potuerunt odia occulta atque inteſtina aduerſus Herodem, cuius tyrannide premebantur. Turba illa, tamquam vmbra, quæ ſequitur corpus, motus omnes illius ſequi et exprimere motibus ſuis videbantur, et eum quoque præferre timorem, quem corpus ipſum præferebat. Sed quàm dociles ſumus ad ea percipienda, atque addiſcenda, quæ ſaluti noſtræ aduerſantur, cùm hebetes item et tardi ſimus ad ea, quibus ad rectè agendum induci atque impelli mens noſtra poteſt? Praua exempla præſertimque dominantium, vbi prauo animo accepta ſunt, referunt ſimilitudine ac natura voces eas, quæ repercuſſu aeris multiplicatæ referuntur, aliaque alias gignunt, iſque ſonus echo appellatur. Namque exempla illa, ceu voces per noſtri pectoris receſſus ſinuſque reſonando, multiplices formas, et figuras reddunt, augentque priori formæ ſimillimas, cùm interim præclara exempla, morumque laudabilium aſpectus ſterilis, inutiliſque ad animi noſtri contumaciam fiat, neque ad ſimilitudinem eā formare ſe quiſquam velit. Vocaui, inquit Iſaias, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non Iſaiæ cap. 65. n. 12.

Prou. cap. 1. u. 24. audiſtis : *Salomon item* ; Extendi manum meã, & non fuit qui aſpiceret . *Itaque licet Saluator triginta trium annorum ſpatio , quibus inter mortales egit , cuncta impleſſet luce , beneficijſque ſuis , multaque miracula edidiſſet ; quàm pauci tamen fuere , qui diſciplinam et monita illius ſequeretur ? Non planè certi , ac definiti quidquam extat de numero iſtorum : illud vtique certum, & manifeſtumque eſt , quingentos tantummodo, neque plures fuiſſe , quibus apparuit , poſtquam rediuiuus è tumulo prodierat . Ac ſi quis dicat , maiorem fuiſſe numerum eorum , qui participes fuere viſionum ; de quibus Apoſtolus agit , dico ego, primùm fidelium cætum intra centum, et viginti capita ſtetiſſe , poſtquam Saluator ipſe redierat in Cœlum : indeque pertinacia populi illius coniectari poteſt ; qui deinde populus grauiſſimas pœnas meritò ſuſtinuit. Ægrè igitur, atque difficulter animi noſtri tarditas , et durities ad virtutem impellitur : contra verò in malum et prauum tota repente ciuitas prompta eſt , vt ad nutum et voluntatem vnius ſe conformet . Et oculis , et manu , et pernicitate pedum arripitur vitiorum iter ; miraque praua conſuetudinis facilitas eſt , mirèque ſequax ea flectitur in omnes partes . Ideo miſeri infeliceſque illi habendi ſunt, qui noua et inuſitata in mores inducunt, qui noua-*

1. ad Corinth. cap. 15. u. 6.

Act. cap. 1. u. 15.

uarum rerum auctores, præter morem, naturamque communem, ſuum ipſi habitum exuunt, alienoſque habitus incredibili alacritate aſſumunt. Atque in eo fermè tale quidpiam fit, quod in popularis morbi contagione accidere ſolere compertum eſt, vt nimirum peſſimè affecta corpora prima ſint ad tabem illam, peſtemque recipiendam: contra, cæteri reſiſtant diu fugiantque venenum. Mores, conſuetudineſque praua, tamquam peſtis, tentant priùs inficiuntque ægros animos, et pectora imbecilla: cæteri vel ſuperant, vel tardè ſuccumbunt. Inde manifeſtum fit, deteriores et nequiores ſemper eſſe eos, qui prauiſſima quæque prompti amplectuntur: eaque conſuetudinum peſtis vbi ſemel incubuit, mirum eſt, quàm difficulter tolli ac depelli queat, duritie ſcilicet pectoris humani ad id adamantis potiùs, quàm mollitie ac teneritudine carnis. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. *Voluptatum et luxus altaria fixa loco ſtant, eaque ignibus, et ture perpetuo adolentur ab ijs, qui Dæmoni ſacrificare decreuerunt: at pia inſtituta operaque pietatis ſtatim obliuioni traduntur. O diuinam legem, cuius tanta magnitudo eſt, quamve mortales facilè ita temerèque contemnunt! Intuere*

Ierem. cap. 17. u. 1.

maris arenas, ait Ieremias: indeque quid tibi faciendum ſit, agnoſces. Ea vi diuina confirmata vincunt Oceani furorem, qui numquam ſtatutos Ierem. cap. 5. u. 22. *à Deo fines ſupergreditur*. Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud: populo autem huic factum eſt cor incredulũ, & exaſperans, receſſerunt & abierunt. *Iraſcitur littori pelagus, fremitque et vim ſuam intentat: ſed vi diuina ſimul inhibito impetu, tamquam recordatione, et reuerentia Conditoris ſui, videtur ſubmittere vim eam terris, abijcique vltro et frangi. Tu verò, qui cinis es et puluis, abſque vllo reſpectu violas Numen. Non vltra mare appellandum erit ſæuum, et ſurdum, mobileque et infidum. Hæc namque nomina tua mobilitatis ſunt, in cuius tandem aliquando ſinum diſcendere, atque admitti par eſſet diuinæ Gratiæ tranquillas auras, ne ſemper horribiles vndæ ſcelerum ibi habitarent.*

QVO-

QVOMODO HERODES prauè ſimul, probèque egerit.

CONCIO IV.

QVIS crederet ab improbo vno homine, à tyranno, et à tyranno Herode vllum rectè agendi exemplum poſſe deſumi? Id tamen ita eſt, Mediolanenſes. Exempla piorum hominum, velut cibi ſunt, quorum ſuccus diuiſus in venas alit vitam, cui et nos ſimiles efficimur, et ipſe nobis aſſimilatur, indeque maturus hic, quo viuimus, vigemuſque, ſanguis manat. Talia ſunt exempla proborum, piorumque hominum. At impiorum exempla longè aliter ſe habent, quæ nec in mores noſtros conuerti debent, nec nos ad ſimilitudinem formamque eorum conuerti par eſt. Hæc igitur ſunt velut medicamenta infeſta naturæ, et aliena ſtomacho, et ſæpe venena; quæ tamen ſi arte nonnulla condita ſint, aſſumunt eam vim atque virtutem, quæ ipſa ſalutaris eſſe poſſit. Id hodie fit, conquirente Herode Chriſtum, atque expetente ad necem. Peſtiferum exemplum, et res plena veneni eſt inquiſitio iſta, quæ tamen ipſa et arte, et ſedulitate fit, vt nobis rectè ſanctèque inquirendi eiuſdem præbere exemplum poſſit. De artibus huiuſmodi, quæ coniunctam damno vtilita-

litatem habent, ego hodie acturus ſum in ea
Matth cap. 2. 4. *Euangeliſtæ verba*; Et congregans omnes principes ſacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. *Quærit Herodes hodie Saluatorem, idque peſſimo conſilio, deſtinans eum neci ſcilicet, cogitanſque ſua omnia in diuinum Infantem. An igitur nos quoque ita affectos eſſe oportebit? Minimè ſanè: potiuſque ſanctè et prudenter exquirendi eius hinc ſumere exemplum debemus. Conſilio fineque diuerſo, ſed ratione diligentiaque eadem inquiremus. Turpe ſanè eſſet, auditores, ſi diligentia et ſedulitate, et prouiſu ab Herode vinceremur. Magnus Ieroſolymæ metus inceſſerat ob rumorem de Rege nato vulgatum: nec tamen ideo legimus, populum, plebemque minutam, quæ niſi ab alijs impellatur, tranquillo mari ſimilis eſt, ad id eſſe commotam. Herodes, quia rem ſuam agi videbat, primus omnium miſcere conſilia aliqua incipit; nec alieno conſilio ſtimuliſue alienis incitandus fuit, vt ſapientiores exciret, atque congregaret. Id ita factum eſt non leuibus de cauſis, ſed quia ad Imperij ſui ſtatum res ea pertinebat. Atque nimius amor et cura chariſſimarum rerum, veluti ſupremus orbis, rapido, et violento curſu concitat, atque circumagit orbes alios, hoc eſt negotia, reſque cunctas. Quiſquis*

amore,

amore, curaque iſta regitur, præditus videtur lumine eximio, atque de rebus ſuis ſubtiliſſimè raciocinatur, atque Angelorum more, hoc eſt celeritate incredibili, momento vno concipit ea, quæ præmittuntur, concluditque et antecedentia, conſequentiaque omnia colligit, ac videt. Idem verò ſtatim vbi ventus iſte concidit, quo rapiebatur, atque impellebatur, languet hæretque et iacet velut expers ſcientiæ facultatiſque omnis. Hinc igitur intelligi poteſt cuiuſmodi mores Herodis fuerint, quodve ingenium eius, et quæ animi conditio mores iſtos dederit atque attulerit. Timet, ſperat, dolet, oditque tempore, et momento eodem. Timet futurum Regem: ſperat inſidijs eum captari poſſe: dolet, mœretque turbatis repente rebus, oditque illum, quem ad faſtigium Regni peruenire poſſe putat. Verùm quis ſapientiſſimos ſummoſque populi Ieroſolymitani congregare voluit? Herodes falſa, et damnata religione imbutus. Sed credebat ne ille, an verò non credebat? Si credebat (ita namque loquitur auctor operis imperfecti in Matthæum) quomodo tandem ſperare is poteſt æterna conſilia diuina ceſſura conſilijs ſuis, miſeriaque et tarditati mentis humanæ? Si verum Iudæorum Regem non credebat eſſe hunc, quæ tandem ratio et cauſa timoris ab Infante vno, et pauper- Auct. imperfect. oper. Homil. 2. in cap. 2. Matth.

tima matris partu? Hac tamen vtique conſuetudo et natura multorum eſt, qui credunt, ſiue non credunt; volunt, ſiue nolunt; pluris, minoriſve rem vnamquamque faciunt, pro vt expedire ſibi cenſuere: pietatemque et charitatis ardorem, et fortitudinem, et magnos animos, et ſpem, et metum non ab ratione vlla, ſed ab vtilitatibus tantummodo ſuis deſumunt. Rarum eſt, vt bonus ſemper probuſque aliquis eſſe perſeueret, vt qui ratione inductus talis eſſe velit, fidemque et pietatem omni et tempore, et loco amplectatur, neque tunc tantummodo, cum rationes ipſius, et vtilitates ita tulerunt. Qui tales ſunt, eorum probitas, atque virtus ſimillima mari eſt, quod alicubi ſine fine profundum, alicubi aquam vix ad palmi altitudinem prabet. Ita Herodes nulla certa ratione timet, creditve, ſiue non credit, ſed amore ſui ipſius impellitur, agiturque in motus hoſce improuidos atque temerarios. Illud quoque conſiderandum eſt, Herodem non paucos quoſdam, neque plures conuocaſſe deliberandi cauſa, ſed vniuerſos, neque ſeparatim eos, ſed cœtu concioneque vna, ita vt magna cuiuſdam pompa iudicij fieret, ſicuti Chryſoſtomus loquitur; Facta eſt, magna cuiuſdam pompa iudicij. *Tu verò vt Christum inquiras, peccata confiteris vni, qui deterrimus imperitiſſimuſque*

S. Chryſoſt. Homil. 7. in cap. 2. Matth.

muſque omnium ſit, ſiue dum de re aliqua deliberas, numquam deſinis hunc illumve percunctari, donec eum nanciſcare, qui arbitratu tuo loquatur. Conuoca conſiliarios illos: excipe ſententias eorum: confer capita ſingula, tuncque meliori, et maiori parti credere poteris. Numquam ne tibi venit in mentem, quemadmodum ſuſcepturus iter Tobias, duce Angelo diuinitus vti potuerit? Angelum credere fas eſt et monſtraſſe iter, et aduersùs pericula, monitis, atque hortamentis eum inſtruxiſſe. Fortaſſe mitis ille, diuinuſque comes ita Tobiam alloquebatur. Nunc celeriore gradu opus eſt, appetente iam nocte: hoc loco ſubſiſtendum: hìc de celeritate remittendum aliquid: ibi attentè prouidendum, ne cadas: en hoſpitio appropinquamus, paululumque via reſtat. Ita moleſtia itineris leniebantur, infirmuſque adoleſcens à Dei Angelo ita ſuſtentabatur. Cur non igitur Angelum tu quoque quæris, nempe Confeſſarium, qui tibi viam in Cælum monſtret, eodemque munere fungatur, qui pericula à te propulſet, qui timenti ſolatia, deſperanti robur, ſuggerat, qui animi tui motus temperet, ſiue accendat, prout expedierit, qui demum tibi ductor ad ſalutem eſſe poſſit, et velit? Vt verò cætera, quemadmodum inſtituimus, interpretari pergam, res ita narratur, conuocaſſe Herodem principes Tob. cap. 5.

Nn ſa-

ſacerdotum et populi Scribas, hoc eſt Eccleſiaſticum ſimul, et ciuile regimen, quod vtrumque Romanæ poteſtatis Vicarius ille neceſſarium duxerat, vt Saluatorem Mundi inquireret. Non igitur profana ciuiliſque poteſtas abſque auctoritate eccleſiaſtica ſufficere poterit ad id, vt Chriſtum, ſedemque eius inueſtiges. Poſteaquam illi omnes conuenere, percunctabatur maligno et ſimulato ſermone Herodes, vbinam Chriſtus naſceretur; quæ ſanè percunctatio digna principe viro fuit, licèt animo peruerſo tunc fieret. Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis. *Non ſemper aurum, non gemmæ, nō imperia, prouinciæque nouæ quærantur, Reges, dominique terrarum: ſed cogitet vnuſquiſque, quomodo tueri religionem poſſit, quomodo nutrienda ea alendaque et tuenda ſit, ne quis, aut impedirè naſcentem, aut opprimere natam poſſit, non modò palam, ſed ne artibus quidem occultis. Præterea, ſuperbus iſte ſuæ vtilitatis ſuarumque rerum cura deſcendit illuc, vt ea, quæ neſcit, cognoſcat, diſcatque ab alijs; idque munus non delegat alteri, ſed ipſe exequitur: tu verò ſalutis tuæ cauſa numquam deſines erubeſcere, ſi quid ab altero diſcendum, audiendumque ſit; numquam ab vllo quæres, vbi nam Chriſtus naſcatur, qui finis vniuerſæ ſapientiæ*

Lucæ cap. 12. n. 31.

tiæ

tia eſſe debet. Omnis ſapientia mortalium vana eſt, et inane ciuilis prudentia nomen vſurpas, ſi non hoc aſſequeris, vt iſta tibi nota ſint, quæ Christi natalium ſedes, vbi patibulum ei, neciſque locus fuerit, vbi etiam triumphata morte rediuiuus emerſerit. Sed nunc quid vltra dicendum nobis eſt, auditores? Iam nos vidimus quemadmodum exemplum Herodis rectum idem, perniciosumque fuerit: exquiſiuiſſe conſilium, ſententiamque alienam eum, perdita licèt et praua mente; et vim vtriuſque poteſtatis adhibuiſſe, factamque ab eo in vtraque parte percunctationem, qualem à viro Principe fieri conueniens fuerat, quæve omnis humana ſapientia ſummam includit, atque amplectitur. Vt huius noſtræ concionis fructus, et ratio conſtet, nihil vltra reliquum eſt, quàm vt facili, breuique compendio intelligamus hoc, vbi natus infans Chriſtus ſit, et vbinam eum reperire poſſimus. Etiam nihil monſtrante Iudæo, reperiemus in obſcuri caſtelli obſcura parte, humillimoque loco latitare Chriſtum, mendicum ſcilicet inter mendicos, et omnibus ferè ignotum. O mendicos miſeroſque mortales, quibus mendicitas, et ſolitudo hæc ignota eſt! Heu miſeros infeliceſque nos, ſi miſerias atque calamitates iſtas Chriſti naſcentis non contemplamur atque conſideramus. Ideo nam-

Nn 2 que

S. Bernard. Serm. 3. in die Nat. *que inclyta pietate Bernardus ait ;* Aut iſte fallitur, aut Mundus errat : ſed diuinam falli impoſſibile eſt ſapientiam . *Quid inde ſequatur, ſubijcere facillimum eſt . Miſeri igitur, vecordeſque erimus , niſi à priſtinis noſtris moribus , et conſuetudine vitæ recedentes , noſtras ipſi culpas deteſtemur, eaſque corrigere ſtudeamus. Id à vobis , auditores , antrum , et præſepe Bethlehemi, Chriſtique paupertas , et ſqualor hodiernus diuina voce efflagitat .*

DE ADORATIONE Magorum.

CONCIO V.

Matth. cap. 2. v. 11. ET procidentes adorauerunt eum . *Aptiſſimum ſanè argumentum , niſi ego fallor , et concionis materies maximè omnium accommodata tempori, locoque huic , et myſterio , quod hodie celebratur . Nihil magis conuenit religioni ſanctitatique templorum , quàm adoratio . Nihil huius momenti cæremonijs aptius eſt , quàm munera , et dona , et ſacra . Nihil huius myſterij celebritati tam aptum, atque accommodatum , quàm Regiæ maieſtatis honores , Imperiorumque humanorum obſequia et plena omnia ſubmiſſionis, ac reuerentia*

tiæ erga natum Saluatorem. Rectè igitur optimè morati Principes ſtatim vbi Cæleſtem hanc aulam intrauere, procubuere humi, Chriſtumque adorarunt; Et procidentes adorauerunt eum. *Ego verò primum omnium explicaturus ſum, adoratio illa Magorum corporis motu facta quales animi motus ſignificare poſſit; ſimulque tractabo, quænam documenta, et monita ad vitæ noſtræ emendationem nobis præbere poſſit totum iſtud, quod Magi reuerenter et ſubmiſſè fecere erga diuinum Infantem. Sanè adoratio iſta eiuſmodi fuit, vt nihil fieri poſſet illuſtrius, quo vim atque maieſtatem, potentiamque Infantis teſtarentur. Tunc, ſicut Cyprianus, et Baſilius aiunt,* S. Cypr. de Stella, & Magis. *agnouere Magi et hominem, et Deum eſſe, qui* S.Baſil.de Hum. Chriſti gen. *natus erat, et poſtea moriturum. Affirmatque Sanctus Auguſtinus momento eodem illuſtrata* S. Auguſt. Hom. 1. de Epiph. *diuinitus fuiſſe pectora Magorum, vt myſteriũ Trinitatis agnoſcerent. Ea adoratio tanti fuit, vt per eam, donaque allata, cultus omnis Idolorum euerteretur; eaque Gregorij Nazianzeni* S.Greg. Nazianz. Orat. 1. Apolog. *ſententia fuit. Quot aræ ſtabant inanibus Dijs, quantis eæ muneribus cumulabantur, quàm magnifica templa poſita fuere illis? Hæc omnia ſtrauit, ac deleuit, atque conculcauit vnica Magorum adoratio, dum corpora ipſi ſua humi proſtrauere. Ita firmiſſima eorum, et altiſſima fides* de-

declarata eſt; quæ quidem illuſtrior fuit, quò magis imbecilla, et obſcura erant ea, quibus ad credendum excitari poſſent, et rurſus, quò plura, et maiora fuere, quibus tardari, et impediri fides ipſa poſſet: quæ tamen omnia ingenti, magnoque animo ipſi ſuperauerunt. Res obiectæ ſenſibus, quibus ad credendum excitari poſſent, ſicuti Cyprianus, et Baſilius aiunt, fuere ſiderum motus optimè noti ipſis; qua ſiderali ſcientia cognouere, ſtellam illam exortam eſſe diuinitùs, et diuinæ magnæque rei prænuntiam agnouere.

Num. cap.23. *Potuerant item animos eorum excitare Balaami nota vaticinia ipſis, quibus exortus ille diuinus denuntiabatur. Cæterùm, quàm multa Principum illorum animos abducere, ac deterrere potuerunt ab eo, quod parabant, quodque ſuſceptum habebant? Statim vbi Iudæorum intrauere fines, mirum de nouo Rege ſilentium obijcitur, et verbum de eo nullum erat, temporeque etiam eodem, ſtellæ fauor euanuit, primoque ſtatim adſpectu nihil aliud videre potuerunt, quàm paupertatem Matris, ſolitudinemque Infantis ipſius, cuius neque miracula vlla cernebantur, neque facies ſplendore, ſpecieve alia maior humana erat, neque repræſentabat omnino aliud, quàm humano ritu natum hominem. Ipſi tamen inuicto aduerſus difficultates omnes animo, conſtantia, et*

fi-

ſidei ſuæ gradum obtinuere, altèque de veriſſima religione ſentientes, conculcauere ſuperſtitionum inania, et à patria ſua, Maiorumque veteribus inſtitutis deſciuere, quia praua erant. Et hactenus quidem de occulto animorum habitu, quem Reges iſti ad Chriſti incunabula attulere, egimus: nunc cætera, quæ magis in aperto erunt, inſpici tractarique oportet, vt nimirum ab ſenſibus conſiliiſque eorum aliquid ad animi noſtri diſciplinam ſumamus. Primum omnium admirabili alacritate exequuntur quidquid in ipſorum manu et poteſtate erat. Ex Media, ſiue ex Perſide, ſiue ex Arabia, ſiue ex Æthyopia profecti, confecere longiſſimum iter: varia pretioſa dona ſuis ipſi manibus obtulere: neque intima adoratione contenti, ſignificationes quoque extrinſecas honoris, et reuerentiæ addiderunt, ita vt obliti maieſtatis faſtigiique Regum, ſternerent corpora humi, et humilitatis atque ſubmiſſionis argumenta omnia longè ſupergrederentur. Scilicet quominus talem nato Regi cultum exhiberent, nōuum ſcilicet, et ab nullo Regum antea vſurpatū, tardare eos, ac detinere non potuit pars vlla prudentiæ fallacis, quæ apud eos, qui animos ingentes gerunt, vel maximè pollet. Si verum apertè ſimpliciterque fatendum eſt, non ſolùm reprehendenda, ſed etiam abſurda, et ſtolida conſue-

tudo

tudo eſt illorum, qui cùm de religione agatur, iactitant imperij, dominationiſque momenta, et cauſas, ſiue honeſtas in frontem et rectas, ſiue iniuſtas, atque fallaces. Hac ratio ſtatus, imperijque cauſa, ſi hoc loco definienda ſit, nihil aliud videri poteſt, quàm lex et norma, et regula quadam inuenta hominum aſtu ad homines alios imperio, ac dominatione continendos. Ea ſi praua eſt, vtilitateſque tantummodo regentium ſpectat, falſa rationis vocabulum habet, quam regnandi tantummodo cupiditas induxit, atque excogitauit. Sin autem commune bonum ſimul, et Principis ipſius ſalutem ſpectat, pro vera, et vtili admittenda erit. Iam igitur prauas regnandi artes turpiter, laudabiliterque rectas adhibere aliquis poterit in earum rerum adminiſtratione, quæ vel ad ipſum, vel ad ſubiectos pertinebunt: vbi verò ſacra et diuina agantur, talibus immiſcuiſſe eiuſmodi artes, profanum ſacrilegumque erit. Philoſophorum verbum eſt; Finiti ad infinitum nulla proportio. *Quid inermis tua dextera aduersùs vim, maieſtatemque tantam? Quid infirma acies oculorum aduersùs æternam lucem? Quis conſilio, quis arti, quis ingenio locus eſſe poteſt aduersùs eum, qui conſilia tua ſenſuſque omnes anteuertit ſemper, et à quo manauit quidquid artium, et ingeniorum inter homines pollet?*

polleſt? Vide igitur, et conſidera, quemadmodum ſapientiſſimi Magi ſtatim vt in Dei conſpectum venere, abruptis omnibus humanæ prudentiæ vinculis; effuſè largèque procidentes adorauerunt eum; Procidentes adorauerunt eum. *O miſerias humanæ mentis, o fallacem hominum prudentiam, quæ nihil recti diſcernere poteſt! Cùm tanta fortuna Magorum eſſet, tantuſque ſplendor, non erubuerunt abijcere corpora humi: tibi verò rubori erit diuina myſteria obijſſe, inſpectantibus alijs, vel ex priſtina vitæ licentia, et luxu quidpiam remiſiſſe? Sed amplius dico. Non tibi rubori eſt, dum ad aram conſiſtas in conſpectu ſacerdotum, in conſpectu veraciſſimi Chriſti Corporis, inſpectante ac vidente Chriſto, ſcelera multa admittere. Confer nunc, ſi lubet, Magorum adorationes, inclinationeſque profundas, et preces, et munera oblata cum ſermonibus tuis inhoneſtis, motuque corporis indecoro, cum ſoluto riſu, cæteriſve, quæ indigna, et abominanda committuntur. Hæc et alia tua, quæ tibi nota ſunt, perge comparare ſingula: deinde animũ vince, ſi potes, ne confuſus attonituſque concidas. Satis nunc ego video violatores iſtos, profanatoreſque templorum tacitè reſpondere mihi, ſæpe iam huiuſmodi querelas, increpationeſque eſſe ſibi auditas, meque ipſum*

aduersùs hæc vitia ex hoc ipſo loco multa egiſſe. Egregia ſanè, et ſubtiliter excogitata defenſio iſta eſt, auditores: ea planè congruit ad pertinaces eorum animos ſacrilegamque mentem. Veſtra non aliena culpa fit, Mediolanenſes, vt hæc ipſa ſæpius à me dicantur. In emendatione morum conſuetudiniſque veſtræ eſt, non in animi mei voluntate poſitum, vt reprehendendi talis finis fiat. Quamobrem fixum, decretumque mihi eſt tanta conſtantia vti in caſtigando et reprehendendo, quàm eritis ipſi contumaces ad ea, quæ turpia et indigna ſunt. Audite quæ Chryſoſtomi diuina et numquam fatigata lingua dixerit, dum peierandi licentiã, temeritatemque deteſtaretur. Sed vnicane caſtigatione ille contentus fuit? Nullum vnquam vitium ſæpius ille damnauit animique maiore contentione inſectatus eſt. Nam ab Homilia quarta exorſus id coarguere flagitium, cæteras omnes ad decimam vſque conſumpſit, argumento deteſtationeque eadem; atque ibi rogat auditores ſuos, vt ſi nihil aliud, certè ſe ipſum reſpiciant, eoque reſpectu ab ea peierandi conſuetudine in poſterum abhorrere velint. Vndecima verò etiam, et duodecima Homilia vetat mirari, ſi ſæpius eadem à ſe repetita audiant: nondum enim ipſos eadem admittere deſiuiſſe. At ab tertia decima ad ſextam decimam, in decima

S Chryſoſt. ad Pop. Antioch. Hom.4.

nona item, et vigeſima ſeptima, et vigeſima octaua Homilia, quàm copioſè de ea re loquitur? Sed vigeſima ſexta præſertim Orator ille mira quadam aduerſus hæc monſtra verborum affert, miraque illius Oratoris in eius vitij reprehenſione facultas eluceſcit. Quid ſi ſententiarum eius partem ego retulero, quibus ille ſententijs periuria inſectatur? Denuntio, inquit ille, liberèque prædico, violatores templorum in templa non ampliùs eſſe admittendos, atque niſi intra ſpatium huiuſce menſis emendati iſti erunt, nullum vltra emendationi locum fore. Nimium dura fortaſſe lex hæc vobis videtur? Iterum ita denuntio, repetoque legis eius carmen, etiamſi nonnulli contempturi ſint, et legem, et me ipſum; voloque tamquam tuba ſonitu vocem hanc diuulgari meam, qua voce profiteor ac denuntio templorum aditu prohibitum iri iſtos, etiamſi viri Principes eſſent, etiamſi coronata regali diademate capita haberent. Quòd ſi ferre non poteſtis vocis huius, legiſque acerbitatem; efficite ne vobis vltra præſim, neque conijcite me in pericula, quæ adirem, ſi iſta mihi diſſimularentur. Statutum mihi eſt in ſede nuſquam conſidere hac, niſi dum magna quadam tracto, et molior, quæ ſi neque tractare, neque moliri poſſim, ſatius mihi erit humili loco conſtitiſſe: neque temerè hæc at-

que per iocum à me dicta eſſe quiſquam vnus putet. Arcebo, inquam, templorum aditu contumaces, neque excuſationem vllam eorum admittam, quamdiu in hac Pontificali ſede ſedebo. O mirificam diuinamque linguam! Ita Chryſoſtomus egit, ita denuntiauit, ſtatuitque pœnas non ſolum aduersùs eos, qui intra templa per immodeſtiam petulantiamque violarent Eccleſiaſtica diſciplinæ leges, ſed aduersùs eos etiam, quorum temeritas intra verba conſiſteret, dum ad periuria leuiter nimiùm facilèque prolaberentur. Quòd ſi ego ita agerem aduersùs impios ſacrilegoſque, vos, quibus ſtudium et cura eſt intra templa magis, quàm alibi violare Numen, quò maior, conſpectiorque iniuria ſit, quid tandem diceretis? Sed nihil tale conqueri, vel interminari mihi in animo eſt. Neque enim ſum ipſe Chryſoſtomus, ardoremve habeo, quo inflammatus ille talia denuntiabat. Sanè cùm de ſacratis valuis liminibusque templorum paulò antea egerim, ea res in mentem mihi redigit id, quod dici oporteret in iſtos, qui templa violare audent. Maiores noſtri antiquitus inſtituerant, tenuerantque hoc, vt templorum valuas appoſiti cuſtodes inſiderent, ſicuti Sanctus [A] Ignatius, et Clemens [B] Romanus, ſiue quis alius auctor fuit epiſtolæ ad Iacobum fratrem Domini, affirmauerunt, et li-

A S. Ignat. Epiſt. 9.
B Clem. Ro. Ep. 2. ad Iac. Frat.

bro

bro ſecundo[C] *Conſtitutionum, quartoque*[D] *Concilio Carthaginenſi, et*[E] *Concilio Laodicenſi lex illa continetur,*[F] *Auguſtinuſque, et*[G] *Theodorus Lector, et*[H] *Iſidorus, et*[I] *Albinus Flaccus, et*[K] *Rabanus Maurus, et*[L] *Amalarius Fortunatus, et*[M] *Iuo Carnotenſis id ipſum affirmant. Inſtituerant autem ita Maiores, ne quis profanus templa contaminaret ingreſſu ſuo, et quo plus dignitatis, atque ſplendoris ingreſſus ipſe haberet. Id cernens Dæmon, qui ſimiæ ritu, ſacra inſtituta effingere conatur, fecit, excogitauitque hoc, vt ſuos ad ſacra limina cuſtodes, ianitoreſque turpiſſimos haberet. Hoc namque nomine digni ſunt, qui ab Inferorum Duce diſpoſiti ad valuas atque ordine collocati, turbant atque infeſtant verbis impuris, cæteraque importunitate eos, qui ſanctè, ac purè templa ingredi volunt. Vbi nunc ſunt ſancti mores, et inſtituta Chriſtianorum? Vbi fides eorum, qui Deo credunt? Vos, qui templa conſtruitis marmoreque ædificatis, dicite vbi maximus honor decuſque templorum ſit? Nemo audeat hoc, quod à me in commune dicitur, malignè circumſcribere, transferreque ad vnum aliquem, ſiue hominem, ſiue ordinem hæc verba, quæ ita effatus ſum. Neminem vnum appello, et ſimul appello omnes. Oſtiarij iſti Tartarij, qui vel obſidere, vel obſerare li-*

mina

C Lib. 2. Conſt. cap 61. & lib. 8 cap. 15.
D Conc 4. Carthag. cap 9
E Conc Laodic. cap. 44.
F S. Aug. lib. 6. Conf cap 2.
G Theod. Lect in Coll. lib. 2.
H Iſid. lib. 2. de eccleſ. off. cap. 14
I Albin. Flacc de diu. off cap de eccleſ ord. & cap. de Tonſ. cler.
K Raban Maur. lib. de Inſtitut. Cler. cap 12.
L Amal. Fortun. lib. 2 de eccl. off. cap. 7.
M Iuon. Carnoten. Serm. de excell. ſac ord.

mina templorum ſtudent, duo grauiſſima damna aſſiduè important. Nam et pios aditu prohibent, et exeuntibus præripere pietatis fructum conantur, bonaque illa adimunt, quibus aucti illi ab ara receſſere. Noſtrum erit, auditores, precari à Deo, vt iſtorum ſceleri ignoſcat; iuuatque ſperare, poſſe caſtigationibus eos, et denuntiatione pœnarum reuocari ad bonam frugem; ita vt concionum noſtrarum fructus denique aliquis conſtet.

QVID FVERIT STELLA illa dux Magorum.

CONCIO VI.

Matth. cap. 2. n. 9.

ET ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos. *Si noſtra verba, ſi adhibitæ preces, concionesque habitæ non potuerunt adhuc flectere vobis animos, flectant ſaltem elementa, et ſtellæ, miraculaque Cæli, quibus erudiuntur hodie noſtræ mentes, atque illuſtrantur. Noua nos lingua affatur, ipſaque elementa veluti facem nobis præferunt in arduo et difficili, atque obſcuro itinere ſalutis. Quòd ſi fuit vnquam, Mediolanenſes, vt ſolutis in cantum vocibus, concinere*

nere

nere illa deberetis, Cæli enarrant gloriam Dei, Pſalm. 18. u. 1.
& opera manuum eius annunciat firmamentum, *hoc illud certè tempus eſt. Namque cæleſtes Orbes, velut Oratores diuini myſteria ſuprema pandunt nobis, ibique velut in illuſtri poſita monumento ſummi Regis opera contemplari vnuſquiſque poteſt; ibi nomen admirabile eius legere poſſumus.* Dies diei eructat verbum. Ibid. u. 2.
Poſtera dies diei prioris nuntia eſt, ac de Regis huius magnitudine læta et ingentia cuncta affert; videnturque dies, et horæ, et momenta ſingula temporum hoc ſibi certamen ſumpſiſſe, vt diuinarum laudum prædicatione anteſtare poßint, neque nocturnus diurno Sol cedit, languidaque Luna, et obſcura lux clariſſimum iubar æquare videtur. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Ibid. u. 3. & ſeq.
In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Etiam ad Barbaros hæc præconia, voceſque penetrarunt; neque linguarum varietas, diſſonique ſermones, quò minus acciperentur, obſtitere. Huius linguæ ſonum vnuſquiſque intelligit, ferus licet, et apud horrida antra educatus, et penè dixerim, pecudi, quàm homini ſimilior. Quippe fama hæc Orbis terræ finibus includitur, et quacumque Sol meat, porrigitur inceſſu pari, neque terminos alios nouit. Totum hoc clariſſimis certiſſimiſque notis*

in

in media Cæli regione expreſſum videmus, et ſtella iſta plena beatiſſimæ lucis cuncta repræſentat; quæ ſermonis hodie argumentum mihi erit, vt quid ea ſignificare voluerit, explicemus. Inter veteris electi populi decora, et miracula, quibus gens Hebræorum vniuerſa gloriari potuit, illud quoque numeratur, quod ducem habuerint compoſitam et nubibus et igne columnam, quæ per deſerta illa loca monſtraret iter. Atque huius beneficij memoria celebrata eſt carmine Dauidis; Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem: *et alibi*; Deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis. *Quæ miracula Iſaias iucunda prioris æui recordatione, repræſentauit, ſubiecitque cõſternatæ Hebræorum genti*; Et creabit Dominus ſuper omnem locum Montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte: ſuper omnem enim gloriam protectio. Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia. *Nunc ſecutæ gentes etiam huius rei gloria et honore gentem Hebræorum ſuperare contendunt; eſtque noſtra nobis etiam columna, ductorque ignis, et diuina lux, calorque caleſtis, cuius veſ-*

Exodi cap. 13. u. 21.

Pſal. 104. u. 39.

Pſal. 77. u. 14.

Iſaiæ cap. 4. u. 5. & 6.

tigia

gia ſequentes, cœptum iter conficere poſſimus. Primique flores Eccleſiæ Gentium, quo nomine à Theodoreto appellantur, in hoc ſuæ lucis exordio mirificis è Cælo muneribus nobilitati fuere. Sed quidnam fuerit cæleſtis ſimul hæc, et humana dux, inueſtigare lubet, vt cùm varias ſuper ea re opiniones attulerimus, ſalutaria etiam præcepta inde ad vitæ noſtræ diſciplinam petamus. Prima eſt opinio eorum, qui cenſuere, ſtellam eam, quæ magis apparuit, nihil aliud fuiſſe, quàm Angelum vnum, qui ſpecie, figuraque illa ſe ſe obtuliſſet. Ea fuit opinio Chryſoſtomi, quam et varijs argumentis alicubi firmare inſtituit. Iuit in eandem ſententiam Cæſarius. Sed neque mihi alienum fuerit etiam ita interpretari, Angelum fortaſſe vnum ex eorum numero, qui Paſtoribus apparuere, mutata nunc figura, deſcendiſſe Magorum itineris ducem: ſiue etiam Principem Angelum fuiſſe regionis eius, vnde Magi proficiſcebantur: ſiue tutelarem Angelum eorum alicuius, qui ſcilicet cæteros dignitate antecelleret. Vtcumque res ſit, Angelus certè fuit. Conſentiunt in eo auctores. Quòd ſi ſub ſpecie ſtellæ latentem Angelum tanto honore, et obſequio Magi proſecuti ſunt: quid cauſa erit, cur ducem ipſi noſtrum non perinde honore, et obſequio proſequamur, quem ſcilicet fidei oculis adſpicimus ſemper,

Theodoret. in Cant.

S Chryſoſt. Homil. 6. in cap. 2. Matth.

Cæſar. Dial. 2.

Pp quive

quive nobis aſſiduè præit viam? Cur non ſequemur ductum, et veſtigia huius? Quàm porrò monenti, et ſuadenti, hortantique Angelo huic obediens vnuſquiſque noſtrum eſt? Angelico illo ſidere nihil aliud, quàm oculorum acies tangebatur: at noſter hic intra præcordia ſedens Angelus tangit aſſiduè, mouetque animum, neque hortandi, et impellendi finem facit. Verùm in concione iſta celeberrima et numeroſiſſima, quàm multi ſunt, quos ne minima quidem huius rei cogitatio attingit? Quanta inde beneficia accepiſti, quæ nec vidiſti vnquam, nec videre poteris, quam diu intra corporis huius carcere manebis? Angelus iſte cuſtos ad omnia tibi præſto eſt, pericula imminentia propulſat, efferentes ſe ſe immodicè appetitus tuos frænat, atque inhibet, ſopitum animum excitat, pellit vanos metus, vimque et robur menti addit. Cui veſtrum vnquam venit in mentem ſanctè et laudabiliter inuidere Abrahamo ob eam rem, quòd accipere hoſpitio Angelos ille potuerit? Non ego verbis aſſequi poſſum eius hoſpitij honores cæleſtemque prærogatiuã, atque oblatum Patriarchæ illi munus. Meridiani æſtus horis inclyta familiæ Princeps ante ſua tentoria ſedebat, cùm fortè attollens circumferenſque oculos, vidit tres eximia ſpecie iuuenes, qui ad ſe rectà ibant. Protinus ille exurgens,

pro-

progreditur paululum, obuiamque procedit, et vbi appropinquauere, flexit genua, tamquam adorare vellet. Colloquium deinde, et benigna inuitatio fuit, qua cibum, et hoſpitium, et noctis eius apud ſe quietem offerebat, ſi diuertere, ac ſubſiſtere vellent. Vbi diuini iuuenes annuerunt, Abrahamus illico, miniſtrante Sarra, epulas lautè ſtruxit, comiterque cœnantes adſpiciens, incredibili iucunditate perfundebatur. Tibi ſub tecto, atque intra cubiculi tui fines Angelus eſt, qui cœnanti, et ſedenti, precantique, ſiue peregrinanti, atque etiam dormienti hæret affixus; neque tamen huic tam fido, tam beneuolo cuſtodi honor apud te eſt, neque viciſſim eum amas, atque amplecteris. Erudiat igitur ita animum tuum ſtella illa, quæ fortaſſe Angelus fuit, vt vincentes pulchritudine ſidera omnia Angelos honore proſequaris. Altera eſt opinio, quæ Magorum ſtellam verum, caleſtemque ſplendorem eſſe cenſuit, ſed nouum diuinitus exortum, non ex earum ſtellarum numero, quæ Cælum diſtinguunt. In ea opinione Baſilius fuit; qui neque ſtellam vſitatam, neque cometam fuiſſe affirmat, ſed propriū, et ſingulare ſignum ad deducendos Magos diuino munere miſſum. Et Leo Magnus in ſermone primo de Epiphania caleſtem apparitionem ſidus nouum appellauit. Sanè, auditores, magnum

S.Baſil. de Hum. Chr. gent.

Leo Magn. Ser. 1. in Epiph.

gnum fuit hoc, nouam diuino munere ſtellam extitiſſe: ſed et creationem vniuerſarum, ſingularumque rerum tot ante ſæcula factam admirari par eſt. Non tu Vniuerſitatis huius ordinem, conſtantiamque in tanta viciſſitudine perpetuam, non temporum varietates, non copiam amplitudinemque lucis, non cæleſtium Orbium motus, non lucentium ſtellarum illos oculos, non itinera Solis, operaque eius infinita cogitas. Sanè Mundus hic res Naturæ eſt: ſed non ordo, menſuraque eius, perpetuitaſque, et vita ſæculis durans. Animæ inſuper, et numero, et nobilitate tam admirabili diuinitus creantur: ac ne id quidem cogitas. Stella tibi aſſiduè cohæret, eamque pectore aſſiduè complexus tenes. Nonne tua cauſa Deus creauit alteram ſtellam, nempè Gratiam? Stella Magorum ad breue tempus data, paulò poſt euanuit, at iſta æterna eſt. Quod Cæleſte munus, quia culpa ſæpe tua deperditur, renouat illud ſæpe Deus multiplicato miraculo, Gratiamque eandem ſemel atque iterum et centies inſtaurat. Neque id miraris? Leueſque et vanæ cauſæ tantam rem creatam tua cauſa diuinitus auferunt, ſubtrahuntque? Gratiæ ſplendor ſi oculis cerni poſſet, vinceret longèque ſuperaret et Lunæ radios, et Solis. Operum Dei pulcbritudinem adſpernaris, et ſequeris rerum humanarum ſordes:

des:

des: cùmque diuina miracula, quæ extra te ſunt, ſuſpicias, eadem intra te contemnis. Dominantur in animo tuo ſenſus, atque in eorum poteſtate viuis: ratio et fides apud te iacet mortuaque eſt. Non etiam defuere qui tertio loco dicerent, argumentiſque firmarent, celebrem Magorum ſtellam ſignum fuiſſe quoddam in aere exortum. Ita Anſelmus, et Damaſcenus ratione nixi ea, quòd ſtella illa nunc emergeret, nunc repente ſubtraheretur ad Occaſum, modò in Auſtrum deiecta eſſet. Non igitur ex earum numero erat, quæ creatæ principio rerum, motu ſemper eodem reguntur. Ex aliqua igitur elementorum parte conflata fuiſſe ſtella ea videri poteſt, nimirum diuina manu colligente elementarem eam partem, eique ſplendorem artificioſè addente, vt in regione deſtinata fulgens atque emicans, moueret animos Regum illorum, ſimulque nobis poſtea documento eſſet, quandocumque mirifica et noua iſta narrari audiremus. Attamen admiranda alia pleraque cùm in elementis et rerum natura fiant, nihil animos noſtros mouere poterunt? Ingruunt peſtes, ſæuit fames, monſtrifica aeris terrarumque opera: neque tamen iſta circumſpicit vnquam animus tuus. Tonitrua, fulgur, motuſque terrarum, et maritima procellæ, et violentia impetuſque ventorum nonne poßunt vobis ad

S. Anſel. enar. in Matth. cap. 2. Damaſc. lib. 2. de fide Orthod. cap. 7.

vitam

vitam rectè inſtituendam eſſe documento? Decumbis æger incerta ſpe vitæ, propiorque morti: nec tamen maligni ſideris vim imminentem, adſpectumque minacem exhorreſcis? Iam febris illa, æſtuſque, quo velut camino flagras, nonne tui ſideris igne accenſus eſt? Quòd ſi proſpera tibi valetudo, et ſecunda omnia erunt: reſpice tamen intra corporis tui ſtatum, fabricam hanc elementorum, atque ibi ſideris vtique tui vim intueri poteris. Mutantur enim ibi aſſiduè temporum vices, ſiluæque capitis albicant niuibus: manat multus vndique liquor, et lutum cœnumque pene factus es. Veris, et Autumni decus elanguit, iamque tempora illa circumacta ſunt, exuſtoque et repreſſo flore iam omni, nihil ex te præter amaras, ingrataſque baccas venit. Hæc ita mutata, facieſque iſta noua rerum, et elementorum, ſideris tibi ſunt inſtar: neque tamen adhuc attendis animum? Id ipſum alia quoque ratione confirmari poteſt. Audiſtis, opinor, dici quemadmodum vltimis Mundi temporibus, diuino decreto triſtia ſigna in Sole, et Luna, et ſtellis futura ſint; Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis. *Mare iratum; turbidus aer; Cælum obſcurum; terræ motus, tremorque terrarum; et motus ab ſede ſua ignis, veluti miniſter atrox inchoabit aduerſus ſcelera diuinam vltionem.*

Lucæ cap. 21. u. 25.
Matth. cap. 24. u. 29.

Ni-

Nihil ampliùs à me dici attinet, cùm hæc nota ſatis et peruulgata ſint: ideoque ad alia ſermonem ipſe meum conuertens, ita vos alloquor. Cur fient iſta diuinitus? Nempe, vt impiorum aliquis vnus ad pœnitentiam ſalutemque conuertatur. Poſtquam Diuina Maieſtas et legibus, et vaticinijs, et beneficijs, et ſupplicijs pœniſque leuioribus fruſtra tentauit mortalium animos, eò deſcendit, vt rerum naturam euertat, atque conturbet, idque in perditorum conſpectu, vt animæ nonnullæ, quæ præda Dæmoni fuiſſent, illius extremæ horæ momento eripiantur hoſti. Ideo legitur; Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione; *quo nimirum timore ſubacti, conuertentur. Te verò neque peſtilentia, neque fames, neque morbus vllus, neque fulgura, neque motus, fremituſque terrarum flectunt, atque aduerſus iſta omnia contumax, obſtinatuſque manes. Inducamus animum mutare vitam, nouos induere mores, et minora mala pertimeſcere, ne maiora experiri cogamur. Vidiſtis, auditores, huius excelſi regij ſideris faciem? Vidiſtis Angelum cuſtodiæ veſtræ appoſitum media Cæli regione fulgentem? Vidiſtis nouam ſtellam ad gemmæ inſtar Cælo conſertam, vt adſpectu admirationeque eius, ad diuina opera contemplanda ſubducatur animus? Vidiſtis elementa, aerem,* ignem

Lucæ cap. 21. u. 26.

ignem gloriæ, ſalutiſque miniſtros? Agnoſcamus beneficia diuina; colligamus inde fructus idoneos; Deumque ob hæc ipſa veneremur.

DE AVRO PER MAGOS OBLATO Saluatori.

CONCIO VII.

Matth. cap. 2. u. 11. ET apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera; aurum. *Quanta ſtellarum varietate nitet Cælum, et quàm multiplici florum diſtinctu prata veſtiuntur: tam varia ſententiæ Patrum ſunt de Magorum dono, quo aurum nato Saluatori obtulere. Cenſent aliqui Regiæ Maieſtatis honores ita eſſe ſignificatos, quam in Chriſto Infante cognitam illi adorare voluerunt. Alij pertinuiſſe hoc arbitrantur eò, vt teſtarentur, declararentque Magi, cognitam ſibi nati Infantis Diuinitatem. Alij ad Magos ipſos id retulere, quorum fidei, animique erga Saluatorem argumentum eſſet aurum, quod offerebant, tamquam eius Regij tributi pignore, ſacramento fidelitatis ſe ſe obſtringentes. Sunt qui puriſſimum id aurum pretioſiſſimæ humanitati Saluatoris adſimilauerint, quem ibi adorabant. Alij credidere, ſignum id fuiſſe*

fuiſſe futuræ Reſurrectionis, gloriæque carnis illius, quæ creata omnia ſuperatura erat honore, et dignitate, ſicut aurum inter metalla primas tenet. Alij verò longiùs à cæterorum ſententia recedentes, ita interpretantur, tria illa dona figuram, imaginemque fuiſſe ſcientiarum ad Euangelij miniſterium, atque prædicationem Saluatori offerendarum. Demum alij cenſent, varios diuinæ Scripturæ ſenſus ita eſſe ſignificatos, quorum interpretatione gloria Chriſti continetur. Iam igitur Auctores, Doctoreſque iſti, Cyprianus nempe, et Baſilius, et Hilarius, Chryſoſtomuſque, et Hieronymus, et Rupertus Abbas, et Anſelmus, et Beda oblatum auri munus variè, pièque et eruditè ita interpretantur. Quòd ſi in maris arenas lapillum aliquem addidiſſe licitum ſit, in animo habeo afferre inſuper, et depromere nonnulla, tum ad nominis, tum ad myſteriorum interpretationem, quæ per auri donum ſignificata ſunt, quò vberior deinde fructus ad animi noſtri diſciplinam, emendationemque colligatur. Dico igitur in primis, donum omne perfectum, atque eximium id afferre ſecum, vt animi, qui oculis cerni non poteſt, imaginem ſubijciat atque repreſentet. Magi igitur, Regeſque iſti, Dominique terrarum cùm factis omnibus animum ſuum æquare ſtuderent, obtulere nato

Saluatori ea omnia, quæ pretioſiſſima, et ampliſſima eſſe cenſuerunt. Ac ſicuti Regia mens ipſis erat: ita Regia maieſtate digniſsima dona offerre ſtatuerunt. Obtulere aurum, quoniam veluti terreſtris Sol is eſſet: obtulere thus, veluti delicias terræ, vnde ipſi proficiſcebantur: obtulere myrrham, eximium, atque fidiſſimum ad corpora cuſtodienda liquorem. Atque ita ſimul è terra, ſimul ex arborum honoribus, ſimul ex hominum ipſorũ vita eximia et pretioſiſsima quæque obtulerunt, Naturæque Auctorem totius Naturæ tributis adorauere, et hanc, ſicuti par erat, ſtipendiariã atque vectigalem ipſius eſſe declarauerunt. Quæ fortaſſe interpretatio verbis illis confirmatur; Math. cap. 2. u. 11. Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera. *Neque enim theſauri nomine ſignificantur hoc loco pecuniarum acerui, ſed rerum eximiarum copia, et vbertas, ſicuti magnam niuium vim ſacræ Litteræ* Iob cap. 38. u. 22. Theſaurum niuis *dixerunt. Totum igitur hoc ita accipi debet, quaſi dicatur: volentes Magi offerre Chriſto donum aliquod euidens, atque conſpicuum, quo occultum animi munus ſignificaretur, deprompſere quæcumque chariſsima et pretioſiſsima habebant, patriæ ſuæ videlicet honores, et delicias, et ornamenta, inter metalla aurum, inter odoramenta thus, inter medicamenta myrrham: neque quidquam aliud præterea obtu-*

tulerunt, quia nihil vltra habuere, quod offerre poſſent: idque fecere, theſauris apertis, *hoc eſt effuſa omni copia rerum, ita vt voluntas dono maior eſſet, et ſe ipſos Saluatori donarent. O liberalitatem, magnificentiamque donantium, o doni pulchritudinem, o gloriam nati Infantis! Sed iam tempus eſt ad myſteria interpretanda tranſire, quæ puriſſimo hoc auro ſignificata ſunt, cuius nimirum figura deſignantur Principes, Reges, Imperatores, quorum liberalitate res eccleſiaſtica aucta eſt. Submittunt iſti Chriſto faſces, eumque adorant, et munera ei offerunt, nec leuia, ſed aurum. Hinc multiplicati honores, hinc priuilegia, hinc ſpatia camporum, hinc caſtella, et vrbes, prouinciæque donatæ, et regna, dominatuſque terrarum. Hinc veterum noſtrorum Principum effuſæ liberalitatis præclara exempla; Conſtantinuſque, et Theodoſius, et Carolus, et Pipinus et felicis olim, nunc miſerrimæ Angliæ Reges, Pannoniæque, et Poloniæ, quod imitarentur, ſumpſere. Priſca ampla promiſſa comprobantur exitu*; Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent. Pſalm.71.u.10. *Itemque magis proprium ac ſingulare illud*; Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper. Ibid. u. 15. *Id multò ante diuino ſuo lumine prauiderat Iſaias, dum ita diceret*;

Iſaiæ cap. 49. u. 23. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. *Quo vaticinio nihil illuſtrius, aptiuſque afferri poteſt ad celebritatis hodiernæ figuram. Neque virorum tantùm, ſed feminarum etiam ea laus fuit; matronæque generoſæ pariter occupauere gloriæ huius partem, vt rem Eccleſiaſticam liberalitate ſua augerent. Quò non exceßit Matilda excelſus animus? Quid illa non tentauit, vt Romana maieſtas auctior, ampliorque fieret? Quàm multa hodie decora Catholicum nomen, Eccleſiamque Romanam ornant, quæ ſecutis etiam poſtea temporibus, ab illius inclyta feminæ pietate manauerunt? Ac ne propiora patriæ huic et magis vicina nobis omittantur, quis Theudelindæ liberalitatem explicare poßit? Ubi nunc ſunt illi, qui ſubtilitate, ſuperciliòque politico iſta tractare ſolent? Quid tandem dicere poterunt, dum audient oblata auri dona Chriſto? Neque ſemel data hæc, citra ſacrilegium, auferre, et eripere poteſtis, capita temeraria, et oblita recti. Nam ſi aufertur templis aurum, aufertur altari, cùm iam ſemel oblatum ſit, vel potiùs Infanti Chriſto id extorquetur. Sed vt exempla et documenta hinc etiam ad animi noſtri ſalutẽ aliqua deſumamus, quæ velut aurea dona, diuitiæque cæleſtes eſſe poſ-*

poſsint, dico, nobiles vos, atque opulentos, et fortunæ bonis inſtructos oportere aurum offerre Chriſto, neque circumforaneum tantummodo iſtud atque quotidianum, quo miſeria alienæ ſubleuari poſſint, ſed quidquid honeſti, et ampli, quidquid in vita, fortunaque tua præclarum, et felix, bona denique omnia tua nomine auri continentur, ſunt offerēda Chriſto. Ac videte quantus benemerendi campus pateat vobis, et diuinæ miſericordiæ fontes quàm vbertim et copioſè fluant; ſiquidem grata et accepta Chriſto eſſe poſſunt etiam ea, quæ ſenſibus, cōſilijſque humanis facta carere meritis poſſent. Et iſta tamen accipit ille quotieſcumque offeruntur. Ita te ipſum offerre Deo debes, non Mundo, vel Dæmoni, vel carni, non ſuperbiæ, non vltioni; quæ ſi quis ſpectet, non Deo, ſed inferis ille ſacra facit. Non aurum ego tuum, theſauroſque peto: animum et ſpiritum, vt pia hilaritate Saluatori offeras, peto. Neque verò, quia offerentes hodie munera Magi celebrantur, ideo credendum eſt, ademptam eſſe pauperi facultatem offerendi puriſsimum aurum, ſi quidem ipſe velit. Non ſemper Deo pauper eſt, qui Mundo pauper videtur. Hominis mendici voluntas aurum illud eſt, quod offerri Deo oportet. Egentiſsimus mortalium es? Deſunt tibi vitæ ſubſidia? Miſerijs et calamitate circumuentus iaces? Non

vtique

vtique deeſſe tibi poterit voluntas. Hanc dicare et conſecrare Deo debes Dauidis exemplo, qui
Pſalm. 53.u.8. *de ſe ita profeſſus eſt;* Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum eſt. *Puriſſimum aurum eſt animi humani voluntas, illa ſcilicet pars eximia noſtri tantum à materiæ concretione recedens, quantum aurum à terræ vilitate recedit, præſtatque cæteris metallis. Inuicta res igne aurum eſt, victrixque potiùs elementi huius, certamineque illo niteſcens ſemper: quo planè modo voluntatem terreſtria elementa, opeſque humanæ, et Dæmones ipſi vincere non poſſunt, vel potiùs hæc omnia ab ipſa vincuntur, ita vt ex bello, pugnaque iſta, atque ex Dæmonum, hominumque inſidijs, tamquam ex fornace purior, et amore diuino accenſa voluntas emergat. Videtis igitur quid pauperes, quid diuites vnà cum Magis hodie offerre Chriſto debeant. Qua tandem excuſatione vti quis poſſit? An quia exempla deſint? En Magos Regia dignitate præditos offerentes Chriſto, et Eccleſiæ pretioſiſſima, et chariſſima quæque. En Magos illuſtria ſimulacra Principum, qui varijs temporibus effuſiſſimè donauere Eccleſiæ. An quia deſunt opes? Quiſnam ille eſt, qui omnia, quæ agit, habetve, dicare, et offerre Deo non poſſit potiùs, quàm Dæmoni? Quis tam fœdæ pau-*

Digitized by Google

paupertatis homo eſt, qui voluntatis, et animi ſui dona ſaltem offerre Deo nequeat? Hæc ſunt dona propriè offerenda Deo, non hominibus: hæc non iuſti Principes, non ſæuiſſimi Tyranni auferre poſſunt. Imitemur igitur Magos quantum in nobis eſt, aurumque puriſſimum Chriſto offeramus.

DE THVRE, QVOD MAGI obtulerunt.

CONCIO VIII.

QVI res diuinas, et à mortalium ſenſu, intelligentiaque longiſſimè diſiunctas tractant, atque inueſtigant, et explicare aggrediuntur, eos celeberrimi nominis Philoſophus ſimiles eſſe cenſuit hominibus, qui varij generis metalla ex terræ viſceribus labore ingenti effodiunt, ita vt nomen tantummodo, coloremque metalli intuentes, nihil vltra requirant, neque vnquam illi vim, naturamque metallorum cognoſcendi ſtudio vllo, curaque teneantur. Ita nos quoque priore anno hoc ipſo die, cùm de Magorum auro, quod nato Saluatori obtulere, ageremus, nihil fortaſſe præter nomen illud, exiguoſque radios diſcernere, ac monſtrare potuimus, hodieque fortaſſe etiam, dum de

de thure, altero eorum dono dicere aggredimur, quod munus auro nihilò deterius fuit, vix odoris eius ſuauitatem ex longinquo percipere, ſenſibuſve, et oratione aſſequi poterimus. Rem ita exequemur, vt ſententias, et iudicia de ea re Patrum accuratiſſimo delectu exponamus, quorum Auguſtinus, et Gregorius, et Chryſoſtomus, et Hilarius, et Remigius cenſuere, Chriſti diuinitatem thure eſſe ſignificatam. Addiditque nonnemo aduersùs Arij opinionem, qui diuinitatis eius inſectator fuit, id veriſſimè eſſe pronuntiatũ. Accedit ratio ipſa proptereaquòd ad ſacrificia thus adhibetur, et ad replendas odore aras, quæ diuinitati Chriſti ponuntur ac fiunt. At Gregorius Magnus, alijque, potiùs commouendis piè animis, quàm altitudini myſteriorum intenti, ita interpretati ſunt, thus eſſe preces, quarum odor, et fumus it Cælo, gratiſſimuſque ibi eſt; Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. *Et in Apocalypſi;* Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum. *Maximus verò Taurinenſis, et hunc ſecuti alij vaticino propheticoque ſpiritu dixerunt, munere illo donoque thuris denuntiatum fuiſſe, Idolorum excidium, ruinamque templorum, et altarium, quæ Dijs inanibus poſita odoramentis cumulabantur. Sanè niſi vaſtiſſimi maris inſtar*

Pſal. 140. u. 2.

Apoc. cap. 8. u. 4.

Max. Taurinen. Hom. 3 in Epiphan.

eſſent

eſſent myſteria diuinarum Litterarum, nihil amplius de ea re, myſterioque dici poſſe videretur. Sed quoniam maris, profunditatiſque huius nulla certa ſpatia, nullique fines ſunt, ſequar ego veſtigia illa Patrum; ampliuſque dicam, naturam eſſe doni, vt ſignificationem quandam honoris contineat atque afferat; quæ quidem ſignificatio clarior, obſcuriorve erit; prout donum etiam ipſum maius, aut minus. Inſuperque donum idem magis, minusve commune eſſe poterit ei, cui offertur ac datur. Ac ſicuti beneficia poſſunt eſſe tum vnius propria; tum plurium: ita etiam par natura, conditioque donorum eſt. Militare donum, gladius erit, non autem veſtis, aut cibus, gemmaque, vel aurum. Thuris igitur donum hoc præclarum, et illuſtre ſanè fuit, ſed et ei, cui dabatur, aptiſſimè conueniebat. Neque ob eas tantummodo cauſas, quæ allatæ ſunt, illuſtre donum fuit, ſed ob aliam quoque cauſam, nempe quia munere donoque illo ſignificabatur quanta futura eſſet magnitudo diuinorum, ſacrorumque honorum, quos ventura ſæcula Chriſto exhibitura eſſent. Quæ autem religio vnquam, ſiue vera, ſiue falſa, ab ipſis humani generis primordijs fuit vel magnificentia templorum, vel ritibus, caremonijsve ſacrorum, vel frequentia, numeroque ſacerdotum vlla parte comparanda chriſtianæ religioni?

ligioni? Iactet Hebræorum genus templi ſui honores atque maieſtatem, quòd vnũ templum, vnaque ara fuit. Magna res viſa eſt diuinarum Hiſtoriarum ſcriptori, quod in dedicatione templi
3 Reg. cap. 8, u. 2. *eius, Salomon ille Regum maximus, viginti duo millia bouum, centum viginti millia agnorum, vno die immolaſſet. Sed noſtræ legis honores, et miracula longè maiora fuere. Quòd ſi à vera religione ad falſam ſuperſtitioſamque veterum tranſeamus, mirificos ſanè habuere templorum, victimarumque apparatus: cæterùm, non vni, ſed innumerabilibus penè Dijs cultus ille exhibebatur. Nunc Ioui, nunc Veneri, nunc Marti, aliàs Saturno, et Baccho, et Mercurio victimæ cadebant, honoſque illis habebatur. At Deus homo factus, quot templis, altaribuſque, et donis, et ſacrificijs, et monumentis colitur, non quacumque chriſtianus Orbis patet, ſed intra vnius Prouinciæ fines? Nonne templa noſtra et diuitijs et magnitudine, et amplitudine ſuperauere templa veterum? Ipſa Vaticani moles nonne Theatra, et Amphitheatra, et ſepulchra, et miracula omnia emortua iam Roma ſuperat? Vbi tanti Monachorum, et Anachoretarum exercitus vnquam fuere? Vbi ſacerdotum agmina, qui curam animarum agunt? Iam de muneribus, et donis quid dici poteſt? Non ſolùm aurum, et gemmas, ſed*

vr-

vrbes, et Prouincias, et Regna nato Saluatori Chriſtianus Orbis offert. Aliæ ſunt victimæ, quas Vates ille Pſalmorum optabat, cùm ita diceret; Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum. *Neque ſicuti Vates antiquus cecinerat*, Omnes de Saba venient, aurũ, & thus deferentes, *ſed è terris omnibus omni donorum genere Meſſias hic colitur atque frequentatur. Iure optimò igitur offertur Saluatori thus, proptereaquòd ſcilicet veneratione, et cultu inania Gentium Numina ſemper ille ſuperauit, neque vlla vnquam Mundi ætate vero Numini par ſignificatio venerationis data eſt. At nos hodie nihil Deo offeremus? Soli extra Chriſtiani cœtus obſequia gratulationemque relinquemur? Noſtra tantùm altaria ſine victimis, muneribuſque iacebunt? Odoramenta, quibus capiuntur delectanturque omnes, nobis tantùm ingrata erunt?* Et obtulerunt ei munera, aurum, thus. *Nos verò nato Saluatori ſacrata thura exemplorum offeremus. Thura dicata altari, ſundunt per templa odorem: hæc exemplorum thura recreant, implentque iucunditate Eccleſiam vniuerſam. Illud honoris ac reuerentiæ ſignificationem habet: hæc ad diuinas quoque laudes redundant. Illa etiam ex longinquo tangunt, implentque ſenſum: hæc adſpectu ipſo in animã* Pſal. 28. u. 1. Iſaiæ cap. 60. u. 6.

deſcendunt. Illa cæremonijs ritibuſque adhibentur: hæc ad operum ſacrificia neceſſaria ſunt. Fumus ille conuoluitur in aera: merita hæc in Cælo collocantur. Illa concaleſcunt igni: hæc charitatis igne micant. Exempla ſunt veluti lingua ſermoque communis, qua lingua, et ſermone nullus alteri barbarus, peregrinuſque eſt; quodque quis deſtinauit atque concupiuit perſuadere cuiquam, promptiùs ſermone hoc effecerit, quàm ſi linguæ et ora centum loquantur. Sanè ego ita cenſeo, vim efficaciamque exempli aptiſſimè comparari poſſe cum imagine tui oris, quam aduerſa ſpecula reddunt coloribus atque lineamentis, motuque toto nihil ab vera facie differentem. Si rides ipſe, ea quoque ridet ſimul: ſi lacryma tibi, et luctus, ibi quoque lacrymæ cernuntur: ſi loqueris, ea pariter loquitur: demumque alterum te ibi vides. Hæc ſpirans et viua imago eſt, quam exempli virtus et efficacia figurat. Contra ſi quis verbis et argumentis perſuadere nitatur, effigies et imago quædam efficitur coloribus languidis, et velut emortuo vultu, non motum, non ſpiritum vllum, animamve repræſentans in eo, cui perſuadere conaris. O recta, prauaque exempla, quàm verè dici poteſt, cauſas, originemque malorum omnium, et bonorum eſſe penes vos! Conſideret inſuper vnuſquiſque, iuſtorum, piorumque

rumque

Digitized by Google

rumque hominum conditio quantum ab improborum conditione differat. Illi velut vnguenta pretioſa liquantur ac ſoluuntur; taleſque fuere diuini homines, cùm et vigilijs, et precibus, et ieiunijs, et totius vitæ laboribus immorientes, in thuris modum expirauere; vt Chriſti Eccleſiam odoris ſuauitate complerent. At perditi, impijque cæteri etiam intra ſacratos fines templorum, atque in Dei conſpectu graueolentes, ſpargunt venena, et fœtorem, ita vt ambigi poßit, adoratoresne templorum, an violatores potiùs dicendi ſint. Studeat igitur vnuſquiſque puriſſimi thuris inſtar eſſe; ſuadendoque recta, et ſalutaria exempla præbendo, prodeſſe omnibus nitatur. Studeat, viuam, non mortuam ſui ipſius imaginem exhibere in hac vita, vt poſt mortem viuere æternùm poſſit.

DE

DE MYRRHA *per Magos oblata.*

CONCIO IX.

Math cap. 2. n. 11.

ET apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. *Myrrham, inquam, obtulere, quæ decus eſt honoſque ſepulchrorum, et noua quaſi vita membris, poſtquam ſpiritu defecta conciderunt. Quid verò commune eſt morti cum vita, maieſtati cum putredine, præſepi cum ſepulchro? Quid opus eſt humanis remedijs, atque medicamentis, vbi nullus morbo locus eſſe poteſt? Adamus primus mortalium fuit, qui Diuinæ maieſtatis beneficio acciperet velamenta corpori, quod admiſſa culpa mendicum fecerat, confuſusque ille nuditatis ſuæ verecundia, mortua dona accepit, fortaſſe vt intelligeretur, morti damnatum fuiſſe ipſum, quia peccarat. At hodierna munera Magorum, argumento fuere, obnoxium eſſe morti largitorem ipſum, non eum, cui dona offerebantur. Genus humanum, inquam, Orbiſque terrarum ſub nomine figuraque Magorum myrrham obtulit, veluti argumentũ infeliciſſimæ ſuæ ſortis, quia non mortales tantùm ſed ſpiritu mortui homines eſſent. Dicitur autem impropriè mortuum aurum, cùm numquam viua*

ea

ea res fuerit: pariterque id verbum improprium in thure ponetur, cùm numquã thuri vita fuerit. Hoc ſolum mirrha donum partem habere mortis dici poteſt; propterea quòd ad ſepulchra adhibetur, membraque noſtra nonniſi poſt mortem honorem eum aſſequuntur. Significatur igitur miſera mortua natura hominum, quæ nato Infanti Saluatori offerenda fuit, vt vita compos fieret: eaque mortuum Mundi corpus repræſentabat, de quo legitur; Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. *Quòd ſi nimium humilis hæc et depreſſa noſtra oratio viſa erit; et rurſus diuinæ res diuinis tantummodo animis tractandæ ſunt, omiſſis ijs, quæ commentari, et afferre inſtitueram, referam ſanctorum Patrum auctoritates, eaſque tacente me, concionantes audietis. Hilarius, et Leo dixere, ſignificari veram Chriſti humanitatem. Cyprianus carnem eius ſignificari dixit, nulli corruptioni obnoxiam, licet paſſibilem. Auguſtinus Chriſti ſepulchrum. Maximus mortuorum reſurrectionem, quæ humanæ carnis reſtauratio erit. Euthimius mortalitatem Saluatoris, Theodoretus, et Theophilactus futuram ipſius mortem, Petrus Griſologus veræ fidei confeſſionem*

Ad Rom cap. 5. n. 12.

nem ſignificari dixere. Alij verò Saluatoris Crucem; alij magnitudinem ſapientiæ eius figuratam eſſe cenſuerunt. Quoniam verò non ſatis eſt excoli mentem notitia veri, niſi etiam myſteriorum interpretatione ad rectè agendum voluntas excitetur; ideo pars etiam iſta nobis amplectenda eſt, vt myſteria Redemptionis moribus, et vita noſtra exequi ſtudeamus. Id autem fiet, ſi Chriſto oblata erit myrrha domitarum animi perturbationum; et quædam amaritudo mortis huius. Myrrha igitur inſtar erunt, et verbera, et vigiliæ, ſuſpiriaque, et lacrymæ ob noſtras, alienaſque culpas, et omnis denique labor, afflictamentumque corporis ad animi ſalutem; extatque Apoſtoli benigna inuitatio, qua nos vocat ad myrrham hanc membris, corporeque noſtro excipiendã. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. *Et alibi*; Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes. *Licet autem amara myrrha ſit, et ingrata palato, non tamen cæteris ſenſibus perinde iniucunda eſt, odorata ſcilicet, et ad corporum cuſtodiam fida, penèque miſeriarum humanarum benigna occultatrix. Cuius naturam atque virtutẽ Sanctus Gregorius Homelia decima exequendo, affirmauit, aptam eſſe ad vitia reprimenda, quæ noſtri ſenſus gignunt. Quàm porrò grauis culpa* eo-

Ad Coloſſ. cap. 3. u. 5.
2. ad Cor. cap. 4. u. 10.
S. Greg. Homil. 10. in Euang.

eorum eſt, qui non ſolùm ieiunijs, et maceratione corporis natum Saluatorem adorare abnuunt, taliaque dona offerre recuſant, ſed potiùs contaminantur vltro, contaminantque carnem eam, quæ ſanctiſſimis Chriſti natalibus nobilitata et decorata fuerat. In hos propriè conuenit querela illa, quæ pſalmo decimo tertio conſignata eſt; Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti Pſalm. 13. u. 3. ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. *Ibique Hebraica lectio longè diuerſa eſt in hunc modum* הכל כר יחדו נאלחו, Hacol Sar iacdau neelacu, Omnis diuertit, ſimul fœtorem emiſerunt. *Non ſatis eſt peccatori ſi inutilem ſe præbeat, niſi noxius etiam, peſtilenſque ſit. Grauiſſimum odorem exhalat. Hebraicaque vocis* נאלח Neelac *interpretatione ſignificatur putredo illa, non ſemper erumpens, ſed incluſa intus, latitanſque illic, vbi ſpecies in frontem, et pulchritudo apparet. Hæc figura eſt, effigieſque peccatoris, cuius anima contaminata libidinibus eſt. Ea namque deformitas eſt, quæ non ſemper oculis cernitur, ſed ſæpius pulchritudine tegitur, eiuſque comes, et ſocia incedit. Hæc ſunt poma pendentia ex arbore peccati, hic fucus et fallacia colorum, qui nos in fraudem inducunt, dum ad dulcia pabula ferimur, trabimurque impetu, quæ Mundus offert. O dulces,*

amaroſque ſapores, o funebres epulas! Quam fœcundus ager huiuſmodi pomorum hic meus eſt? Nullus vnquam arator, meſſorve nullus latos anni prouentus intuens tantopere geſtiuit, quanto luctu mihi cumulatur pectus, dum meſſem hanc infelicem intueor. Quòd ſi ſterilitas ipſa tanto mœrore confundit animos, dum expectata meſſe fraudamur, qui denique mœror damnoſam hanc vbertatem malorum ſequetur? Infelix ego arator, cui non ſolùm vepres, et ſpina, ſed etiam latentia venena demetuntur. Volo, vos non poma, et fructus, ſed myrrham eſſe, auditores. Amara eſt myrrha, eadẽque odorata, et membrorum noſtrorum conſeruatrix, poſtquam vitali ſpiritu deſtituta fuere; eaque velut effigies Chriſtiani hominis eſt, quem ipſum amarum eſſe ſibi oportet aſperitate vitæ ſimul, et morum innocentia; carniſque puritate ſuaueolentem. Quam ego carnem, ſpiritumque cupio præſentis vitæ puritate mereri gloriam in altera vita ſempiternam.

DE

DE MAGNITVDINE Bethlehemitica.

CONCIO X.

ET tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux. *Ex obſcura igitur Bethlehemitica ſede futurum erat, vt magnus ille partus prodiret. Ita nimirum Naturæ ſæpe arte maieſtas ipſius in anguſtum cogitur, dum paruula antiqua gemma magnos eximioſque honores amplexa nitet. Ibi pretia metallorum clauduntur: ibi ſplendor auri radijque eius offuſcantur ſplendore gemmarum; quæ ſtellarum ritu ſcintillant, ſtellaſque ipſas referunt atque in Cæli colores faciemque variantur. Fitque hoc induſtria, et maieſtate Naturæ, quæ non è magnis tantummodo rebus, ſicuti mos hominum eſt, ſed etiam è paruis gloriam petit, ibique vim ſuam, et opes oſtentare amat. Ita etiam parua Bethlehemitica domus potuit accipere Saluatorem, Deumque conditorem omnium rerum includere ſuo ſinu: illuc theſauri Diuinitatis collati ſunt: ingenſque Gratiæ miraculum ibi enituit. Nota fuerat ſedes, quam Diuinum Verbum ſibi hoſpitio elegit, et vbi membra ſua componere voluit; ac de ea ſede, antequam Chriſtus ibi naſceretur,* Matth. cap. 2. n. 6.

Cant. cap. 1. n. 6. *Sponſa ſic inquirere videbatur;* Indica mihi, quē diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. *Hæc meridiana ſedes fuit in ſummo ardore amoris, quo carnē humanam ſumpſit Deus. In hac ille ſede conquieuit, cibo charitatis nutritus: eaque hoſpitij ſedes adeo anguſta, et humilis, et extra famam, notitiamque hominum fuerat, vt niſi monſtraretur, inueniri non poſſet. Fuit antiquus iſte mos amoris, quærere ſolitaria loca, atque receſſus ab hominum frequentia remotos, iuxta illud;* Veni dilecte mi, egrediamur in
Ibid. cap. 7. n. 11.
agrum, commoremur in villis. *Procul à nobis abſint vrbani ſtrepitus, nemoraque, et tuguria nobis quærantur. Neque nouum hoc apud Principes, magnoſque viros abdita et obſcura loca quærere domicilio, ibique habitare. Nam prima ætas honore, et dignitate potior ætatibus alijs, figere tentoria inſtituit; atriſque pellibus tegebantur viri, quorum domicilio nulla marmora, nullæve pretioſæ moles ſuffeciſſent. Ideo Sponſa Salomonis obſcura et viliſſima domicilia intuens, ita dixerat;* Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. *Sæpe etiam Diuinæ Maieſtati ita viſum fuit humanæ ſuperbiæ faſtum elidere, atque obterere paruis, et rurſus parua extollere, atque decorare. Cùm Hebræorum genti aditum in promiſſæ terræ fines Deus pararet, iudicium et ſententia*

Gen. cap. 9. n. 21. Ibid. cap. 12. n. 8. Cant. cap. 1. n. 4.

tentiæ mortalium hæc erat, qui ætate, et opibus, gloriaque cæteros anteſtarent, hos primùm debere ingredi; ducereque agmen. At diuini Oraculi maieſtas longè aliter decreuit, voluitque ingredi pueros, cæteris verò ætate, et fortuna grandioribus, morte ſuperueniente, eripi diem optatum. Ita ſimili ac diſpari ſimul ratione ſtatutum fuit, vt partum ingentem parua Bethlehemitica vrbs acciperet, Ieroſolyma verò inclyta illa, et magna tanta rei honore prohiberetur; paruaque et humillima quæque capiunt honores, qui maximis, ampliſſimiſque rebus negantur. Non igitur caret alto cæleſtique myſterio id, quod ita legitur; Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux. *Minima tu ciuitas, neque minima es; quoniam ex gremio ſinuque tuo maxima olim dabis. Quid verò gloriæ, magnitudinique huic comparari poteſt? Cedant arcus et trophæa, pyramideſque, et portenta regia vanitatis, Ægyptus, et Babylon Bethlehemitico antro, intra quod triumphat Infans, ſubmittant denique faſces. Video ego, inter monumenta ſacrarum Litterarum non multum tribui magnis vrbibus; paſſimque ibi comparationes, et ſimilia quædam inducuntur, ex quibus facilè intelligi poſſit, non eſſe inclytas vrbes apud Deum eo loco, quem fama*

exiſti-

Digitized by Google

exiſtimatioque hominum occupauere. Saiuienti mari, fœdiſſimiſque procellis apud Iſaiam aſſimi-
Iſaiæ cap. 17. u. 12. *lantur*; Vę multitudini populorum multorum, vt multitudo maris ſonantis: & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum: *Quæ triſtior facies eſſe poteſt cogitatione imagineque iſta, ſi quis putet fragili ligno vehi ſe per vndas, ita vt turbati fluctus reddant vicinæ mortis effigiem, ibique imminens exitium ipſe contempletur? Magnarum vrbium celebritas, et frequentia ita ſe habet, auditores: ſtrepitus ibi, et pericula, mœrorque ingens: pulſaque et ſublata ratione, regnant odia, et iræ, et hominum importunæ cupiditates: Vrbes iſtæ magis etiam odioſo nomine notantur in libris, quos Diuina*
Ierem. cap. 51. u. 25. *Sapientia dictauit, ita exclamante Ieremia*; Ecce ego ad te mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram: & extendā manum meam ſuper te. *Quòdque mons iſte figura ſit molium ſuperbarum, eodem fere loco declaratum, teſtatumque eſt, cùm de muris excelſis*
Ierem. ibid. u. 58. *ita dicatur*; Suffoſſione ſuffodietur, & portę eius excelſæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & diſperibunt. *Ab frequentia, magnitudineque iſta vrbium manare ſolent venenati halitus, quibus minores vrbes, et proxima quæ-*

que

que inficiuntur, nempe praua exempla, et fama ſlagitiorum. Ibi etiam tum contagione morborũ, tum ob quiſquilias et ſordes tam corrupti aeris malignitate plurima mortis facies, funeraque, et luctus. Prohibeat Deus magnam hanc patriam tantis malis: abſitque, vt tam triſti et lugubri nomine digna ſis: neque tam funeſta ego voce denuntiaturus ſum id, quod in pœnam peſtiferi montis addidit Propheta minitans. Tantùm id dico, præſentem rerum noſtrarũ ſtatum ab Iſaia fere eſſe deſcriptum, dum magnam vrbem caliginoſi montis nomine ipſe appellat. Super montem caliginoſum leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces. *Nam, ſi ſenſum interpretationemque verborum intueamur, vrbes magnæ propriè montes dicendæ ſunt; propterea quòd, ſicuti dicebam, altitudine tectorum ſuorum eam ſpeciem præbent ex longinquo intuentibus; circaque eas inhibita vis impetuſque ventorum, nec ſicut alibi liberè meantes obſitũ quaſi caligine aerem relinquunt. Cæterùm, denſiores ego nebulas, magiſque peſtilentes ac noxias intueri videor, auditores. Video veſtras omnium domos obſitas, atque circumfuſas aere obſcuro, hoc eſt ignoratione diuinarum rerum, quæ demerſas altè mentes tenet, quò minùs verum intueri poſſint, eaque vos penè* Iſaię cap. 13, u. 2.

cæcos

cæcos facit , iamque apud gentes alias ea fama eſt . Eſt hoc improborum, impiorumque hominum, vt denſa nebula circumfuſi , adſpicere Cæli claritatem nequeant : idque Iob ita declarauit ; Per
Iob cap. 5. u. 14. diem incurrent tenebras. *Lucet eis Sol, dieſque præſens : nec tamen interea aeris et Cæli claritate perfruuntur . Fidei lucem , lumenque mentis habent : et in meridiana luce tamen cæco impetu feruntur , neque reſpiciunt ex longinquo quidquam . In eo diuerſa conditio iuſtorum eſt , qui longinqua etiam vident, cùm peccatori incerta , fallaxque lux ſpeciem omnium rerum falſam præbeat , ob caliginem nempe illam , quæ circa eã ſedet. Namque iuſtus ita ſecum loquitur . Video præmia , pœnaſque imminentes , certamque mortem , et humanæ vitæ calamitates , grauitatemque culparum , et Dei magnitudinem : atque hæc omnia ipſe videt , quia longè , clarèque proſpicit atque intuetur . At peccator nihil horum , ſed præſentia tantummodo ſpectat , nempe voluptates , et faſtum , et epulas in vicino extructas . In claro longoque proſpectu omnia noſtra bona poſita eſſe vidētur, auditores ; eaque ratio eſt, tum vitæ ciuilis ad iudicandi , ſtatuendique prudentiam , tum adminiſtrationis , et imperij ad rectè ſapienterque gubernandum , tum animi noſtri diſciplinæ , vt mores ipſi noſtros , ſtatumque , et habitum*

bitum probè noſcamus. Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? *Similitudine, figuraque iſta Vates Iſaias diuinitus excitatus, hæc verba profert, quaſi videat in excelſa turri nocturnas excubias agentem, quem ab radicibus, imoque turris alij interrogent, an in dubia illa, et obſcura luce aliquid ex longinquo proſpiciat*. Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? *Sic vnuſquiſque compellare ſe ipſum, atque interrogare debet conſcientiam, et opera, cogitationeſque ſuas, et munus, cui praeſt, ſubtiliter exequendo, attentèque examinando. Tamquam in turri excelſa poſitus circumſpicere ſedulò omnia ſpeculari que debet. Quod vtique facere non poterit quiſquis nebula premente obſcuratus, in monte caliginoſo vrbis huius cæcos ob ignorantiam oculos habebit. Sed ò cæca verè tempora! Quàm multi in huiuſmodi tenebris caligineque verſantur? Quodque triſtius eſt, pars ciuitatis noſtræ nobilior magis laborat hoc malo; validioreſque grauiùs ægrotant. Hoc quod à me ita dicitur, nullus ſiniſtrè interpretari, trahereque debet in eam partem, quò non ſpectat animus meus. Hìc mihi quoque ſtirpes et natales ſunt, et auita mea tecta vtique agnoſco. Quando fuit vnquam, vt vrbis huius nobiliſſimi ciues deſiderio flagrarent ea cognoſcendi, quæ pertinerent ad ſalutem? Niſi ma-*

Iſai. cap. 21. u. 11.

Tt lorum

lorum omnium fons ignorantia eſt, hanc ego non damno: ſi non indagine, retibuſque iſtis trahuntur plurimi ad Inferos, hanc ego non damno: ſi acta inter tenebras vita, non ſumma calamitas eſt, nihil hanc damno. Verùm, ſi dedecus, damnumque iſtud, et pernicies tam certa eſt, vt neque mea, neque vllius oratione indigeat, quid cauſa erit, quominus odio habeatur, atque euitetur? Sed fortaſſe dicet aliquis, nonnullos in hac ciuitate reperiri probos, pioſque nobiles, quos Paſtor ego veſter ignorem. Aliquos reperiri probos in vrbibus alijs fortaſſe ſufficiet ad famam nomenque earum: ſed hìc aliquos tantummodo reperiri, ad dedecus, atque contumeliam accedit vrbis, quæ tam eximia diſciplina exculta ſit. Non hæc noſtra laus, quod probi aliqui ſint, ſed dedecus eſt, quod non probi omnes. Non ego queror, malos eſſe omnes, ſed queror iſtud, non multos eſſe probos. Hic magnus animo meo dolor, et admiratio, ſtuporque animum tenet, in tanta lucis claritate aliquem vnum reperiri, qui nullos veritatis radios adſpiciat. Non antiqua religio Maiorum noſtrorum, non illuſtria facta ciuitatis, non eximia merita bonorum patientur vnquam dici de nobis poſſe id, quod veteri Hebræorum populo accidit, cuius populi opibus, et nobilitate principes, Templi inſtaurationẽ nulla

1. Eſd. cap. 3.

im-

impenſa opera adiuuare voluerunt, ſed contumaces, et obſtinati, plebis tantummodo labores ſummamque in ea re contentionem ex longinquo ſpectabant. Nunc vos ego, Mediolanenſes, hortor, non ad inſtaurandam hanc renouandamque Templi auguſtiſſimi molem, ſed ad viua templa animarum exornanda. An verò ignobiles et obſcura manus circa Dei cultum et opera diuina exercebuntur, manus autem honeſta, liberalioreſque torpebunt? Manus honeſta ſceleribus occupabuntur, ſeruiles autem, ignobileſque manus diuina tractabunt? Fulgeat hac mea patria, et grex iſte ſplendore cæleſti; neque fiat vnquam, vt obſitus caligine mons, ea dici poſſit: ſed tamquam Ieroſolyma cæleſtis alto ſplendore colluſtretur, cuius admirabile lumen, immo Sol ipſe, Agnus eſt. Talem eſſe Chriſti gregem hunc opto.

Apoc. cap. 21. v. 24.

SVAM VNICVIQVE SALVTEM poſitam in eo eſſe, vt ſtellam ſuam et cognoſcere, et ſequi ſciat.

CONCIO XI.

NON tam promptè, tamque obedienter contactum velut animato lapide ferrum, ſequitur occultam illam vim, fateturque amores inſitos erga naturam illam, quàm promptè, atque obedienter inclyti Magi ad cæleſte lumen ſeſe conuerterunt, ſtatim vbi ſtella illa in conſpectu fuit,
Matt.cap.2. u.2. vnaque voce dixere; Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. *Ego quoque radijs hiſce diuinis aliquo modo illuſtratus, adſum, nuncioque vobis, vniuſcuiuſque ſalutem in eo poſitam eſſe, vt ſuam ipſe ſtellam videat, opportunèque ſequatur, non ita tamen, vt ſcientia ſideralis ſuperſtitioſa placita, vanaſque aſtrorum leges admittendo, atque inducendo, circumſcribere, ſeu potiùs negare Diuinæ prouidentiæ vim, potentiamque infinitam auſit. Sed quomodo et agnoſcenda, et ſequenda ſtella ſit, ego explicaturus ſum. Numquam Diuina bonitas, liberalitaſque ſuprema auara fuit luminum eorum, quæ lumina generi humano neceſſaria eſſent ad vitã,*

in

in hac obſcura caligine Ægypti laudabiliter rectequè agendam. Ideo, et naturali vnumquemque luce inſtruxit, quam veluti ſtellam ſequeretur, eaque velut magiſtra ſenſuum vtendo, frænaret, domaretque ſenſus, neque eßet in eorum poteſtate belluarum ritu. Sed quoniam incertum hoc, dubiumque lumen erat, multique cæcati vitijs, peſtifera credulitate ſequebantur ſenſus, maius aliud lumen excitauit; deditque nempe ſacratis tabulis præſcriptam, conſignatamque legem. Cùmque lumen hoc etiam ipſum neceßitabus, miſerijſque noſtris impar eſſet, maieſtas et potentia eadem facem aliam terris dedit, de qua legitur; Orietur ſtella ex Iacob. *Partus nempe Virginis hæc ſtella fuit, auditores: hoc ſidus, quo duce Magi confecere iter ſuum: ſidus cæleſti vulgatoque illo certum, ac fidum magis: hic ſplendor cæleſtis ſimul, atque terreſtris: hæc* [A] *figura patris* [B] *luminum: hic Sol omnium creatarum rerum. Hoc loco conſiderandum eſt, licet Chriſtus communis ſtella fidelium omnium ſit, beneficio tamen, liberalitateque eius ſingulares vnicuique ſtellas dari, tum illuminationum, inſtinctuumque occultorum, tum ærumnarum, pœnarumque, quæ nobis veluti duces ſint, viamque monſtrent. Cæterùm, plerique mortalium in ea re dupliciter errant, ſerieſque infinita errorum aliorum*

Num. cap. 24. u. 17.

A Ad Hebr. cap. 1 u. 3.

B Iacobi cap. 1. u. 17.

hinc

hinc ſequitur. Error vnus eſt, dum immiſſa illa diuinitus, non ſtellas vtique diuinas peruerſi nonnulli eſſe interpretantur, ſed aut ad fraudẽ inſectationemque inimicorum, aut ad incommoda naturæ, aut ad inopinatos repentinoſque caſus, aut demum ad imprudentiæ quiſque ſuæ culpam ea Pſal. 72.n.21. *referenda eſſe putat.* Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt: & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui *Quomodo tandem, ſanctiſſime Propheta, flammas, quibus ardet tibi flagratque pectus, non ſentis? Quomodo confracta, et quaſſata membra non dolore ſummo cruciantur, cruciatusque iſtos ſentire te negas? Cruciatus, tormentaque ea cuiuſmodi eſſent, non ſatis videre Propheta poterat, quia principium, originemque eorum non ſatis etiam videbat. Conficior dolore, inquit; neque doloris cauſam, originemque videre poſſum. Itemque* Iſaiæ cap.9.n.13. *Iſaias;* Populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non inquiſierunt; *Cùm ſaltem reſpicere ferientem debuiſſet, ſicuti naturæ inſtinctu in corporis damnis vulneribuſque fieri ſolet; vulneratique iſti ſicut ſcopuli, cauteſque marinæ ſine ſenſu, ſine motu, ſine voce vlla, quæ diuinã miſericordiam flectere* Num.cap.22. *poſſit, defixi hærent. Sedebat Balaamus in pecude viliſſima, iterque ita faciens, cùm aliquò* per-

perueniſſet, bellua illa non minis, non verberibus impelli poterat, vt ire pergeret, ſed huc illucque ad dexteram modò, modo ad ſiniſtram declinabat. Tunc Propheta iratus, addere verbera, ſtimuloſque ſubdere acriùs, cùm bellua, ſicuti ſacra Littera teſtantur, euidenti miraculo, humano more locuta eſt in hunc modum. Quid ita ſæuis? Quid ego commerita ſum? Protinus Dei Angelus in conſpectu fuit, lucidum gladium vibrans, quaſi feriturus, addiditque vocem hanc. Niſi bellua hæc aliquantum ex itinere deflexiſſet, perieras, quoniam aliena, et aduerſa mihi facturus ibas. Cæcus erat pecudis ductor, auditores, pecus autem ipſa inſtructa lumine. Neque vitio bellua, ſed diuino nutu fiebat, ne vlteriùs ille progredi poſſet. Res in aperto erat: cauſa in occulto. Ita tu quoque culpam illuc confers, vbi culpa nulla eſt; accuſas innoxios, multumque expoſtulando vociferaris, quia tacens es. Ipſe tibi fauſta itinera, lætoſque ſucceſſus intercipis peruerſa tua voluntate, et mente. Numerus infinitus eſt eorum, qui ob res aduerſas complent omnia querelis; neque grauiſſimo exemplo, quod in Machabæorum libris eſt, ſaltem erudiri poſſunt. Atroci prælio dimicauerant Iudæ milites, cùm poſt pugnam perquirere inter cæſorum cumulos, corpora ſuorum cœperunt, interimque vide- 2. Machab. cap. 12. u. 40.

de-

derunt eos, qui ceciderant, dona nonnulla Idolorum ſub veſtem abdita habuiſſe, quod lex vetabat. Tunc, ſicuti diuinæ Litteræ narrant, nemini dubium fuit, quæ cauſa necis illis; vimque diuini iudicij prædicabant omnes, hoc iudicio in impios animaduerſum ita fuiſſet. Amittis opes, ignominiam adis, contrahis morbos, quia peccati idola pectore foues, infandaque ſacra ſuſcipis: hæc infenſa tua et maligna ſtella eſt. Rerum aduerſarum prælia te excipiunt, quia ſpolia infauſta circumfers. Hoc loco ciuilis prudentiæ rationem conſiſtere atque hærere oportet, hominumque iudicia ſuſtineri, ne ſuo more ſtatuere, ac decernere quidquam audeant; quandoquidem fortiſſimum, et ſtrenuiſſimum quemque victum ſpoliatumque videmus. Deeſt tibi virtus, vigorque animi, et robur omne flacceſcit, quia nihil recti, neque ſinceri animo eſt. Iaces præda hoſti, quia vitijs omnibus victus iam ſuperatusque es. Iam antea demonſtraui, fratres, duplicem eſſe errorē, quem ferè homines in ſui ſideris adſpectu admittunt, alterum, dum ſtellam eam non diuinum eſſe lumen arbitrantur, ac de eo errore hactenus dictum eſt: de altero nunc errore agemus, quo ſcilicet fortunati iſti, et felices ſidus ſuum ab ortu Solis refugere ſemper vellent, numquam verò deprimi, inclinarique ad occaſum, hoc eſt frui tenore

ſemper

ſemper vno felicitatis. Odioſa ideo ſenectus eſt, mœſtiſſimaque vergens ætas, et breuiſſimo momento fluere, excidereque voluptates videntur, quia æternas eſſe vellemus. Ac ne occaſu ſiderum quidem, alterniſque vicibus Solis ipſius mortalium animi erudiri poſſunt, vt fluxam mortalium gloriæ conditionem agnoſcant. Ampliùſque dico: ſi quis ex hominum vita tollere ærumnas vellet, id hominum generi fore pernicioſum haud aliter, quàm ſi tempora anni permutando, vel imminuendo quiſquam ſterilitatem afferret terris. Inſuper roſæ pulcherrima florum tam gelu et rigore frigoris, quàm Solis calore vernant, nec Borea minùs, quàm Zephyro flante aluntur. Sed quid ita cruciaris, atque angeris ob miſerias ineuitabiles? Mare procelloſum vrges, neque relinquere id potes, auaritia et ſuperbia ſtimulante; fluctuſque et ſalſas vndas auidè ſequeris: neque humanæ vitæ fluctus, virtutis, et quietis æternæ cauſa ſuſtinere voles? Exigui ſunt dulcis aquæ latices, vaſta illa æquora ſalſugine diluuntur: ideo mirari non debes, quòd Mundi huius mare amarum ſit.

DE PRVDENTIA MAGORVM *in capeſcendo itinere, deque felici itineris eius exitu.*

CONCIO XII.

AD Chriſtum igitur Magi tetendêre ſtella duce, quæ Sol animis eorum fuit, diſiecitque tenebras, et noctem, qua demerſas ad eam diem gentes per tot ſæcula tenuerat. Maioriſque miraculi opus fuit nouus hic ſplendor ea de cauſa diuino munere oblatus, quàm cùm Sol ipſe in Cælo collocaretur illic, vbi Regis inſtar intra ſuam aulam ſpatia conficeret, ſicuti Dauid cecinit. (Pſalm. 18.u.6.) *Ab duce iſta ſtella radij ſcintillantes tantam vim habuere, vt res mirifica illico conſequeretur. Ita namque pectora iuſtorum, ſicuti Iuſtinus Martyr ait, cæleſti virtute tacta, ad lira, fidiumque inſtar, ſuauem cantum edunt, quo arcana myſteria Numinis panduntur.* (Iuſt. Mart. orat. cohort. ad Gentes.) *Talem ſonum etiam Magi edidere, tantoque illuſtriore præconio, et tanto maiore gloria, quò minùs aſſueti illi miraculis erant, quæ Hebræorum genti crebra, et quotidiana offerebantur. Domicilium, vitaque ſedẽ, quemadmodum Origenes ait,* (Orig. lib. 1. contra Celſum.) *inter Hebræos ſibi potiùs, quàm inter gentes alias elegit Saluator, propterea quòd genti, nationique huic inter di-*

uinarum

uinarum Litterarum monumenta prompta recordatio eſſe poſſit admirandarum rerum, quæ ab Moyſe, et Abrahamo, et Elia, et Eliſeo patratæ diuinitus erant. Cæterùm, quod ad ſingularem diuino decreto adhibitam Magorum cætui lucem, atque diſciplinam attinet, duplex via, ſicuti Origenes idem ait, ad cognoſcenda diuina myſteria, et excelſa arcana Gratiæ datur, vel vt, dictante, ac monſtrante Deo, vera cognoſcat animus noſter, vel vt ab alijs cognoſcat, qui antea fuerint eruditi, et illuſtrati diuinitus; et poſteriorem quidem hanc diſciplinæ viam Origenes idem vmbram potiùs, imaginemque ſcientiæ, quàm perfectam ſcientiam eſſe definit. Namque viderat Moyſes cæleſtia priùs, deinde ſpecies, figuraſque eorum populo patefecit, de qua re ita legitur; Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt: *et Apoſtolus ait;* Qui exemplari, & vmbræ deſeruiunt cæleſtium. Sicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret Tabernaculum. *At Magi præſtantiore illa, altioreque diſciplina res diuinas didicere, docente Deo, eaque ratio, et via diſciplinæ magis etiam conſentanea fuit nobilitati, claritudinique ipſorum. Non verborum ſono, ſed nouitate, ac magnitudine miraculorum erudiuntur: nulla in terris lingua, nulla humana vox*

Orig Hom. 13. in Leuit.

Exodi cap. 25. u. 40.

Ad Hebr. cap. 8. u. 5.

fuerat, quæ ipſos erudire poſſet: ipſi Cælo reſeruabatur, vt ſcintillanti, radijſque coronato lumine regalia illa pectora erudiret. Atque diuino etiam ritu, planèque cæleſti conſuetudine Gratiæ factum eſt, quæ, ſicuti Origenes monet, arcana viſionum, pro captu et vtilitate eorum, quibus parantur, immittere ſolet. Sic Magis ipſis hæc alta ratio diſciplinæ adhibita eſt, non tã quia ſiderali ſcientia excellerent, ſicuti non verè fortaſſe cenſuere nonnulli, quàm quia mente præditi erant ad intelligendum alta, et ſubtili, ſanctaque curioſitate ad diuina inueſtiganda vltro ferebantur, ideoque vocem dedere hanc; Vidimus Stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. *Quæ verba triplicem nobis contemplandi materiam præbent, triplicíſque vitij reprehenſione, pigritiæ nimirum, et ſuperbiæ, et prudentiæ fallacis, quæ opinionum vanitate inflat animos. Prudenti conſilio ingrediuntur iter, vt certiùs, meliùſque cognoſcant id, quod ſtella denuntiarat, atque in eius rei exitu potuerunt ita de ſe profiteri;* Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. *Agebatur namque de ſumma rerum, animarumque ſalus ipſis in eo diſcrimine poſita vertebatur. Vbi aguntur humana,* mi-

Orig. tract. 3. in Math.

1. Ioan. cap. 1. u. 1.

miſiſſe fortaſſe alterum, et officij noſtri curam alteri delegaſſe ſatis erit. Vbi verò anima noſtra ſalus, et maxima ea res agatur, ire ipſos, nec alium mittere oportet. Atque hoc loco coarguenda eſt extrema vecordia nonnullorum, qui ſi quid Chriſti cauſa faciendum, agendumque ſuſcepere, deſtinant, mittuntque alios, negotia verò, et curas mortalium rerum ipſi obeunt. Ad Chriſti cultum immobili tarditate languentes, ad ſua ipſorum deſideria velociſſimi, nec alia cauſa eſt nequitia, tarditatiſque huius, quàm peccatum, quo irretiti, ac detenti, nihil rectè, ac laudabiliter exequi poſſunt, qualis olim miſeria fuerat genti, quam tenebra Ægyptia ceu compedes, et catena deuinctam, adſtrictamque tenebant. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat. *Et alibi apertiùs etiam*; Dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominati nationi ſanctæ: vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. *Homines aſſueti culpis obtorpuere brachijs, manibuſque, et lingua, quoties Chriſti cauſa agendum aliquid mouendumque eſt. Atque in omni diuina re impediti ſemper, lentique reperiuntur; ad ea verò, quæ cupiditatibus, negotijſque ipſorum adnexa ſunt, et ingenio veloces, et manu prompti re-*

Exodi cap. 10. n. 23.

Sap. cap. 17. n. 2.

reperiuntur. Eius rei exemplum inſigne hodie ſpectamus, audimuſque Herodem talia deſtinantem, atque mandantem; Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunMath. cap. 2. u. 8.
tiate mihi, vt ego veniens adorem eum. *Quòd ad ſuſcepti itineris finem hortatur iſte Magos; quòd de tota re diligenter exquirit; quòd ſe poſtea iturum, atque ſubſecuturum adorandi noui Regis cauſa affirmat, ea omnia conſilia fuerunt, arteſque timentis, ne ſibi, Regnoque ſuo exitium immineret. Sæpe verò etiam, et ijs præcipuè accidit, quorum dignitas illuſtri loco poſita eſt, vt quominus ea agant, quibus ſalus animæ continetur, faſtu et ſuperbia impediantur, et vana falſaque gloria inflati ſegniores fiant. Sanè Tharſis, Arabumque Reges non vltimi Regum erant, templumque Præſepij, quò proficiſcebantur, longinquo, et laborioſo itinere adeundum erat: ac de profectione tamen eorum diuinus Vates ita* Pſal. 71. u. 10. *canit;* Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent. *Hinc ſancta, et pia conſuetudo peregrinandi, moſque antiquus offerendi dona, oſculandi pedes, et honoris cauſa tributa perſoluendi manauit; neque vnquam famæ, dignitatatique vllius detrimento fuit, quòd ſacra, et ſacros ita honoraſſet. Minimè decet ſubtiliter nimium, anxièque exqui-*

quirere monumenta dignitatis, et honoris, vbi de Chriſto, cultuque eius agatur. Finiti ad infinitum nulla proportio eſt, *inquit Philoſophus ille, qui rerum, proprietatumque Naturæ peritia fuit ante omnes. Ideo, prolixa et effuſa omnia vates Iſaias de Regum in Chriſtum obſequio pollicetur, ita denuntians;* Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginę nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Iſaiæ cap.49. u. 22. *Hanc ob cauſam ingratiſſima Numini eſt ſuperbia mortalium, quæ vim, maieſtatemque infinitam circumſcribere velle videtur, et proportionem inducere quandam, inter obtinentē cuncta Diuinitatem, et hominem ipſum. Suntque vecordiæ huic affines, qui fallacis ſuæ prudentiæ ratione ab humanis ad diuina etiam contrectanda et attingenda tranſgrediuntur. Sanè noſtra ciuitas in imperio eſt, à quo fraudes, et leges iſtæ Dæmonum longiſſimè abſunt: cæterùm, ego neceſſe habeo imperia omnia generatim arguere culpæ huius, quòd politica inſtituta nimiùm amplectantur, nimiùmque tribuant illis, qui præcipuam in eo genere ſubtilitatem atque malitiam ſibi aſſumpſerunt. Apud horum aliquem ſtatim damnum, et iniuria Imperij habita eßet, ſi recens*

cens natus, ignotuſque Rex ab Rege ſuo adoraretur; potiùſque cenſuiſſent per homines idoneos ſecretò inquirendum quidquid illud de ſtella vulgaretur, quam in partem ea duceret, remque totam longis, et finem non inuenientibus diſputationibus extraxiſſent. Quiſquis non circumſpectè ita, cautèque ageret, manifeſta vanitatis argueretur, quam notam Dauidi Michol imponere auſa eſt. Flagrantem diuina fama Dauidē, lætitiaque magnitudine præſultantem arcæ cùm vidiſſet vxor patrijs imbuta moribus, marito illudens, talia dixit; Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris. *Haud aliter ſcelerati conſiliarij Principes ſuos increpare auderent. Ex altera verò parte nihil eſt, auditores, quod Principum animos magis infringere, ac debilitare poſſit, quàm ſpecies obiecta rerum, quæ ad ipſorum vtilitatem, et emolumenta ſpectant. Ideo, peruerſus Herodes fictè ac ſimulatè, atque captus amore ſui, quo duce mouebatur, ea verba pronuntiabat*; Cum inueneritis, renũtiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. *Statuendum igitur ita definiendumque eſt, Principes viros inter diuina perſequi omnes prudentiæ vias, omniaque circumſpicere, ac prouidere ne quid detrimenti*

2. Reg. cap. 6. n. 20.

trimenti res ſua patiantur: eoſdem inter ſua negotia, ſuaſque cupiditates, nihil penſi habere, quod homines existiment, quæ publica fama ſit, quid ventura ſæcula loquantur. Nulla humana cura, nullove reſpectu mortalium rerum vnquam Magi huic itineri ſe commiſiſſent: numquam eò deſcendiſſent excelſa mente præditi Principes, ſuoque et diuino lumine illuſtrati. Plena myſteriorum profectio hæc erat, nec ſua tantùm, ſed publicæ vtilitatis cauſa ibant; ac veluti Mundi totius legati ad Chriſtum tetendere. Quid autem ipſi dixerunt? Hunc eſſe Regem, quem ſibi recens natum Gentes agnoſcerent, atque adorarent: relinquendos eſſe Deos inanes: claudenda Templa eorum; ac relicta victimarum hoſtiarumque ſuperſtitione, immolandos eſſe mactandoſque Deo animos: Chriſti iugum lætis animis ſubiiſſe atque excepiſſe Reges, huiuſque immenſi Regni fines inpoſterum non alios fore, quàm quibus terrarum Orbis ipſe clauditur, atque terminatur. Fauſtum, felixque iter Magorum hoc fuit nobis, Mediolanenſes; quo itinere effectum eſt, vt templi valuæ Gentibus paterent, atque illuſtratæ mentes eorum exuta rebellione, et contumacia, fidem, obſequiumque induerent. Fauſtus etiam hic felixque dies, quo totius populi ſalus inchoatur. Neque hoc loco mihi conſilium eſt, animos

veſtros obiurgationum acerbitate cõturbare, quod in orationis exitu facere conſueui, potiuſque perpetuæ lætitiæ tenorem hunc ad extremum vſque conſeruabo. Non igitur inpoſterum, gens Hebræorum infelix, iactanda vnici tui templi moles erit, non cumulata illa victimis, et donis ara, nõ princeps gratiæ locus apud Deum, non demum, quòd vnica tu et dilecta proles carmen illud glo-
Pſal. 75. u. 2. *riæ plenum, ſola vſurpare poſſis*. Notus in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius.
Lætum nobis quoque nuntium hodie Magi por-
Iſaiæ cap. 35. u. 1. *tant*; Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. *Hodie deſerta frugibus et florum amœnitate veſtiuntur, aduentuque Magorum ſqualidus et ſterilis antea campus bonorum omnium vbertate completur, allicitque vltro nouos incolas in iucunditatis et*
Pſal. 28. u. 1. *lætitiæ ſuæ partem*. Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. *Sancti Principes et iuſti Domini terrarum, populique et Prouinciæ et Regna currite, afferte dona Chriſto. Ad Bethlehemitica illa antra confluant Principes: ibi ſacra inſtaurent, ſanctèque adorent, quo nullum Deo gratiùs donum eſt. Pandantur vobis portæ templi, et quod ſaxo attollitur, et quod ſpiritu continetur, Cælique regnum vos accipiat. Hæc, vt ita eſſe poſſint, ingens, et admirabile*

opus

opus diuinæ vocis eſt, quæ condidit Cælum, terræque voragines firmauit, elicuit è terræ viſceribus fontes, certiſque terminis mare concluſit. Hæc ipſa vox frænat legibus vndas, temperat iuſta imperia, et vim opeſque Tyrannorum exhaurit. Quicumque imperia adminiſtratis, ego à vobis magnopere peto, vt diligenter attendere velitis verba, quæ ſubijciam. Propriè enim ad vos pertinent vobiſque dicta ſunt; Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros: & confriget Dominus cedros Libani. *Sternentur humi proceræ, et excelſæ arbores, cadetque earum honos: robur indomitum et ferox manſueſcet, ſtatim vbi diuinæ potentiæ tonitrua, et horrendi fragores exaudientur. Humana natura ſuperbia ad Præſepe procumbet, in quo pecudes et animalia bruta ſtabulantur, atque Saluatorem humana carne indutum ſummi infimique reuerebuntur, ac timebunt.* Pſalm. 28. u. 4.

OCCVLTA MALIGNITATE percunctatur Herodes à Sacerdotibus, et Scribis, vbi Saluator natus eſſet.

CONCIO XIII.

NVLLA tanta profunditas eſt aquarum, nulla tam impenetrabilis vorago, pelaguſve tam altè depreſſum, quò tã difficilè penetrari poſſit, quàm humani animi profunda penetrantur, atque attinguntur, ſicuti paſſim etiam diuinæ Litteræ docent. Magnum hoc, admirabileque eſt, auditores, quòd Naturæ arcana Deus homini nota eſſe voluerit; eaque notitia quò plenior, perfectiorque eſſet, varias artes mortalium ingenijs, immenſamque terræ ſedem dederit, vbi et diſputando, et contemplando perueſtigarentur proprietates, et naturæ animalium, plantarumque, et metallorum, quæ multifariam latent: vbi verò ad humani animi ſecreta latebraſque ventum eſt, is obſcura, et denſiſſima caligine circumfuſus obſituſque reperitur. Sanè vbi noſtra mens erigere ſe ſe humo cœpit, audet contemplari cæleſtes Orbes, numerare ſidera, motuſque dimetiri eorum, vim quoque et naturam aſſignare tentat, nec in Solis ipſius orbem oculos defixiſſe perhor-

reſcit.

reſcit. Altiùſque porrò ſcandens animus Paradiſum intrat, ac lumine ſcientiarum, ordines graduſque cæleſtes illos obit, diſponitque, partitur ac ſua quibuſque nomina, et munera, et vices attribuit, atque aſsignat. Sed altiùs, vlteriùſque progrediendo mens animuſque humanus ad Dei ſolium vſque conſcendit, atque quantum aſſequi diuina mortales poſſunt, reuerenter ex longinquo contemplatur ſummum æternumque illud. Ac licet multæ circa id tenebræ, multáque humanæ mentis allucinatio in tantæ Maieſtatis cõtemplatione contingat, diſcernitur tamen, explicaturque natura et infinitas illa tribus diſtincta perſonis, ita vt Pater ex ſe Filium gignat, gignatur à Patre Filius, et mutua inter vtrumque conſpiratione flamma quædam amoris, igniſque æternus, et par vtrique exiſtat. Alia inſuper de magnitudine, et maieſtate Numinis, arcanique eius ſolerter indagata, et veſtigata comprehenduntur tam clara deinde, et certa nobis, quàm lux ipſa clara, et certa eſt. Et aſſequens intelligenſque iſta animus humanus, ad notitiam tamen, perſcrutationemque pectorum humanorũ tardus et hebes et cæcus planè reperitur, eamque ſui luminis imbecillitatem fateatur, neceſſe eſt. O ſenſuum, cogitationumque humanarum voragines immenſas, quas tentando, et perueſtigando

qui-

quilibet inuoluitur atque abſorbetur, neque fructum vllum opera habet, atque ad hoc aui manent in hac parte rerum tenebra illa, qua terram intexuere tunc, cùm inter Conditoris ſui manus ea naſceretur? Ideoque dici adhuc de animo humano illud poteſt; Et tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi. *Quis vnquam mali quidquam ſuſpicari potuiſſet, cùm videret Regem accitis benignè ſacerdotibus ſuis, percunctari eos, comiterque ſciſcitari, ecquid inter vaticina monumenta de Chriſti exortu compertum habuiſſent? Honeſta in frontem res, pium et liberale ſtudiũ, compoſita in faciem ſpeciemque ſanctitatis verba, percunctatio comis, planèque congregari ita ſacerdotes ius, faſque fuit, quorum reſponſo, et ſapientia expediretur res, Regique conſultanti ſatisfieret;* Et congregans omnes principes ſacerdotum, & Scribas Populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. *Tanta malignitas Herodis adeo tenaciter infixa fuit natura, ingenioque eius, vt ad ipſius quoque prolem manifeſta contagione perueniret; ac de ea re Sanctus noſter Pater Ambroſius ita diſſeruit, cùm de Sancti Ioannis nece inter infandas epulas patrata concionaretur;* Quis non, cum è conuiuio ad carcerem curſari videret, putaret Prophetam iuſſum eſſe dimitti? quis, inquam, cum

Gen. cap. 1. u. 2.

Math. cap. 2. u. 4.

S Ambroſius lib. 3. de Virg.

cum audiſſet natalem eſſe Herodis, ſolemne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, miſſum ad Ioannem ob ſolutionem non arbitraretur? *Sed tempus iam eſt ex tenebrarum iſtarum triſtitia, et obſcuritate, atque ex implicatis tamquam labyrinti flexibus emergere nos, et apertiùs aliquantò propiùsq; inſectari vitium, cuius nos admonet locus, et verba illa, quæ paulò ante recitaui. Video ego, dum congregati ſacerdotes percunctanti Herodi de Saluatoris exortu reſpondent, licet prauitas Regis eorum aſſenſu nonnihil confirmata fuiſſe videatur, minimè tamen ipſos in ea re affines fuiſſe culpa vllius. Ita ſacrorum antiſtites præſideſque nos in grauiſſimis, difficillimisque rebus conſilij ſimul, et auxilij cauſa adimur, dicimuſque ſententias, et reſponſa damus, non prauitate vlla culpaque noſtra, ſed eorum impulſu, qui culpam admiſere. Quamobrem ſuſtineri iudicia inhiberique aſſenſum oportet, ne ob id nomini et famæ ſacerdotum temerè nota inuratur. Hac item prauitate Herodis admonentur omnes, vt refugiant abhorreantque vehementer id ſcelus, quo ſacras confeſſiones eludere nonnulli conſueuerunt. Fraudes et dolos ipſe tibi ſtultè paras, dum fraudem dolumque alteri in ea re facis. Reſpondenſque ſæpe ſacerdos, prout à confitente expoſita res*

eſt,

eſt, rectè, prudenterque facit, neque vanis malitiæ alienæ fraudibus aufertur. Proceſſerat in
Gen. cap. 27. multum aui Patriarcha Iſaacus, plenuſque iam annis, et rectè factorum gloria morti propinquabat, cum vtrique filio ſolenni patrio ritu benedicere ſtatuit, ſicuti plerique veſtrum à ſacris concionatoribus dici, narrarique audiuiſtis. Tunc callidiſſima mente Iacob agnorum pelle maiorem fratrem ementitus, adeo propitiam in eo negotio Numinis indulgentiam habuit, vt iura hereditatis, et primi loci prærogatiuam auferret. At frater Eſau, comperta fraude, in lacrymas effuſus patri ſupplicat, vt ſibi quoque benedicere vellet, motuſque miſericordia paternus animus eſt, vt exporrecta ad filium manu, bona ei multa polliceretur, quæ poſſideret haberetque olim; atque ita benedixit. Non idem tuæ fraudi exitus futurus eſt, violator et impoſtor peſſimè ſacrorum, qui Dei miniſtros, patreſque tuos doloſè confitendo eludis. Multa rerum humanarum bona Auctor, Largitorque bonorum omnium concedit nobis, eaque ipſe arbitratu ſuo diſpenſare poteſt, et diſpenſat omnibus horis: ſed Gratia, quam habitualem docti nuncupauere, donum animæ eſt, quod vbi non poſſidetur, contaminatum eſſe culpis animum oportet, inuiſumque Deo, et abalienatum iure Diuinæ benignitatis, bonorumque

om-

omnium expertem. Ea tam horrenda, et deteſtanda res eſt, vt non dubitem ex hac ipſa concione multos ad ſui defenſionem tacitè ita eſſe dicturos, numquam ſe violaſſe diuina myſteria occultatione culparum, ſincerèque ſemper eſſe confeſſos. His ego reſpondeo, propriè verèque occultari culpas, quoties forma, grauitaſque, et momenta earum, et habitus ipſe animi, quo quis peccauit, occultantur. Veſtrum nunc eſt, ſtatuere ac ſententiam afferre de eo, quod ita vobis notum compertumque eſt, vt nulli magis. Atque hoc ego dixiſſe contentus, cætera relinquo dijudicanda non tam vobis ipſis, quos aliquis fortaſſe decipere error poſſet, quàm Diuino iuditio, quod decipitur fallitur ve numquam. Sed quoniam in huius diei cæremonia, ſacroque ſolenni, quod ad Principes viros, Dominoſque terrarum propriè pertinere videtur, alienum fuerit immorari priuatorum hominum culpis, eaſque tantummodo caſtigare; ideo conuertenda oratio eſt ad eorum vtilitatem, atque diſciplinam, qui diuino nutu cæteris præſunt imperiaque adminiſtrant. His penè quotidianum et familiare eſt vtilitates ſuas, curamque earum tegere ac velare religionis obtentu, eoque nomine, et ſpecie abutuntur ad exequēda et perficienda quæ deſtinauere, præter honeſtum ſæpe, et rectum. Quòd ſi humani

 animi

animi profunda, vaſtos imoſque receſſus maris æquant, Principum ſanè profunditas longè altior, impenetrabiliorque eſt. Itaque eorum vnus ita
Prou. cap. 25. u. 3. *locutus eſt*; Cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile. *Nobis ſanè licitum eſt deſcribere, atque etiam dimetiri Cæli ſedem, terræque libramentum vnuſquiſque nouit: ſed philoſophari circa animum humanum, ac circa Principum præcipuè mentem, ſenſuſque intimos longè difficillimum eſt. Namque iſti ficta, et ſimulata plerumque ſpecie ad fallendum vtuntur, neque facilè quiſquam vnquam deſpexerit conſilia, et meditamenta eorum. Quòd ſi ad aliquē fortè ſacerdotem deuenere, doctrina, et prouiſu minus cautum, atque attentum, hunc maximè decipere ſtudent, nectuntque dolos, quali quondam*
3. Reg. cap. 14. *dam fraude Ieroboami vxor in veſte aliena Prophetam Abiam decipere tentauit, cùm oculorum aciem, et vſum in extrema ſenecta iam ille perdidiſſet. Ita peruerſa ratio ſtatus, imperitandique diſciplina religionis velum hodie aſſumit, itineraque occulta calcat prudentia mortalium ritu, ſicuti tota res ab Iſaia egregiè deſcripta eſt.* Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & in-
Iſaiæ cap. 29. u. 14. tellectus prudentium eius abſcondetur. Væ, qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium: quorum ſunt in tenebris

opera,

opera & dicũt; Quis videt nos, & quis nouit nos? *Peruerſa ſapientia Principum occultauerit fortaſſe prima conſiliorum, arteſque infelices illas: ſed propoſitus denique finis manere in occulto non poterit, atque ad extremum erumpens, animos eorum verecundia, et dolore confundet. Nihil autem propoſitum aliud habent, quàm vt rerum vtilitatumque ſuarum cauſa ſacris rebus abutantur, et ab Dei cultu eas, quò ſpectant, tanquam ab ſuo tramite deducunt. Hæc grauiſſima culpa eſt, auditores, neque quia cæteris culpis occultior fermè ſit, ideo minuitur, atque eleuatur. Antiquiſſimis Eccleſiæ legibus, atque decretis cautum fuit, inſtitutumque eſt, ne ſacrorum apparatus, vaſa, veſteſque, et ornamenta, quæ in aliquo diuinarum rerum vſu fuerant, vllo rei profanæ miniſterio et contactu polluerentur: tantaque circa id religio veterum fuit, vt quidquid miniſterio ſacrorum ſuperfuiſſet, abſumeretur igni, vt extra illius iniuriæ periculum res tam venerandæ eſſent. Nunc verò Principes, et aſſumere, et contrectare, et terere atque conſumere talia volent arbitratu ſuo, nullo myſteriorum reſpectu? Diuinam Arcam Philiſthæi* 1. Reg. cap. 6. *cùm finibus Iſraelitarum admouiſſent, hanc ibi relinquere decreuerunt, ſed antequã id fieret, et currum, quo uecta fuerat, in minutiſſima fruſta*

conciderunt, et boues iugulauere, factoque illo, coniecta omnia in rogum ſedulò cremauerunt. Non decet ex funibus, qui traxere Arcam, necti laqueos, et vincula iſta, quibus terrarum Domini ſubiectos ſuos onerare, et detinere amant. Neque iumenta, quæ vexere Arcam, adhibenda ſunt ad vectandas diuitias, quæ ſub tecta veſtra ex alieno importantur. Diſſoluatur illico vehes illa, ne in parte vlla profani operis eſſe poſſit, poſteaquam ſacro munere perfuncta erit. Offenditur namque diuina Maieſtas, quoties inter impiorum manus ſacra volutantur, ciuſque alta offenſiones exemplum Baltaſſaris epulæ infauſta, et polluta inter illas vaſa præbuerunt. Nam licet Idolorum cultui deditus Rex ille eſſet, vitijſque coopertus, manus tamen, quæ in aula pariete ſententiam horribilem deſcripſit, tunc tantummodo conſpecta eſt, poſtquam ille diuina vaſa

Dan. cap. 5. n. 5. *profano vſu contaminarit*; In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ. *Lucra, et quæſtus, et emolumenta ex templis corradi nefas eſt: exitiumque afferunt diuitiæ conflatæ ex auro, quod Numini ſacratũ*

Marci cap. 11. Matth cap. 21. *fuerat. Eiecit Templo Saluator inſtitores, mercatoreſque omnes, propterea quòd ſacra profanis miſceri ſacrilegum eſſet. Atque in ea re ſingulare,*

lare, et admirabile illud occurrit, quòd cùm mercimonia illa rerum tantummodo eſſent, quæ ad ſacrificij, et templi vſum pertinerent, ſicuti Theophylactus, et Beda affirmant, adeo grauiter tamen increpita turba illa fuerit. Eius grauiſſimæ reprehenſionis cauſa fuit hæc, quòd exigui lucri cupiditas, frauſque nonnulla vendentium, atque ementium contaminaret animos in Diuini templi puriſſima ſede, quam ad negotia mortalium traduci nefas erat. Vobis quoque enim verò, Principes, diuini Regis aula nuſquam ſubeunda eſt alia mente, quàm cæleſti et diuina, neque latebræ ibi quærendæ ſunt ad ea tegenda, quorum dedecus, infamiamque timetis. Itane verò Diuinam benignitatem in partem vllam rerum veſtrarum ſperare iuuabit? Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborē in iniquitatibus tuis. *Non ſolum ſacrificandi morem omiſiſtis, donaque iam nulla offertis mihi, ſed graui pondere rerum culparumque veſtrarum vltro me oneraſtis, ita vt fatigatus, et oppreſſus penè ſuccumbam. Taliſque interdum ſermo impiorum eſt, falli abſurdè eos, qui dicant, factis, nequitijſque ſuis, quas odere aduerſanturque omnes, onerari poſſe Deum. Cur terra non intremiſcit huiuſmodi vocibus: cur non offunditur caligine Cælum? Non ſatis ſunt*

Theoph. & Beda in Marc.

Iſaiæ cap. 43. u. 24.

ad

ad libidines prata amœna, fonteſque pellucidi, et deliciæ vmbrarum: non ſatis ad ſuperbiam ſeptra, et diademata, et purpura: non ſatis ad iras vincula, compedeſque: non ſatis ad auaritiam profunda maris, viſceraque montium, ſed ſordibus, indignitatibuſque iſtis immiſcere Dei nomen ſpeciemque religionis volunt. Numquam ſuam peccandi ſitim explere iſti, ac ſatiare poſſunt, niſi ad peccandum, præter terram, quæ ſcelera eorum ſuſtinet, abutantur Cælo, aereque ipſo, gemmis item, et auro, et hominibus alijs, et ſuo ipſorum corpore, ſenſibuſque ſuis, et Dæmonum quoque miniſterio, quos fidiſſimos ad omnia ſatellites habent. Sed et maieſtate quoque templorũ abuti lubet, ſacerdoteſque, et aras, et ſacra, et Deum denique ipſum quaſi vocare conantur in ſcelerum partem. Non diutiùs, auditores, differri poſſe videtur iuſta vltio in iſtos; et mox illa aderit, iamque appropinquat. Expectent debitas ſibi pœnas, non diutius iam toleraturo Numine tam indignum et graue pondus, tamque alienum miſericordia, qua ſuſtinet mortales, vt agnoſcant, adorentque ipſum, non vt fraudibus iniurijſque offendant. Acriùs atque atrociùs dici iſta fortaſſe videntur, ſi communem imperitantium conditionem animumque ſpectemus, qui non ſolum argui reprehendique nolunt, ſed grauiſſimè offen-

duntur

duntur etiam, ſi quis tacitè ipſos aliqua mala ſuſpicione reſtinxit, culpave vllius affines credidit eſſe; qua in re Numinis ipſius bonitatem ſibi vſurpare velle videntur. Non ſolùm contumelioſa dicta pati nequeunt, ſed ne laudes quidem, niſi immodicas, atque effuſas: voluntque permitti ſibi peccandi licentiam tamquam mortalibus, et mortalium officia fungentibus, ſed vtì mortales reprehendi abnuunt. Quamobrem, conſtare ita poterit, vera me de iſtis eſſe locutum, atque ad eorum ſalutem iſta pertinere, quæ dixi. Nam alioqui non adeo vecors infelixque eſſem, vt ſi nullum operæpretium viderem, dicturus fuerim ea, quæ Principibus viris diſplicere poſſent, atque eorum in me odia fortaſſe concitarent. Ideo, quò iuſtior eſt mihi cauſa ſilentij, eò magis mirum videri poteſt, quod ita loquar; ſitque hoc non ſecus atque ſi natura iniuria impeditus ad linguæ facultatem, repente ſolutis et ruptis diuino miraculo vinculis, ex muto et elingui vocalis fierem. Fit hoc diuino munere, vel ad eorum vtilitatem, ad quos hæc oratio ſpectat, vel ad contumaciæ pœnam, niſi emendati erunt. Quorum vtrumque cùm ita ſit, quàm attentè, quamque beneuolè accipi ab ipſis hæc mea dicta oporteret? Hoc certè affirmare poſſum, nihil aliud in hoc arguendi et monendi officio propoſitum mihi eſse,

quàm

quàm vt ipſi oratione mea, vel feliciores fiant, ſi meliores facti erunt, vel certè calamitates ſibi imminentes euitent.

DE CVPIDITATE INSITA animis cognoſcendi veri.

CONCIO XIV.

Matth. cap. 2. *STATIM vbi Herodes reſponſa accepit, quæ Principes ſacerdotum, et populi Scribæ pronuntiarant, clam ad ſe Magos exciuit, percunctatuſque eſt, quo tempore noua ſtella ab Solis ortu refulſiſſet.* Prouer. cap. 1 u. 10. & ſeq. *Ne crediderit aliquis improuidè nimiùm ac facilè ſermonibus improborum, quos illi melle dulciores interdum fundunt. Eorum namque dicta, inceſſuſque omnes haud aliò tendunt, quàm vt plurimum humani ſanguinis fiat; neque vnquam illi conquieſcunt, niſi facinoris, damnique alicuius illati palmam tulere.* Prou. cap. 4. u. 16. *Quaſi ludibunda improbitas exequitur deſtinata ſui furoris, venenata ſimulatio amicis ſuis ita ſtruit dolos.* Ibid. cap. 10. u. 23. Ibid. cap. 11. u. 9. *Ideò, in percunctatione facta per Herodem, non ſolùm nuda verba ſpectanda ſunt, ſed animum præcipuè ipſis attendi ſpectarique oportet ex fraudibus, doliſque conſtatum, quo animo ita agere, et loqui inſtituit, cùm multa ſimul, et varia hu-*

mana

mana prudentia ritu agitaret. Remotis arbitris, allocutus eſt Magos, ne noui nati Regis famã apud Scribas, Phariſæoſque affirmaret, ne trepidam iam Magorum aduentu plebem nouo metu exterreret, ne incerta adhuc rei famam augeret, ſimul vt promptiùs liberiùſque eliceret Magos, nullo alio præſente, qui dicta eorum exciperet, demum, vt probè comperta re, faciliùs exequi poſſet ea, quæ ipſe deſtinabat. Sed præter interpretationes, et meditamenta, quæ attuli, factæ clam ab Herode percunctationis, illud præcipuè conſilium fuiſſe arbitror, quòd Principum omnium fermè ritu, vitare voluerit omnia, per quæ cogi poſſet id patefacere, atque aperire, quod verum eſſet, unde refugiunt iſti ſemper, quoties veritate patefacta, damni ad ſe nonnihil peruenire poſſe ſuſpicantur. Hinc illa perpetua ſimulandi, et diſſimulandi conſuetudo, tegendique ſemper aduerſa omnia, ac, ſi fieri poſſit, diuina quoque iræ tela occultandi. Huc ſtolida prudentia Pharaonis proceſſit, quem credibile eſt, per incantatores ſuos eadem miracula obijcere voluiſſe populo, quæ per Moyſen à Deo facta erant, vt ita crederent vulgò, exiſtimarentque omnes non ira aliqua cæleſti, ſed ſponte naturæ illa accidiſſe, quæ patiebantur. Sed cùm irrita pleraque incantamenta caderent, neque Diuini Moyſis Exodi cap 7. 8. 11. & 12.

Z z omnia

omnia miracula effingere vanitas illa poſſet, vim potentiamque diuinam fateri coacti, dixere liberè
Exodi cap. 8. u. 19. *Pharaoni;* Digitus Dei eſt hic. *Id fuerat dixiſſe: nihil vltra efficere noſtræ artes poſſunt, et tegendæ veritati deſunt nobis vires. Perditus ille tamen adeo cupidus erat opprimendæ veritatis imperij cauſa, vt minimè credere vellet hominibus, qui ſapientiſſimi habebantur. Haud aliter*
1. Reg. cap. 15. u. 30. *etiam Rex ille Saul, audita denuntiatione Samuelis, cùm tot ſibi imminentia mala videret, id vnum ſtuduit, atque egit, vt apud populi ſeniores honor ſibi haberetur. Oblitus miſer et Regij faſtigij, ex quo cadebat, et cæleſtium dirarum, et manifeſti, perpetuique dedecoris, ad artes tantummodo ſolitas reuoluitur, et ſimulationum arcana vrget, ac tentat. Non igitur iuſta aliqua de cauſa, non religione vlla, non adorandi ſacrificandique ſtudio perſidus Herodes de nouo Rege inquirit. Sed tantummodo, quia numquam niſi in veritate conquieſcit animus humanus. Hic cibus, hoc alimentum animo eſt, id vnuſquiſque natura appetit, auidiſſimèque perſequitur ſtatim, vt prodijt in lucem. Hæc veritas illa eſt, Mediolanenſes, quam lumine interiore curioſius auidiùſque ſectamur, quàm quanta corporis oculis dulcedo eſt adſpiciendi lucem alteram, quæ deſuper manat. De qua quidem naturali appetitione*

veri

veri neminem vnquam arbitror ſapientiùs egiſſe, quàm diuinam mentem Auguſtini, qui cum Beatarum mentium vitam dixiſſet, fructum quendam eſſe, quem ex perfecta notitia veri conſequuntur, demum ita ſubiecit; Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam, quæ ſola beata eſt, omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. *O mentes, et pectora humana, quibus tanta cupiditas, et dulcedo ineſt cognoſcendæ veritatis, cur non flamma, ardoreque eodem exquiritis rerum earum notitiam, quibus veſtra ſalus continetur? Longinqua terrarum aditis, arcana terræ perſcrutantes: ſcanditis mente Cælum ad contemplanda miracula illius, atque ad ſalutem veſtram interim cæci prorſus viuitis. Ecquando tempus illud aderit huic notitiæ deſtinatum, quo exquirere incipiatis, an Chriſtus in veſtro pectore natus ſit, vbi ſtella fulgeat, vbi quærendus ille, atque adorandus? Quot annos vita tua iam emenſus es, infelix, quot menſes, hebdomadasque, et dies, et horas? Neque ſpatiũ et momentum inde tamen vllum ad tuam ipſius ſalutem reſeruare ac ſeponere ſtuduiſti. Huius tuæ culpæ partem non amici, non natura, non vitæ caſus, non illa, quæ ſtultè nominatur fortuna, ſuſtinere poteſt: ipſe tibi malorum artifex impedimentumque ſalutis es. Sed quoniã quantò*

S.Auguſt.lib.10. Conf.cap.23.

grauior hæc à me culpa demonſtrata erit, tantò magis augebitur, niſi reſipiſcas, ideo neſcio, an omitti rem, neque plura dici expediat. Videmus veterno demerſos expergiſci tandem, tu verò veternum iſtum excuties numquam? Obliuio pertinentium rerum ad ſaluté comparandæ mihi eſſe videtur non cladi, quæ inter prælia multo partis vtriuſque ſanguine accepta ſit, ſed dedecori ac turpitudini illi, cùm, ne tentata quidem pugna, conceditur victoria hoſti, et conditiones illico omnes accipiuntur. Manus illa, quæ Baltaſſari Regi obiecta, figuras litterarum in pariete deſignabat, quid ſcripſerat tandem? Notæ nonnulla fuerunt, quarum ſenſum explicare ferè nullus poterat. Poterant ne illæ non denuntiare triſtia et infauſta aliqua Regi? Poterant ſanè. Immo ſi tempus, et locus, et celebris conuiuij lætitia ſpectaretur, potiùs læta, quàm ſiniſtra rei vaticinium illud accipi potuit, tamquam latens in proximo fortuna ita Regi aperiretur. Ac ſi infortunij etiam alicuius prænuntiæ notæ illæ fuiſſent, fortaſſe res meliùs cadere potuerat, ipſaque denuntiatio malorum intra minas terroremque ſtetiſſet. Attamen conſpecta illico manu, turbatur animus Regis attonituſque pauore Rex ſtetit: pallor ore diffuſus, rugæque frontis, et trepidatio manifeſta fluctus, molemque pertubationum

num

num pectore illo ſauientium teſtantur. Intremiſcit artubus, languet brachijs, labat genu, poplitesque tremore conflictantur, ac veluti animam ageret, edito gemitu, accurrite, inquit, familiares, accurrite, amici, ſapientes, diuinatoreſque omnes accerſantur, qui mihi pandant myſteria ſenſumque litterarum, quas in pariete video deſcriptas. Si quis verus interpres exiſtat, huic purpura, et aurum, huic apud me gratia locus, huic ampla omnia parata erunt. Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Exclamauit itaque rex fortiter, vt introducerent magos, Chaldæos, & aruſpices. Et proloquens rex ait ſapientibus Babylonis: Quicumque legerit ſcripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in Regno meo erit. *Scribit vtique, ſcribit in ſapientia ſua codice æterno ſupremus Iudex: tuque, peſſime peccator, ante omnes, vides optimè quid ille ſcribat, præmia, ſiue pænas. Neque tamen manum hanc, ſcripturamque perhorreſcis, quæ continens et perpetua eſt, et ceſſat numquam? Non tu notas illas figuraſque litterarum reſpicis; non arcana tui pectoris,*

Dan. cap. 5. num. 6. & ſeq.

non

non denique repetes quaenam illa verba exitium tibi vltimum ferant, contineantque ſententia aeterna triſte carmen? Tua quoque ipſius conſcientia ſcribit omnibus horis, ſcriptoque iſto vel ſalus tua, vel damnatio ſempiterna continetur. An ſomnia, nugaque, et fabula iſta ſunt, quas tibi canimus, infelix, quaſque attendere, et didiciſſe debes? An ludibria vanarum mentium hac ſunt, et anilia deliramenta, imagineſque vana? Etiam ſi ſomnia hac eſſent, ſolicitum te eſſe de interpretatione oportebat. Cogitate quaſo, quàm anxiè Rex alter exquiſiuerit nocturna ſua quietis myſteria, et vim occultam. Inſpicite, obſecro, librum, ibique videbitis, quemadmodum Rex ille nullam partem quietis inuenire poſſet, ideo quia dubia quadam et obſcura per quietem vidiſſet. Spicarum item, bouumque ſpecies oblata Pharaoni nonne fuerat adeo horrenda res, vt tremulus, attonituſque ille ex vniuerſa Ægypto ſapientes congregare debuiſſet? Quid igitur ita fit? Inſita cupidine veri pernoſcendi, qua cupido numquam niſi cum noſtra ipſorum vita extinguitur. Quòd ſi ad ea, qua ſalutem noſtram continent, par cupido eſſet, ſtudiumque veritatis, non toties ſacra Littera ſtultitiam improborum notarent, qui tamen ad humana omnia nimio plus oculati acerrimè, et perſpicaciſ-

Dan. cap. 4.

Gen. cap. 41. u. 8.

non ſimè

ſimè vident. Quapropter Diuina Sapientia nos vehementiſſimè monet, vt in ſalutis noſtræ negotio perſpicaces eſſe velimus; eaque demũ vera ſapientia appellatur; Audite diſciplinam,& eſtote ſapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. *O portas diuinas bona omnia aperientes afferenteſque ſecum! O vigiliarum fructus vberrimos, vnde quies æterna datur!* Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam. *Hic theſaurus mentis eſt, huius ſupremæ ſcientiæ lumen cum omnibus eſt liberaliſſimè communicandum. Ideo alibi legitur;* Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos: ſcribeſque ea in limine, & oſtijs domus tuæ. *Legem ego hanc in pectore, cordeque et mente tua deſcriptam eſſe volo, carmenque legis huius tua etiam fronte præferri placet. Hanc filijs tuis, et proli, quæ ex te naſcetur, narrabis, domique ſedens, foriſve ambulans*

Prou. cap. 8. u. 33.34. & 35.

Prou. cap. 2. u. 4.

Deut. cap. 6. u. 6. & ſeq.

laus hanc meditabere. Hoc inſigne frontis, hic in ædium limine titulus, hæc ſemper oculis obiecta ſpecies erit. Videtis igitur, auditores, quanta ſit vecordia eorum, qui neque de legge diuina, neque de Saluatoris exortu, neque de noui ſideris luce cogitant vnquam? Non ita Magi, non ſic Herodes, qui licet mala mente, maloque animo ſtuduit cognoſcere, an Chriſtus natus eſſet, quidve de illius in terras aduentu credendum ſibi eſſet, inueſtigando, et percunctando quæſiuit. Sed occultè fortaſſe, clandeſtiniſque artibus id ipſum exquirere voletis, tamquam palam, atque apertè non liceat. Sanè Principi viro minimè honeſtum eſt cogitare de ſalute, viaſque in omnium conſpectu tentare ſalutis. Sanè, inquam, humiliora iſta ſunt, faſtigioque Principum, et Regum indigniſſima cura; et Cælum denique ipſum et Regna ſempiterna pauperes tantũ, obſcuroſque expectant Euangelij aſſeclas: cæteris clauſa illuc via eſt, aditusque negatus. Si rationis lumine orbati, defectique eſſetis, non aliter argui reprehendique deberetis, quàm quomodo arguitur ſic vecordia veſtra et damnatur. Non ego poſtulo hoc, Mediolanenſes, vt nobiliſſimi, clariſſimique ciuitatis huius intra ſacrata clauſtra ſe abſtrudant: non cilicium illis, non quotidiani victus aſperitatem, non peregrinationes iniungo ali-

quas,

quas, vt longinqua, et ſolitaria loca adeant: tantùm illud poſtulo, vt vel publicè ac palam, vel clam et occultè ſtudeant notitiam Numinis aſſequi, quantacumque contingere homini poteſt. Occultè inquam, ad eum modum, quo Nicodemus nocturno tempore ad Chriſtum acceſsit, talemque fuiſse ſermonem eius, ego exiſtimo tamquam diceret. Magiſter, et domine mi, adſum hoc tempore, non ſolum nominis et rerũ tuarum fama inductus, quæ terram Iudæam latè peragrauit, ſed ſtudio etiam videndi meis oculis, et ſpectandi miracula, quæ nullus vnquam patrare potuiſset, niſi præſens ei adeſset Numen: ideoque certiſsimè credo, verum et vnicum Magiſtrum Iſraelitarum te eſse. Huius ego Nicodemi ſimiles cupio eſse illos, quibus ob claritudinem generis, obſequia erga Chriſtum rubori eſſe ſolent. Qui ſi diſcipuli Chriſti publicè eſse recuſant, annuant ſaltem, vt occulti fideliſque diſcipuli eſse velint. Confugiant ad confeſsarios, benignè faciant pauperibus, cæteraque ad ſalutẽ neceſſaria obire incipiant: ac ſi conciones frequentare nollent, liberum, et ſolutum hoc per me habebunt. Quòd ſi etiam inter ſolennia hæc ſacra Templum hoc intrare nollent, vt audiant me concionantem, id quoque remitto lubens ac volens, dummodo intra ædium ſuarũ ſecreta rectè,

Ioan. cap. 3. u. 1.
Ioan. cap. 7. u. 50.

Aaa ho-

honeſtèque agant. Sumite animos, viri nobiles, quandoquidem nobili loco natus olim aliquis, cùm ob metum latitaret, occultuſque ſectator Euangelij eſſet (is Ioſephus ab Arimathæa fuit) meruit illud cæleſte munus, vt Chriſtum ipſum inter vlnas habere poſſet; linteoque inuolutum ipſius corpus tumulo mandauit. Vellem, circumſpectis ſedulò omnibus, eligeretis denique vnum confitendi cauſa, atque ſecretis cum eo colloquijs de animæ veſtræ ſtatu deliberantes, cuncta pectoris arcana depromeretis, nec ſine lacrymis, et ſuſpirio aliquo talia diceretis. En magiſter, et pater, quæ mihi tandem via ſalutis relicta eſt? Feras opem, precor. Dudum eſt, cùm inter flagitia viuere cœpi: iamque tempus emergere ex cœno iſto: colloquia iſta, remotas atque abditas vobis aliquas eſſe ſedes, et ſecreta loca velim, in quibus item locis, et ſedibus, tum precandi, tum conſcientiæ excutiendæ cauſa, veſtrum vnuſquiſque latitaret. Hoc ego cupio, iſtud optaui ſemper; et donec vita hæc manebit, numquam optare deſinam. Auditis iſta, ſorores, et filiæ Chriſti: ſed audiatis quæſo etiam id, quod nobilis et honeſta matrona intra domeſticos parietes ingenti ſpiritu facere inſtituit. Hæc Iudit fuit illa tam celebri inter ſacras Litteras nomine, factis ſuis inclytis molita ſalutem gentis vniuerſæ populique He-

Matth. cap. 27. u. 57. Lucæ cap. 23. u. 50. Ioan. cap. 19. u. 38.

Hebræorum. Hæc poſt viri Manaſsis finem, vidua relicta, cùm ſecum ipſa agitaret quonam modo conſeruare in poſterum et tueri poſſet magnam, honeſtamque famam, quæ latè vulgata erat, in altiſsima ædium ſuorum parte conclaue ſibi vacuum fecit, atque ſecluſit, intra quod vnà cum ancillis abdita, opertaque cilicio, inter preces, et ieiunia vitam ageret. Forma erat eximia ſic, vt nihil ſimile in terris haberetur: opes in viduitate ſummas obtinebat; numeroſa familia, prædiaque, et armenta ſupra modum, et flos ipſe ætatis. Hæc noſtra miſera ætate infeliciqne æuo, quæ tandem impedimenta poſſent eſſe, ne vlla fœminarum generosè ita præclarèque ageret? Impedimēta poſſent eſſe hæc. Integra, florenſque ætas, mos communis, conſuetudoque æqualium, forma excellens, diuitiæ ingentes, familiæ ſplendor, et marito extincto, libera, ſolutaque omnia, ipſaque dulcedo libertatis. Atqui his ſatisfuerat continere ſe domi, neque vagari per compita ſemper, nec epulas, nec aliena conuiuia frequentare, nec gemmis, auroque oneratas conſpici. Illa tamen ætate florens, diuitijs affluens, genere, ſtirpeque princeps, raræ pulchritudinis, arbitrijque ſui, non ſolum modeſtè vitam inſtituit, ſed ieiunijs, et ſolitudini, precibuſque dedita, corpus inſuper cilicio macerarat. Tunc in media frequentia locum ſibi

inuenit, in quo tamquam in ſolitudine moraretur: alebat aſperitate, et rigore vitæ formam, ieiuniorumque triſtitia intra potentiorum limina ſuperba recipiebatur, ibique ciliciјs et humillimo veſtitui honos erat. O ſacras veſtes tali corpore dignatas! O membra inimica delicijs molliorique veſti! Neſcio caleſtiane hæc, an humana ſpolia dici debeant. Neſcio celauerint ne matronam illam oculis mortalium, an in eorum conſpectu conſpicuam magis, illuſtremque formam eius faceret. Quantus debuit eſſe atri illius cilicij ſplendor circũ ſacrata illa membra refulgens? Quantus ad oris lineamenta decor accedebat, dum gradum ipſa faceret, incederetque; quanta lenitas oris illius in rudi illa, obſoletaque veſte? Huius ego cubiculum antepono veterum theatris, quò inferentes Reginæ pedem, purpura, gemmiſque onuſtæ, non tam conuertebant in ſe oculos, quàm matrona iſta inclyta reſpuens artis ornatum, et ea ipſa, quæ Natura dederat, ornamenta tegens vltro, atque obſcurans. Quòd ſi femina vna vitro fragilior, mobili animo, ſenſibuſque infirmis tantum roboris aduersùs humana oblectamenta habere potuit, vt pelleret ea, et abijceret, quid tandem faciendum erit viris ad magna opera natis, longèque ſexum alterum robore et mente ſuperantibus? De Christo hodie exquiritur: tuque

ſo-

ſopore demerſus iaces? Exquiritur veritas: tu mendacia, falſaſque opiniones ſectari pergis? Cupit vnuſquiſque diſcere, vt auctior fiat: tu tantùm ſectaris inſcitiam, atque amas? Eſto veritatis inimicus, niſi Herodes ipſe diuerſum tibi exemplum prabet. Eſto Chriſti ſedulus indagatur, ſi Herodis exemplo ad id vocaris: in occulto ſaltem quare Chriſtum, ſi tyranni etiam, et impij ſic quarunt. Sanè qui tenebras, dum viueret, tantopere amauit, hunc poſt mortem damnatum eſſe tenebris ius, faſque eſt; ſectatorque mendacij, mendaciorum patri et auctori hoſpes perpetuus eſſe debebit; adſpernatuſque ille pertinaci animo bona omnia, ſalutemque ſuam, cumulo miſeriarum ſempiterno, neceſſe eſt, crucietur, atque torqueatur.

IN

IN DIE

RESVRRECTIONIS Domini.

DE COMMVNI GRATVLATIONE ob redinuium Saluatorem.

CONCIO.

S*ANE poſt diuturna ſilentia longamque quietem moueri linguam hanc meam oportet admiratione ſimul et lætitia in verba hac;* Quis loquetur potentias Domini? *En prodit gloria Rex, qui ſplendores induit nouos, ſtatque in conſpectu noſtro. Quæ ſpolia relata de hoſte, quanta nobilis triumphi ſpecies offertur? Vbi nunc turbæ tumultuantes: vbi rabies inſana Iudæorum: vbi catervæ minaces: vbi ſuperbi magiſtratus: vbi Pontifices impij: vbi Iudices iniqui: vbi excubiæ: vbi arma ad vim inferen-*

Pſalm. 105. 2.

dam,

dam, propulſandamque ſimul? Populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. *Furioſa cœpta tandem exitum ſuum habuere, iamque rei finis adeſt ille, qui denuntiatus fuerat*; Qui habitat in cælis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos. *An verò armis id, ferroque, et ſtructa aduerſa acie factum eſt, ſiue auro, vique deliciarum, qua mentes humanas traherent auferrentque ſecum? Sanguine, vulneribus, et nece factum eſt: granumque tritici exquiſitiſſimi iſtud tellure conditum, abſumptumque cruciatibus, diuinam atque multiplicatam meſſem ſua frugis reddidit. Ideo Iſaias miraculo huic nomen dedit, vt non hominum, ſed potentiſſima diuina dextera opus appellaret*; Opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. *Cælum et Cæleſtia cuncta, et elementa, quibus Natura vniuerſa continetur, quave Naturam continent, ipſe condidit, cunctaque creata, ſic alta voce profitentur*; Ipſe fecit nos, & nō ipſi nos. *Attamen ſi Incarnationis diuina opus et magnitudo myſterij, quo Diuinitas ipſa mortalitatem induit, ad catera Numinis opera comparetur, hoc ſuper omnia verè proprium opus ipſius dici debet. Atque ne admiratione rei tantùm*

Pſal.2.u.1.& 2.

Ibid. u. 4.

Iſaiæ cap.5,u.12.

Pſal.99. u.3.

Digitized by Google

tùm noſtra meditatio conſumatur, etiam lætitias ingentes inde haurire nos oportet: verèque dicere ego poſſum, geſtire hodie Angelos, menteſque iuſtorum, neque Solem, et ſtellas tantummodo ſoluto magis fulgere, ſed terram etiam à centro ſuo, imaque et media regione, pulſis hodie tenebris, illuſtrari, corpuſque noſtrum, et membra hæc, et ſenſus, et oſſa, et conflatum hoc atque coagmentatum ex puluere cœnoque pectus, noua incredibilique luce compleri. Hodie vita mortalium triumphat, atque in dulcedinem hilaritatemque reſoluta Natura humana omnis, dat huiuſmodi carmen; Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei. *Hìc miſceri videmus terra Cælum, atque tam diuerſa inter ſe iſta coniungi, intereadum ob felicem hunc euentum, plenumque myſteriorum numquam priùs audita illa dicuntur*; Palpate, & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet. *Ad mirificum vocis huiuſce ſonum obſtupuere Angeli, ordineſque Cherubinorum, et Seraphinorum tali auditione nouas concepere flammas amoris erga Deum, et erga Naturam humanam ſimul. Spiritus namque illi ſplendorem ſanè, agilitatemque inſitam habent, nec pati quidquam poſſunt, nec vlla illis loca clauſa ſunt, quominus penetrare ac permeare cuncta poſſint arbitratu ſuo,*

Pſal. 27. n. 7.

Lucæ cap. 24. n. 39.

ſed

ſed nulla corporis et materiæ concretio illis, membraque nulla ſunt; hodieque videmus inuſitato more, nouiſque legibus terram vſurpare dotes Angelorum Mentiumque Beatarum. Iob ille antiquus philoſophica penè ſubtilitate Naturæ humanæ conditionem ita deſcripſerat; Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodē ſtatu permanet. *Verùm inhiberi ac ſiſti orationis tuæ curſum oportet, ſanctiſſimè Iob, atque pronuntiata iſta communiter, et latè, certis nunc circumſcribenda finibus, atque cogenda intra terminos ſunt. Homo hic ab muliebri vetero egreſſus, cui tam anguſta vitæ ſpatia per te definiuntur, vitam alteram adepturus eſt gloriæ plenam, ſempiternam atque immortalem. Miſeriæque plurimæ, vel potiùs infinitæ eius honoribus, gaudijſque mutabuntur: atque renaſcetur deciduus iſte flos: vmbraque hæc æterna lux fiet: non fortunæ temeritas, non viciſſitudo temporum, non humanæ fraudes hominem hunc attingent, ſed ſtabili, alta, æternaque pace perfruetur. Solennia celebritatemque diei huius lætitia totam occupauit: nullus in ea locus luctui, dolorique eſt; qui duo motus, lætitia nimirum, et doloris, ferè ſemper coniunguntur, atque permiſ-* Iob cap. 14. u. 1. & 2.

Bbb *cen-*

centur in animis noſtris, quoties ad ſolennia cætera celebranda vocati ſumus; atque rem ego ita contemplor. Natalis Chriſti dies habet incommoda multa, frigoris rigorem, plenaque omnia paupertatis: Diuini Spiritus aduentum turbarũ furor atque tumultus ille inſanæ multitudinis inſequitur: in Cælum aſcendente Chriſto, theſaurum, honoresque ſuos terra amittit. Ab celebritate autem hodierna lacrymæ, ſuſpiriaque prohibentur. Ac ſicuti Sol exortu ſuo, quacumque protulit lucem, tenebras pellit momento vno: ita Chriſtus ab tumulo prodiens, tamquam ab exortiua regione, caliginem omnem mæroris pellit pectore animoque noſtro, quamuis mœror, et deſperatio ibi priùs ſediſſet. Sed timeo, fratres, ne pectorum, animorumque veſtrorum receſſu, et centro noctem adhuc obſcuram circumferatis, ita vt in communi hac Eccleſia gratulatione magnopere deplorandi ſitis. Neſcio, an Mundi totius vita reuiuiſcente, veſtra quoque vita renouata ſit. Quæ ſi renouata eſt, fac, obſecro, videam nouæ Gratiæ ſplendores, dilapſa vincula peccati, quæ te aſtrictum tenebant. Fac videam diſiecta et aperta, exhauſtaque ſepulchra flagitiorum tuorum. Sed ille quoque timor angit animum meum, ne ſpirans adhuc et viuens appetas vltro mortem extinguique cupias: adeo vitam odiſti,

in-

interitumque amas. Et ſunt fortaſſe de vobis aliqui, in quos non ſine ſuſpirio ita dici poſſit. En vt Gratia aurum viuido, natiuoque ſuo ſplẽdore radiorumque lenitate priuatum elanguit? En vt virtutum colores euanuere: nec iam priſtinus illis vigor, et pars vlla pulchritudinis reſidua eſt? En vt ſanctuarij lapides, hoc eſt animæ fidelium, quæ paulò antea coagmentatæ et compoſitæ, ſtructuram cæleſtis Templi mirificam exhibebant, ſparſi nunc, atque diſſipati per compita, et fortaſſe per loca inhoneſta iacent? En vt proles inclyta Sionis auro puriſſimo, gemmiſque ſplendidior olim, nunc velut fractæ et comminutæ teſtæ contemnuntur, vileſque habentur? Depingat vnuſquiſque ſibi, obſecro, faciem imaginemque hanc, tamquam hæc vniuerſa concio gemmis omnibus cooperta ſit, quas Oriens, quaſve Occidens mittit: inſuperque depingite vobis vultus, et ora ſingulorum ea ſpecie, et fulgore, tamquam ſimulacra, formaſque Angelorum, nõ figuras hominum referrent. Quid in terris huic pulchritudini ſimile eſſet, quæ ſpecies et forma tanto ſplendori comparanda eſſe videretur? Subijcite deinde vobis ante oculos hanc eandem multitudinem poſt aliquantum temporis contaminatam, atque conſpurcatam: vlceroſos, et cæcos, elephantiacoſque, et verbo vno ſpirantia ca- Thren.cap.4.u.1.

Bbb 2 dauera

dauera vnuſquiſque imaginetur. Quantus horror, quantaque mœſtitia occuparet intuentes cohortem hanc, exercitumve tot humanarum calamitatum? Talis vtique ratio eſt animæ, quæ ab Gratiæ ſtatu ad peccati deformitatem, labemque tranſgreditur. Tantòque fœdior iſta commutatio eſt, quantò animi, quàm corporis, ſiue ſpecies, et pulchritudo, ſiue deformitas maior, notabiliorque eſt. Tu tamen neque vides iſta, neque intelligis, nec me dicentem, atque monentem audire potes. Ritus hic fuerat Hebræorum inter Paſcha ſolennia mandere voraciter Agnũ, idque diuino iuſſu ab ipſis fiebat. Nunc verò voracitas ingluuieſve illa procul ab noui Paſcha ritibus abdicanda eſt, flagitiumque multi hoc admittunt, vt puriſſimum Agnum prope manducent abſque cura, et cogitatione vlla: temerè ita, et fortuitò ad Dei menſam accedunt, potiùſque dixeris, quaſi iumenta in pabulum ire, non quaſi puros pioſque homines obire myſteria. Inde verò fit, vt vel Gratiam minimè accipiant, vel acceptam illico deperdant, et tamquam in contermina Ægypto regione commorantes, illuc redire meditentur. Cum promiſſa olim terra Hebræis vicina magis Ægypto eſſet, quàm ſolitudines et deſerta illa, per quæ iter confecere: voluit tamen Deus id iter per ſpatia longiſſima Exodi cap. 12.

ex-

extendi, vt quò longiùs ab terra Idolorum cultrice receſſiſſent, eò difficilior reditus daretur illuc, vnde diuino nutu egreſſi erant, ambagibuſque et flexibus illis altiſſima ratione Numen id agere voluit, vt nutantes adhuc infirmoſque animos multorum, iniecto Ægyptiæ ſeruitutis terrore, contineret. Hoc igitur, hoc diſcrimen vobis imminet, auditores, ne ſcilicet in culparum admiſſarum confinio ſtantes adhuc, illuc iterum mens veſtra relabatur. Quàm properè, quàm citò multi veſtrum obliuioni tradent, et myſteria Chriſti reſurgentis, et ſplendores, et Angelos, et ſepulchrum, et funebria velamenta, et quod maius eſt, veram Chriſti carnem purpureasque plagas. Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius: & non ſuſtinuerunt conſilium eius. *Ita de obliuioſo populo dictum eſt, qui ſtatim ex animo ſuo memoriam obliterauerat miraculorum, et aquarum, et victoriarum, triumphique terreſtris, et maritimi ſimul, et belli. Mirifica hæc citò oblitus eſt animus ingratus Hebræorum: et vos quoque igitur ad damnatas Ægyptiacas dapes redituri eſtis? Duram peccandi ſeruitutem non horretis adhuc? Cæleſtem Agnum antiquo Hebræorum more voraturi eſtis? Et animæ veſtræ clara facies deformitatem obſcuritatemq; cōtrahet? Potiùs optet vnuſquiſque veſtrum animi*

Pſal. 105. v. 13.

Exodi cap. 14. v. 18. & cap. 15. v. 5.

mi ſerenitatem ad diem illam, quæ puriſſimæ voluptatis plena erit, nec animi ſolum, ſed ſenſuum, et corporis carniſque noſtræ. Studeat vnuſquiſque retinere, et conſeruare nouam vitam, quam Chriſtus morte ſua donauit. Cupidusque tranſeundi à Gratiæ miraculis ad Gloriæ miracula, ſtudeat præſentes delicias coniungere æternis.

Digitized by Google



IN DIE ASCENSIONIS Domini.

DE GRATVLATIONE *Ieroſolymæ Cæleſtis*.

CONCIO I.

ASCENDIT Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ. Pſalm. 46. u. 9.
Hæc eſt huius diei celebritas, diei fauſtiſſimi, lætiſſimique ob magnum triumphalemque verè ſucceſſum. Sed Cælo ne, an terris hæc magis gaudia conueniant, haud equidem facilè ſtatuere, ac definire poſſem. Nam terris, et Mundo minimè eſſe lætandum videtur, cùm ſummum illud decus hodie abſcedat, cuius decoris præſentia per tot annorum ſpatium frui conceſſum fuerat; cùmque ſimul ſpolia illa auferantur; quæ licet corporis oculis non cerne-

ren-

rentur, fidei tamen lumine nota erant, atque in terra viſceribus imis, hoc eſt in Limbo habitabant. Sed ne Cæli quidem hæc propria lætitia, triumphusque eſſe videtur. Namque ſalutis opus à Christo patratum, ad Angelos non pertinuit, non triumphi fructum illi præcipuè ſenſerunt, neque ipſorum cauſa præſertim, illuc Saluator conſcendit. Quæ autem lætitiæ cauſa, quive Cælo honos accedebat, cùm terra Cælum hodie veluti ſubmitteret faſces, atque ad terram ipſam penè
Act. cap. 1. n. 10. *deprimeretur*; Ecce duo viri aſtiterũt iuxtà illos in veſtibus albis. *Non tamen iſta tantì sũt, auditores, vt Cælo pariter, et terris communem fuiſſe lætitiam non credi oporteat, dum ſcilicet pars vtraque Conditorem ſuum altè triumphantem videret. Quoniam verò ſpatia iſta tantarum rerum ampliora ſunt, quàm vt orationis vnius gyro includi poſſe videantur, de cæleſti tantummodo lætitia hodie agemus, primamque illam Beatorum Spirituum gratulationis, ac lætitiæ cauſam afferemus, quia caput Angelorum Chriſ-*
Ad Coloſſ. cap. 2. n. 10. *tus ipſe eſſet*; Qui eſt caput omnis principatus,
Ad Epheſ. cap. 1. n. 21. & poteſtatis: *Et ad Epheſios*; Supra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem. *Nam quia talis erat, maxima Mentium illarum gloria agebatur in eo, ſi præſentem corporis Chriſti gloriam haberent.*

Plu-

Plurima namque gloria plurimuſque honor à capite in cætera membra deriuatur. Erat verò caput ipſe Chriſtus, quia omnia, quæ sũt munera, parteſque capitis, in eo reperiebantur, cùm ſcilicet et primũ, et perfectum, et influens in membra eſſet, de quo capitis in membra influxu, Dionyſius ita ait, de Angelis loquens; Inferiores cæleſtium naturarum ordines à ſuperioribus ritè diuinas ſcientias diſcere: ſummos autem à Deo ipſo, pro ſuo captu, doceri myſteria. *Iam igitur Spiritus illi Beatiſſimi aſſiduè perfectiores fiunt, ſacra humanitatis myſteria magis, magiſque intelligendo, quæ diuina humanitate rerum ſubinde magnarum cognitiones nouas aſſequuntur. Quis hæc lumina contra intueri poteſt? Quis arcana illa penetrare? Si Sol vna ſimplexque natura, et creata res radijs ſuis varietatem infinitam rerum gignit, tum ſupra terram, tum intra viſcera eius, tum intra maris vndas, tum per inane illud, quod aera vocamus, quam tandem vim eſſe credemus radiorum, quæ ab humanitate et diuinitate Chriſti in Beatos manat? Quæ effecta, quæ miracula illius erunt? Atque de Cæleſtium lætitiæ prima cauſa et ratione hæc dicta ſint. Altera fuit cauſa lætitiæ ex eo, quod præſentem ſacroſanctam Chriſti humanitatem habebant. Nam et primo*

S. Dionyſ. de cæleſti Hierarchia, cap. 7.

illo die, et ſemper poſtea Chriſtus apparuit ſplendore nouo refulgens, ac partibus penè infinitis ſe ipſo pulchrior et maior. Ciuitas non eget ſole, neque luna vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus. *Veluti receptaculum, hoſpitiumque lucis Agnus eſt; qua deinde lux per omnia diffunditur: quòd ſi in Thabor monte Chriſtus effundens particulam vnam lucis, quam intra ſe abditam tenebat, tanta gloria lumineque cuncta impleuit, qua lux, et abundantia gloria ſpargetur illic, vbi gloria lucique iſti ſedes, domiciliumque eſt? De Salomone legitur;* Vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, *præſentiam nempe eius, cui tanta maieſtas inerat, tam gratus ei, diuinuſque ſplendor. Quòd ſi etiam mortalitate noſtra velatus, atque opertus hac caligine Saluator, ita de ſe dixit,* Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, *quid tandem in Cæleſti illa Patria fiet?* Supernę virtutes, *ait Damaſcenus*, ſuperioribus clamabant; Attollite portas Chriſto noſtro Regi: *videnteſque ſacrata membra, exclamarũt;* Magna, ò Here, benignitas tua eſt. *Et alibi.* Concordi voce triumphalem hymnũ modulabantur. *Nunc ad cauſam, qua lætitia cæleſtis potuit eſſe tertia, transeamus. Ea fuit ob humana ſalutis opus abſolutum, cuius rei finem Spiritus*

Beati

Apoc. cap. 21. n. 23.

3. Reg. cap. 10. n. 24.

Lucæ cap. 10. n. 23.

S. Damaſcen. in Aſcenſ. Domini.

Beati accenſo deſiderio expectabant, inſita erga genus humanum charitate, qua ipſa cùm per ſe lætitiam eius patrati operis augebat, tum verò lætabantur, eam rem ad exitum eſſe perductam, in cuius partem et miniſteria ipſi quoque adhibiti fuiſſent. Miniſtri namque fuerant ad diuini conceptus myſterium, ad ipſum Chriſti natalem, inter principia Paſſionis, et patrata nece, ad ſepulchrum ipſum miniſtri fuerunt. Hodie nimirum etiam, aſſurgente in Cælum Chriſto, teſtantur, quot ante ſæculis in ea munera deſtinati fuiſſent, et quanta peritia ipſis myſterij totius. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Act.cap.1.u.11. *Quaſi dicerent: nimiùm ignari eſtis myſterij huius. Nos rei totius arcana, et conſilia diuina tractabimus: nobiſcum vna geſtire debetis, quoniam impoſitus eſt operi finis, quod tractandum nobis adminiſtrandumque commiſſum fuerat. Lætantur etiam ob certiſſimæ ſpei fructum, quia vacuas Paradiſi ſedes implendas eſſe vident, idque diuini honoris cauſa. Quòd ſi tanta lætitia Beatis Mentibus eſt,* ſuper vno peccatore Lucæ cap.15.u.10. pœnitentiam agente, *quanta eſſe debebit, cùm videant id abſolutum eſſe opus, quo genus omne mortalium ad ſalutem vocatur? En ſpecimen et pars aliqua cæleſtium lætitiarum, auditores, quibus lætitijs Beatorum animæ incedunt ob celebri-*

tatem diei huius. Hæc gaudia ſunt, iucunditateſque Mentium Beatarum: his hodie laudibus Cæleſtis aula reſonat, totaque completur. Sed documenta ad animi noſtri ſalutem aliqua exquiri, et peti hinc etiam oportet. Vbi inter nos honores, et deliciæ, quæ non dico comparari cum cæleſtibus illis poſſint, ſed quæ imaginem et veſtigia aliqua illarum imitentur? Adſpicite, quæſo, ſuperbas domos, et palatia Regum, quæ ſi cum Cæleſti illo domicilio comparentur, haud dubiè valles, et domicilia lacrymarum dici debēt. Ecquando vnquam circa limina Regum vox au-
Pſalm. 35. n. 9. *dita eſt vlla ex parte ſimilis huic;* Torrente voluptatis tuæ potabis eos? *Quæ vmquam deli-*
1. ad Cor. cap. 2. n. 9. *ciæ ita deſcriptæ fuerunt?* Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. *Quæ vnquam pacta firmata in hunc mo-*
Apoc. cap. 21. n. 4. *dum;* Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà? *Ecquales tandem cenſetis eſſe Mundi fallacis dolos, tunc cùm ad riſum nos hilaritatemque vocat? Simillima res eſt, ac ſi paruulũ puerum aliquis manu titillet, moueatque ei riſum: Principio quidem ridet puer, ſed ſi diutiùs pergas, falſus et coactus ille riſus tormentum ei*

puero

puero fiet. Ita ſunt fraudes et inania Mundi. Principio quidem gaudium, et lætitia tibi inde paratur, mox blandicia illa in luctum vertuntur. Quòd ſi delicias illas, et gaudia ſempiterna aſſequi poteris, quænam humana iucunditates æquiparari illis poterunt? Qui humanus honor tanta illi gloria ſimilis erit, cum verum, vnumque Deum in eadem carne caput habebis, ex qua ipſe aſſumptus fueris? Depromant nunc proferantque Reges arma, inſignia, diademata, pretioſamque veſtem, et gemmas, et annullos: ſpectacula adornentur diuidanturque corona, chori alternent, reſonentque theatra plauſu: polliceorque ego, affirmoque, nihil horum cum ea maieſtate triumphi comparari poſſe, cùm diſpoſiti ordines, chorique Beatorum cingent corona Chriſtum, eumque ſplendore infinito fulgentem ſæculis innumerabilibus contemplabuntur. Neque verò veteres triumphos, monumenta rerum geſtarum, gloriaque ſumma, et præmia vltima tributa virtuti quiſquam iactet. Eos namque apparatus, eamque maieſtatem longè ſuperat Cæleſtis aula triumphus, dum, abſoluto humanæ redemptionis opere, ſtratos hoſtes, debellatum Orcum, ſpoliaque relata, captiuoſque ductos, et victori circumfuſos vident; Vident Regem ſuum viuæ carnis manubias reportare, atque hoſte de-

S. Auguſt. Serm. 178. cap. 5 de temp. in feſto Aſcenſ.

debellato, hominem in ſuperna conſcendere; agnoſcunt in cicatricibus ſigna bellorum; adorant in carne vulnera iam ſanata. *Neque exiguam illam, et breuiſſimi temporis voluptatem, qua oculorum tantummodo ſenſu conſumebatur, ad perfecta hæc, et vera, æternaque bona comparaueris. Poſſem namque affirmare ego atque demonſtrare, quemadmodum inter ſolennia illa veterum triumphorum, dum alij gloria ingenti attollerentur, alios fuiſſe, quos inuidia torqueret, atque cogeret in lacrymas, et fremitu ac rabie occulta diſrumperet. Ibi ſæpe vel à coactis, vel à timidis plaudebatur victori, plauſuſque ille corporis erat; cùm interea mœrens indignanſque animus tacito ſenſu abominaretur eum, cui plauſus ille fictus, ſimulatusque dabatur.*
Præterea triumphans idem ille, et multijugis equis cincto curru delectus victor, gaudia ſimul, timoreſque contrarijs animi motibus eodem tempore variabat, dum veluti diuiſo in duas partes animo, hinc fortunam ingentem, hinc multorum inſidias, odiaque, et pericula imminentia ſibi intuebatur. At in Cæleſti triumpho quid vſquam turbidum et triſte apparet? Ibi coniunctos mutuo amore vniuerſos, menteque, et animo vno penè conſpirantes, contemplari poſſumus: ibi verus honos: ibi ſinceri amoris certiſſima ſi-
gna:

gna: odia, et inſidiæ, et mala omnia procul abſunt. Delicias igitur iſtas ſectemur, amemuſque, fratres. Hæc noſtra ambitio, hæc cura ſit: humana omnia contemnamus: idque vt à nobis fieri poſſit, robur animis Diuina benignitas addat.

DE LÆTITIA gratulationeque hodierna Terrarum.

CONCIO II.

M*AGNA ſupra quam vllus aſſequi cogitatione poſſit, ingenſque gloria, et lætitia eſt, qua triumphat hodie Cælum, ſicuti plerique veſtrum ſuperiore anno, hoc eodem die me demõſtrantem audiſtis. Verùm, ſi de Mundi ipſius ob eandem cauſam gratulatione, et lætitia dicendum mihi eſſet, vix aſſignari poſſe viderer læti; et fauſti quidquam, quod ex hoc diuino myſterio ad terras Mundumque redundet. Namque quod ſummum ampliſſimumque decus habuerat, eo viduata, et orbata terra manet. Atque terra ipſius, Mundique cauſa, non Cæli, hoc eſt, vt Mundo, non Cælo ſalutem afferret, Dei Filius deſcenderat è Cælo in terram, mortaleque corpus* in-

Digitized by Google

induerat; et mortalitatis ipſius fuerat tantummodo Saluator. Ideo poteſt terra quodammodo vindicare, ac ſibi retinere corpus illud ſimile ſui, ac de eo cum Cæleſtibus ipſis fermè contendere, atque diſceptare. Quod ſi fieret, non poßent hodie Angeli in Chriſti à mortalium oculis diſceſſu, concinere voce illa, qua plauſere terris, cùm
Lucæ cap. 2. u. 14. *Chriſtus ipſe naſceretur;* Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax. *Attamen, cùm humana diuinis cedere debeant, illiſque ſubiecta eſſe, ceſſit facilè terra Cælo, decusque poſſeſſum reddidit, atque poſt multas vtrinque contentiones, multùm ac diu agitata re, etiam quia pluſ maieſtatis et ampliorem in Cælo cultum, quàm in terra fore apparebat, terra tremuit et quieuit, et de lite*
Pſal. 75. u. 9. *conceßit;* Terra tremuit, & quieuit. *Sed non ideo ſubſidia, et ſolatia cuncta Mundo ſubtrahuntur, atque ſubtracta præſentia Chriſti, multis aßiduè compenſatur Diuinæ miſericordiæ muneribus, et donis, atque beneficijs, quorum vnum alterumve, vel, ſi lubet, etiam plura recenſebimus. In primis igitur dico, ad ſalutem, beneficiumque terrarum apertum hodie Cælum eſſe;*
Ioan cap 14. u. 3. Vado parare vobis locum. *Hic terminus itineris fuit, vt cæleſtes portæ, quæ fuerant antea*
Gen. cap. 3. u. 24. *clauſæ, aperirentur. Clauſerat olim Paradiſi aditum Angelus, appoſituſque cuſtos ille flam-*

mante

mante gladio præcipuas opes, deliciaſque terræ tuebatur: idque primis Parentibus acerbiſſimum fuit. Nunc tanta gratulatione et lætitia, quanta tunc mœſtitia fuit, Caput, et Princeps, et Rex ipſe Angelorum aperit Cælum. Cuius tanta rei munus Leo Pontifex ita contemplatur; Ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam. Nam quos virulentus inimicus prima habituali felicitate deiecit, eos ſibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocauit. *Nec ſibi magis Cælum aperuit Chriſtus, quàm generi humano, nobiſque vniuerſis. Atque aliud inde bonum, aliaque felicitas terris data eſt, quòd nempe naturæ, generique humano decora diuina impertita ſunt. Tuncque, cùm corpora noſtra ſpiritum, vitamque reſumpſerint, cernetur ſcandens terra Cælum, deprimentur puluere nubes, ſordeſque noſtræ iſtæ vincent pulchritudine, et ſplendore ſtellas. Id generi mortalium grande gaudium, et ingens materia lætitiæ eſſe debet, ſicuti Sanctus Leo affirmat. Ideo, exclamat Tertullianus*; Securæ eſtote caro & ſanguis, vſurpaſtis & Cælum, & Regnum Dei in Chriſto. *Quinimmo ſi rem totam ego rectè contemplor, video, inferiora hæc elementalemque naturam, Chriſti in Cælum aſcenſu, magnopere eſſe nobilitatam, altiùſque euectam; et in noua*

S. Leo Serm. 2. de Aſcenſ.

S. Leo Ser. 2. de Aſcenſ.

Tertullian. lib. de Reſurr. car. cap. 51.

generatione Gratiæ mutatum fuiſſe, perfectioremque factum ordinem illum, qui in creatione naturæ ſpectatus fuerat. Nam prima illa creatione Vniuerſitatis, cuncta quodammodo in terram è Cælo deſcenderunt, cùm à Deo proficiſcerentur. Nunc verò, aſcẽdente in Cælum Chriſto, cuius perſona gradus omnes creatarum rerum tulit ſecum, atque repræſentauit, ipſa pariter creata res, omniſque perfectio, et abſolutio earum, veluti præclarum emenſa gyrum, illuc remeauere. Ita elementa omnia, et omne corpus, materiaque, et forma omnis, ex Incarnatione, et Aſcenſione Dei Filij multos honores, et decora magna ſumpſerunt. Sola improbitas infelix, atque inhonorata iacet. Regia proles, Regiumque genus in honore habetur admiratione ſtirpis, atque maieſtatis illius: tu verò cur te ipſum contumelia afficis, cùm ab eadem natura profectus ſis, vnde Chriſtus ipſe, animaque eius venit, cùmque carnem et oſſa nactus inde fueris, vnde Saluatori, Regique tuo corpus, et vita conflata fuit? Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahę apprehendit. *Regiam veſtem ideo admiraris, quia Regis eſt, ſtatuamque, et imaginem eius eadem ratione ſuſpicis. Cur igitur abſque cura reſpectuve vllo dedecorare amas carnem atque mortalitatem, cuius particeps eſſe*

Ad Hebr. cap. 2. u. 16.

Sal-

Saluator voluit, cùm ſui partem hanc feciſſet? Egregiè magni nominis Philoſophus ita præcepit; Omnium maxime te ipſum reuerere. *Placet* Pyth. in aur. car. *honorem haberi illis, qui te maiores, quive tibi pares, quive etiam inferiores ſunt: ipſe tibi tamen honorem habere debes, neque vt animam reuereare tantùm, ſed membra corpuſque tuum, in quo facies effigieſque Saluatoris expreſſa cernitur. Ipſe te dedecoras, cùm feris ea manu, quæ manum Chriſti repræſentat tot miraculorum effectricem. Ipſe te dedecoras, cùm velut effrænis equus ruis in culpas, atque ad peccandum curris pedibus, qui pedes referunt eos, quos tua ipſius peccata confixerunt, atque ita eodem tempore te ipſum, et corporis tui Creatorem ſimul offendis. Iam igitur dedecus, atque contumelia hæc, quam ipſe tibi infers, nihil aliud eſt, quàm peccatum, nihil aliud, quàm ſordes labeſque culparum. Non fœda paupertas, non ſeruitus, non verbera, non vincula, non calamitates, cæteraque miſeriæ. Contumeliæ, dedecoriſque huius nullam trahere partem poſſunt Tyranni, Regeſve terrarum: tota penes animum mentemque tuã culpa eſt. Ampliùſque dico: idque certum et fixum tibi maneat; ne Deum quidem ipſum, quem penes arbitrium, et potentia rerum omnium eſt, illaturum tibi dedecus, contumeliamve,*

vllam, niſi inferas ipſe tibi, eiuſque auctor ſis? Damnaque et clades, inſectationeſve illæ, quibus nutu ſæpe diuino conflictaris, numquam cauſa tibi contumeliæ erunt, niſi contumeliam ipſe vltro aſciſcas. Ac ſicut fluminum auctus, et aquæ ſuperſtagnantes alibi fœcunditatem copiamque terris afferunt, alibi obruunt ſata, ſtragemque arborum edunt: ita calamitates, et ærumnæ mortalium alijs in bonum vertuntur, alios exitio inuoluunt. Totum hoc, tantumque diſcrimen, notabiliſque differentia ex peccato eſt, vel ex Gratia; proptereaquòd duo hæc adeo inter ſe diuerſa, tum dulces et amaras, tum ſteriles et fœcundas, tum ſalubres, damnoſaſve aquas faciũt, de quibus hoc loco loquimur; Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt, *Et alibi de peccatore legitur;* Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum. *En igitur. Atque eadem ſuſtinent et demergunt: placida illuuie fauent nobis, et præcipiti impetu in nos feruntur: non violare eoſdem audent, et vorant, ſorbentque gurgitibus, atque ita probi iuſtique ab impijs, et malis tanto diſcrimine ſeparantur, atque diſcernuntur. Mille præterea locis auctoritatibusque diuinarum Litterarum id ipſum affirmatur: ſed quoniam ſacroſancti myſ-*

Pſal. 31. u. 6.

Iſaiæ cap. 30. u. 28.

Digitized by Google

myſterij rituum atque cæremoniarum reliqua pergagenda ſunt, ſermoni finis imponendus eſt cum eo, vt à ſacroſancta Chriſti humanitate, quæ Cælum hodie aperuit, cunctaque humana nobilitauit, enixè precemur, vt robur nobis, facultatemque concedat, puram, et intactam ab omni labe conſeruandi carnem, et ſpiritum hunc, cui germanitas, et ſimilitudo cum eadem illa humanitate euenit. Id ſi ita fecerimus, ingens huius fauſti diei gloria triumphuſque erit in terris ſimul, et in Cælo; idque vt ita ſit, à Deo precor.

DE ADMIRABILI *noua pompa, nouaque gloria Terræ.*

CONCIO III.

NIHIL *ab vllo mortalium, nihil ore, voceque humana verius pronuntiari poteſt, quàm cùm ita dicitur, minimam magnitudinis diuinæ partem eſſe eam, quam humanus animus aſſequi atque intelligere poteſt. Namque Cæleſtium myſteriorum Sol ille numquam huic tenebricoſæ valli illuceſcit, ſed obſcura ſemper, et veluti nocturna lux mentem et pectora, ſenſuſque morta-*

lium intexit. Ideo ſupera et diuina illa non ſolum vtì obſcura et difficiliora intellectu, ſed prorſus vtì ſupra captum humanæ mentis, planèque negata homini Iob antiquus huiuſmodi verbis Iob cap. 11. u. 7. & ſeq. *perſequitur*; Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelſior cælo eſt, & quid facies? Profundior Inferno, & vnde cognoſces? Lõgior terra menſura eius, & latior mari. *Quòdque tam leuiter hæc impreſſa veſtigia obſeruari, et notari nequeant, diuinus idem Poeta alibi ſic* Iob cap. 23. u. 8. & 9. *cecinit*; Si ad Orientem iero, non apparet: ſi ad Occidentem, non intelligam eum. Si ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eũ: ſi me vertam ad dexteram, non videbo illum. *Alibi etiam ſcriptor vateſque idem nihil vnquam ſatis dictum putans, quo diuinarum rerũ obſcuritas, et altitudo vel tegeretur, inuolereturque verbis, vel inter tenebras expreſſa deſignaretur, ita ait.* Iob cap. 28. u. 1. & ſeq. *Sunt ſua receptacula venæque argento: receſſus, nidoſque ſuos natales habet aurum; ferrumque item ex terræ viſceribus effoditur. Sunt tenebris aſſignata hora, certique, licet obſcuri, fines earum. Nulla tramitum ſuorum veſtigia ſecans aera volatu prapes relinquit. Et poſtquam arcana Naturæ ſcriptor ille ita propoſuit, hoc modo concludit*; Ibid. u. 12. Sapientia verò vbi inue-

uenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? *Quod ſi de humana ſapientia verè dictum eſt, tantò veriùs id ipſum dici poterit de altitudine ſapientiæ Diuinæ, intra quam myſteria cæleſtia habitant. Tenebricoſa luce inuoluũtur, et eo ipſo, quod antea conſpecta non fuere, ſicut hodiernus Chriſti aſcenſus in Cælum ſit, vt nulla terreſtrium rerum ſimilitudine, noua iſta forma diſcerni adumbrarive poßint. Noua res eſt, nouumque myſterium Chriſti in Cælum aſcenſus, auditores. Inter antiquæ legis vmbras, et ſimulachra, multi feſti dies, multaque ſolennia ſtatis anni diebus celebrabantur, varijſque caremonijs, et ritibus recolebatur memoria rerum admirandarum, quæ inclytæ Hebræorum genti diuinitùs antea eueniſſent. Tale verò myſterium, talemque celebritatem, qualem hodie peragit Eccleſia, numquam illi agnouere. Defluebat è Cælo manna, alijque inde cibi populo mittebantur, et Dux populi Moyſes caput ſuum inter Sinai montis nubila condebat, atque per temporum interualla, procul à conſpectu multitudinis ille agebat. Neſciebat vulgus, quo ſe abdidiſſet, nec vltra inquirere licitum Genti erat, nihilve vltra aſſequebantur. Apud profanas verò Gentes cùm tanta varietas, et licentia fabularum eſſet, numquam tamen vllas imagines, vllaque ſimulachra veri fa-*

fabuloſitas illa miſcere, atque comminiſci potuit: ſed ne vmbram quidem, et veſtigia vlla veritatis expreſſit. Itaque ſapienter ab Origene notatum hoc, animaduerſumque eſt, voluiſſe Chriſtũ mori in Cruce palam, ne qua apud incredulos poſſet ſuſpicio eſſe, tamquam alicubi latitaſſet, vt poſtea repente veluti rediuiuus prodiret, taleque miraculum ipſe adſpiceretur, quale credidit vulgauitque antiquitas de hominibus eis, quos Heroas appellauere. Ideo etiam aſcenſio in Cælum, multis inſpectantibus, facta eſt, vt res tanta multorum teſtimonio firmaretur. Cuius rei magnitudinem pompamque et apparatum, Mundique triumphum hunc Sanctus Pater Ambroſius, et terræ gloriam hanc miraculo fuiſſe Angelis ait, ita vt inter ſe quærentes, atque ambigentes, talia dicta darent; Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Additque Damaſcenus hoc verbum;* Stupore corripiebantur. *Quo verbo nouitas et magnitudo rei declarata eſt; eaque à Sancto Cypriano* Inaudita nouitas *appellatur, quia ſcilicet nullum tantæ rei exemplum omnino extabat. Taliaque Patres antiqui de huius diei myſterio ſcripta reliquerunt, quia præter fidem et opinionem planè omnium accidit, vt ſcanderet terra Cælũ, gremioque Diuinitatis caro humana exciperetur. Neque inter fabulas, aliave monumenta veterum*

Orig lib. 2. contra Celſum.

S. Ambr. lib. 4. de Fide cap. 1.

Pſal. 23. u. 8.

S. Damaſc. in carminib. de Aſcẽſ. Domini.

S. Cypr. de Aſcenſ. Chriſti.

rum ſimile quidquam vnquam reperietur. Reperies apud Philoſophos hoc, terras olim conflagraturas eſſe communi incendio, et fuiſſe olim aquarum eluuione inundatas, idque Clemens Alexandrinus, et Iuſtinus Martyr à philoſophantibus illis notatum eſſe tradiderunt. Iuſtinus quin etiam idem multa ex profanorũ ſcriptis affert, quę diuinis Litteris, et Chriſtianę fidei conſentanea fuiſſe oſtendat: ſed neque ille, neque quiſquam alius indagando, et exquirendo potuit, poteritve inter ſcripta illa veterum memoriam reperire de vllo, qui in Cælum aſcendere conſpectus fuerit, quique, vt Sanctus Paulus ait, penetrauerit in Cælum. Effinxere Dæmonum arte, atque inſtinctu fabulę veterum, ſicuti Iuſtinus idem ait, Chriſtianę diſciplinę inſtitutę, tentaruntque corrumpere et deprauare ita ſanctiſſimarum rerum auctoritatem, vt veritas ipſa olim res fabuloſa exiſtimaretur. Ideo virginis partũ induxere, Perſeumque inde natum, pennis aëra petentem. Prometheusque ille qualibet alite pernicior inter fabularum commenta per ſublime fertur. Numquam tamen teſtimonia vlla ad earum rerum fidem veteres attulere: non quę res tanta miracula anteceſſiſſent, quęve ſecuta eſſent, expoſuerunt. Ideo Tertullianus exprobrauit Gentium vanitati, quòd de Romulo ſub-

Clem. Alex. lib 5 Strom.
Iuſt. Mart. orat. ad Senatum, & ad Anton. de Monarch.

Ad Hebr. cap. 4. u. 14.

Iuſt. Mart. deff. pro Chriſtianis ad Anton.

Tertull. in Apologet.

Eee ducto

ducto in Cælum nimium facilè credidiſſent. Sed quæ de Chriſto myſteria, et miracula traduntur, quàm multis certisque argumentis confirmata ſunt? Nam quod rediuiuus è ſepulchro Saluator prodijſſet, conſtantiſſima prædicatio Apoſtolorum, ſicuti Origenes ait, affirmabat; eaque ſtabilitas, et conſtantia fidei per tot deinde ſæcula propagata ſemper, et aucta, inditio fuit, afferre Chriſtum è Cælo ſuis opem, viamque monſtrare, qua ſequentes veſtigia triumphi illius, ipſi quoque in Cælum peruenire poſſent. Noua igitur hæc myſteria ſunt, quorum ſimilitudinem atque imaginem numquam aſſequi antiquitas potuit, ſicuti nouum item hoc inauditumque, non Chriſtum tantummodo, ſed nos quoque omnes diuinitus ad id eſſe conditos, atque creatos, vt eodem itinere vadamus in Cælum, nauesq; omnes, quæ non perierint huius vitæ naufragijs, in portum illum eſſe peruenturas: tela omnia dimicantiũ deſtinatum illud certiſſimo ictu petitura, vt victoria penes nos ſit: hoſpitium denique et patriam eſſe illam, quò genus omne mortalium, confecta laudabiliter huius vitæ peregrinatione, peruenturum ſit. Ideo Iob animo ingenti aſſumit ſibi hoc, vt mortem ſuam ſomni nomine appellet, cuius nominis vim impij numquam vſurpare poterũt, niſi manifeſtè mentiri velint. Idque cùm probè

ſciret

ſciret videretque Iob, ſomnum propriè ſuum appellauit; Nunc enim dormiens ſilerem; & ſomno meo requieſcerem. *Magnum hoc, atque inenarrabile gaudium, et ſors feliciſſima Dei amicorum, vt mortem, quæ in hac vita malorum extremum eſt, poſſint appellare nomine, quod iucunditatis, quietiſque nomen eſt. Cum autem minimè eluctentur, ac fugiant iſti perniciem exitiumque vltimum; cùmque venena illis in vitalem ſalutiferamque potionem vertantur; quæ vnquam pertimeſcere mala poterunt, ſi quidem vulnera ſanant eos, inueniuntque illi in dolore quietem, et damna ſua appetunt? Sunt horrori carcer, exilia, catenæ: fluctus, vndaque maris timentur: præcipitia et incendia confundunt terrore animos ob vnum illud, quia mortem Natura odit. Quòd ſi hæc ipſa iuſto homini ſomnus, et quies placidiſſima eſt, quid tandem ille timebit? Animuſque planè noſter ex ærumnis, calamitatibusque emergendo, parta de illis victoria confirmatur, non ſecus atque venatores, vbi ſemel vrſum, leonemve ſtrauere, ſiue coniecere in fugam, puerile ludricum ducũt fugaces alias feras inſectari atque agitare. Ita ſectatores virtutis, vbi contemnere mortem aſſueuerunt, cætera deinde leuiora putant. Vultis ne videre quàm iuſtas cauſas habeant contem-*

Iob cap. 3. n. 13.

nenda mortis? Conſiderate iſta, quæ dicam. Nullus Regum, Imperatorumque nullus eſt, quin ad paupertatem extremam morte redigatur: neque quemquam vnquam in ſepulchrum diuitiæ ſecutæ ſunt. Nullum adeo mendicum hominem terra ſuſtinet, licet ſine tecto, ſine lare, ſine veſte, ſine frigida potu, quò non pauperior ille ſit, qui mortuus iam, ſepultuſque eſt. Atque ſi hic ipſe tamen innocenter, et ſanctè vixit, de Iob cap. 5. u. 26. *eo dici poterit illud*; Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tēpore ſuo. *Plerique veſtrum, pauperes, quod vobis magnopere lætandum eſt, diuites fietis, momento illo, quo plerique diuitum ad paupertatem, mendicitatemque redacti erunt; veſtræque animæ meſſem ingentem habebunt frumenti, in quo lætitia, gaudiumque inæſtimabile eſt. Atque in hac ipſa re improborum oculi allucinantur, dū adſpiciunt æſtimantque eos, qui ſanctè vixerunt. Dei ſerui puſilli videntur improbis, quia ex longinquo ab illis aſpiciuntur, iamque alta virtutum iuga tenent, cùm in ima, depreſſaque valle ſedeat improbitas, velut demerſa ibi, et ſepulta. Ita ſtellarum etiam magnitudo ob longinquitatem fallit oculos, paruaque earum lumina videntur nobis, qui ſedemus humi. Sancti verò omnes in obitu ſuo, non ſecus atque Sol in*

occaſu

occaſu lucis ſplendoriſque ſui, magnitudinem explicuere, ideoque appetunt vltro mortem, quia nouas opes affert ipſis, et non detrahit adimitque quidquam. Et cupidus fere mortis eſt quiſquis vita miſerijs laboribuſque conflictatur. Gens Hebræorum olim cùm per multm æui diuino nutu deſerta ſolitudineſque pererraret, multa quietis interualla in laborioſo illo difficillimoque itinere habebat. Contumax et importuna, et fere inhumana ea gens, quod legendo notare potuerim; numquã tamen abnuit moueri ſe loco, et repetere ſolita itinerum ſpatia, quandocumque ſignum proficiſcendi daretur, et vbi ita cœpiſſet, impigrè exurgebat. Dura et aſpera ingenia et neſcia obſequij, cùm et Numini ipſi obtrectare auderent, et conſilia, legeſque eius adſpernarentur, quomodo ad vnam eam rem obedientes et manſueti eſſe potuerint, quid cauſa eſſe ſuſpicemur? Nulla fere culpa flagitiumve nullum fuit, quo capita importuna menteſque improba fœdari nollent: numquam tamen admiſere hoc, vt ex ea ſtatione, in qua parui temporis quietem ſumpſerant, diſcedere protinus, et ſequi ſigna abnuerent. Id factũ eſſe conſtat incommoditate locorum ipſorum, in quibus commorari eos oportuit. Aſperum infelixque ſolum, horrida ſaxa, ſentes et rubi, quibus inculta veſtiuntur, rigor, æſtus,

et

Digitized by Google

et velut irati Cæli facies; ea omnia ſimul incitamento erant ſtimuloſque addebant, vt longius vlteriuſque progredi cuperent, et præſentes illæ miſeriæ non ſentientes fere ipſos ad bona aliqua deducebant. Quid cauſæ igitur eſt, auditores, cur probi pijque homines in vita exitu lætentur? Id nimirum eſt; quia in Patriam et in tecta ſua perducuntur, non amplius exituri inde ad nouos itinerum labores. Ibi nullus vltra timori locus erit: formæ nullæ ſolicitudinum anxiarumve curarum ibi erunt: moleſtias et afflictamenta omnia timoremque omnem terminus ille conſumpſit. Qui ſanè timor tam graue malum eſt, vt morte ipſa triſtius fiat: multoſque ad mortem timor ipſe egit. Procul à iuſtorum animis timor iſte abeſt; morienteſque impij in regna timoris ibunt. Credò ego, auditores chariſſimi, impiorū vitam ſimilem eſſe portui et ſtationi, in qua velut ludibundæ naues parte quietis fruuntur. Nautica turba ſtrauit corpora ſomno: quies et otium latè ibi omnia tenet: luditur, indulgeturque voluptatibus, tamquam ex permiſſo: his ſilent venti, placidumque mare blanditur: non anchora, non vela, non remi ſunt in vllo vſu, armamentaque ipſa contemnuntur. Talem fere vitam improbi viuunt. Cuius vitæ finis vbi decreto diuino aduenit, egreſſi infelices ex mortalis

vitæ

vitæ portu cum nauibus ſuis vaſtum alterius vitæ æquor intrant. Illuc delati, nulla littora, nullas terrarum oras circumſpicere poſſunt: mare ſæuum furit procellis irarum et odij, deſperationiſque et timoris: ibi nunc ærumnarum fluctibus abſorbetur: nunc rurſus in ſummas vndas emergunt ad pœnam ſuppliciumque inchoandum. O triſtes atque amaras aquas Inferorum, quàm funeſta vobis et horrida ſpecies! O miſeras perditorum naues, quæ naufragio æterno peribunt, neque tamen planè demergentur! Vellent vtique infelices abſorberi vndis, perpetuoque inter cautes et ſaxa illiſu diſſolui: ſed id quoque negabitur. Id ſi ita eſt, dic mihi quæſo, perditiſſime mortaliũ, cur tam vana, et temeraria tibi mens, vt commoda tantummodo portus ſpectes, tempeſtates autem et pericula maris circumſpicere nolis. An tua in manu poſitum eſt numquam egredi ex portu ſtationeque vitæ huius? Ibi ſedens tantopere amas ſaxa deſerti? Dicere ne potes improbos morte diteſcere, fierique feliciores? Dicite potiùs, improbi, mortis veſtræ ſocium fore timorem: iuſtis verò morientibus ſimillimã ſomni ſpeciem dari. Viuent illi ſemper: hodieque cæleſtis vitæ promiſſa illis affirmantur. Ibi, non alia in ſede, vitam agent, beatiſſimique Regni portæ illis hodie panduntur, nouæque gratulatio-

nis

nis voce Chriſtifideles ità canunt; Aſcendit
Pſalm. 46. u. 6. Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ.

CELEBRITATEM HANC cumulum eſſe cæterarum omnium, gloriamque iuſtorum.

CONCIO IV.

NON vos ignorare arbitror quantum hoc et quale ſit, natos iam nos in membra, corpuſque mortale iſtud, etiam in munera diuina naſci, quæ nobis affatim è Cælo, largèque tribuuntur. Nimium magna hæc et alta res eſt, hominem excoli, ornarique myſterijs, augeri præclaris operum actionumque meritis, nec ſolum victoriam ferre de ſenſibus, ſed etiam ipſos in triumphum ducere ſenſus, agereque captiuos. Cum magna hæc, et ampla ſint, longè tamen amplius, maiuſque eſt, confecto huis vitæ curſu, ad Cæleſtem alteram, æternamque Beatitudinem peruenire. Quapropter obſcura quadam, et impari ſimilitudine dicendum eſt: ſicuti noſter animus, ceu ſummum vltimumque bonorum, Cæleſtem Patriam ſpectat: ita gloriam omnẽ et decora Chriſti, quibus ille in mortali hac vita magnus ingenſque fuit,

fuit, ſpectaſſe ac pertinuiſſe eò, vt in Cælum denique rediret, et eo denique etiam aſcenſu nobilitaretur. Ideò, decus et gloria hac omnis lætitiæ cumulus appellata eſt, rem eam celebrante Dauide; Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cũ vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem. *Id quoque inclyta pietate Bernardus ſenſit ac docuit, cùm huius diei celebritatem, perfectionem appellaret dierum aliorum, qui ſolennes, et felices fuere Saluatori; dixitque ille, diem hunc pulcherrimum, ac feliciſſimum fuiſſe terminum itineris, quod Dei Filius in hac mortali vita confecit. Ac veluti Bernardi veſtigia ſecutus Sanctus Pater, Doctorque Bonauentura, de ea re ita ſcriptum reliquit*; Quicquid Deus fecit vſque modò, fecit vt perueniret ad hunc finem, & ſine hoc omnia ſua opera erant imperfecta. *Quamobrem, propoſita Capitis Saluatoriſque noſtri imitatione, id nobis quoque tenendum agendumque eſt, vt dierum noſtrorum vltimum ſimili gloria aſcenſuque cæleſti decoratum eſſe velimus; quæ ſcilicet inter cæteras, altiſſima cauſa eſt celebritatum, quibus opera Chriſti magna, et admiranda recoluntur. Huius diei myſterium*

Pſalm. 15. u. 10.

S. Bernar. Serm. 1. de Aſcenſ. Domini.

S. Bonauen. de Aſcen. Domini, cap. 9. medit. vitæ Chriſti.

Fff Chry-

S. Chryſoſt. Ser. de Aſcenſ Domini.

Chryſoſtomus materiam appellat, hoc eſt radicem, originemque beneficiorum omnium, quæ diuinitus in nos collata ſunt; ſolenniaque diei huius

S. Epiph Orat. de Aſcenſ. Domini.

Epiphanius cæteris omnibus anteferre non dubitat: nec diſcrepat ab eo Sancti Hilarij ſententia,

S Hilar. in Aſcẽſ. Domini.

qui Chriſti Aſcenſionem in Cælum, maximam, ampliſſimamque celebritatum omnium appellauit. Ita intelligere poſſumus quomodo accipienda ſint, atque interpretanda verba, quæ ſunt apud Euangeliſtam Lucam de Apoſtolis, tunc

Lucæ cap. vlt. u. 51. & 52.

cum Ieroſolymam ipſi rediere; Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno. *Sermones namque illi Apoſtolorum inter lætitiam gaudiũque tantum huiuſmodi eſſe potuerunt. Miraculum hoc, quod oculorum, auriumque noſtrarum ſenſu percepimus, maximum eſt ampliſſimumque miraculorum omnium. Triumphum hodie vidimus, quo nihil vnquam maius et illuſtrius in terris fuit. Nulla inpoſterum caligine nulliſve ignorantiæ tenebris, nullo humano errore, nullo noxio metu, vel ſuſpicione imbecilla violari poterunt Parentis, et Magiſtri noſtri diuina opera, reſque admirandæ. Perfidia Scri-*

Matth. cap. 27. u 63.

barum, et Phariſæorum vbi reſurrecturum Chriſtum audiuerat, præſtigiatorem, impoſtoremque ap-

appellauit, quia miraculi eius nullos inueriri poſſe teſtes aiebant. Nunc in montis inclyto vertice ſpectata, et oculis noſtris obiecta res, nuſquam in dubium vocanda erit; noſque teſtimonium veritati exhibere poſſumus. Quid vltra hiſcere Gentes poterunt, dum tantam, ac tam nouam rē, multorum adſpectu, teſtimonioque conſentiente confirmatam audient? Si Gentes iſta, dum audirent virtute, et potentia Chriſti ſanari morbos, comprimi vndas, frænari ventos, terreri Dæmones, ita conſternabantur animis, vt diuino Spiritu Dauid, de conſternatione, admirationeque illa ita dixerit, turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis, *quo tandem animo auditura ſunt, Magiſtrum eundem Parentemque noſtrum ad reliquorum miraculorum fidem, cum ipſo corpore conſcendiſſe Cælum, vt ibi æternùm regnet? Talia fuiſſe colloquia Apoſtolorum arbitrari poſſumus, tunc cùm ex felici oleis conſito colle digrederentur. Ita fauſtarum rerum ſumma, verumque bonum, pauperes, et diuites, primique Principum etiam, et Regum, quos ex longinquo nunc ego alloquor, in eo poſitum eſt, vt ad quietis æternæ ſedem, ad domicilia Paradiſi peruenire poſſitis, cernatiſque patefactum vobis aditum, et Beatitudinis fores apertas, quas non Salomon*

Pſal. 64. u. 9.

non maximi Iſraelitarum Reges, non Dauid inclytus, non tot diuini Vates, non veterum Hebræorum ſanctiſſimi alij, cùm ex hac vita diſcederent, patere ſibi viderunt. Chriſtiana ſcboles heres verè Cæli, et in tanta hereditatis ſpem propriè nata, accipite tandem quænam veſtra decora ſint, quibus meritò gloriari poſſitis. Moyſes ille, ſenex ille venerandus, patrator ille miraculorum, exercituumque ductor, ille diuinæ vocis interpres, cùm diutiſſimè vixiſſet, atque peregrinando per deſerta, et perpeſſu grauia multa ſuſtinendo ſenex factus, et ad vltima ſenectæ tempora perueniſſet, nulla lacrymarum vi, ſuſpiriorumve feruore impetrare potuit, vt portæ ſibi illæ aperirentur. Quinimmo adſpicite etiam, priorem ipſo Moyſe Abrahamum, quem immolandi filij ſtudium, atque alacritas rapit in editi montis verticem, illucque citato gradu moræ impatiens fertur. Tenet accenſa manu facem: ſtruxit ipſe rogum, et ſua ibi viſcera collocauit: nec iam aliud vltra reliquum eſt, niſi vt in agni innocentis ceruicem cadat ex patris dextra gladius, feriatque. Subijcite vobis ante oculos venerandi oris pallorem, rugasque frontis, horroremque ſupercilij, et totam venerandi ſenis offuſam mœrore faciem, atroque velo coopertam, ac paterno ſenſu, atque inſita in filium chari-

tate.

tate. Non tamen tormenta iſta natura, et violentia tanta illata ſeni, et tam effuſi obſequij merita in Deum, tantì fuere, vt clauſum ei caleſte iter eo tempore aperiretur. Ponebatur olim apud vetuſtiſſimos mortalium in ſummi honoris, felicitatiſque loco, ſi cui contingeret, vt maiorū ſuorum tumulo contegeretur, mixtaque oſſibus oſſa poſt mortem etiam vnà habitarent. Nihil vltra poterat optari olim, quàm vt egreſſa corporibus anima, ad ignota et obſcura, horridaque, et ſubterranea loca Limbi demitterentur in Abrahami ſinum. Verumenimverò ſanctarum hodie animarum minima quaque præmia, et inter Beatitudinis gradus vltima ſedes partibus infinitis ſuperat omnia illa, quæ Patribus antiquis ampliſſima, et maxima contingere potuerunt. Atque id cùm ita ſit, minimè cuiquam videri mirum poteſt, quòd Euangelij ſectatores tam forti contemnant animo mortem, vel potiùs eam impatienti deſiderio appetant, atque expectent. Protinus enim ad præmia illa tranſgrediuntur, quæ impijs negata ſunt. Atque id cauſa eſt, cur de morte etiam ipſa, non aliter, quàm ſecuritate Iobi ipſius loquantur, qui de ſuo fine ita autumat; Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem: cum Regibus, & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines. *Quòd* Iob cap. 3 n. 13. & 14.

ſi

ſi mors verè quietem ita affert , et natura lege cuncta miſeriarum finit ; ipſique mortales ab rerum humanarum ſtimulis in eius ſæpe cupiditatem et vota impelluntur , quem tandem animũ eſſe credemus eorum, quos diuina delectant, quive non huius vitæ laboribus , ſed altiores ob cauſas , ex corporis cuſtodia exire cupiunt ? Iſtis ſanè placidiſſima quies ſoporque ſuauis eſt mors , non autem improbis : contra quam ſpe vana decepti opinantur . Iob præterea idem altiſſimum diuinæ Gratiæ locum aſſecutus , perinde æſtimauit mortem ; ac ſi theſaurum ampliſſimum inueniſſet, eamque fortunæ huic æquiparauit ; Qui expectant mortem , & non venit, quaſi effodientes theſaurum. *Videre eſt eos , qui ſupra modum diteſcere concupiuerunt , et ſummum in ea re bonũ poſuere , circumſpicere cuncta ſolerter , milleque et auribus , et oculis ad id veluti eſſe inſtructos , ne qua res moram , impedimentumve deſtinatis afferat . Mutuis adhortationibus leniunt , leuantque laborem , ne tædio , neve grauitate operis fatiſcant , cuius amore perferre vltima decreuerunt . Non illi gelidas noctes , æſtuſve diurnos ſentiunt ; ſed dulcedine ſpei confirmati , et erecti , nouum in ſingula momenta robur ſumunt , geſtiuntque in ſinu , et lætantur , veluti præſenti bonorum imagine , quæ ſibi deſponderunt . Ut cæ-*

Iob cap. 3.u.21.

num

nũm ab terra colligatur, vt niteat digitus, vt veſtis pretioſa ſit, vt ſplendidiore ornatu conſpitiatur aliquis, quantum ſæpe laborum et curarũ hauritur? Et dubitari poterit, innocentes pioſque homines, quantò magis prudentia, iuditioque pollent, labores induſtriamque ſuam ad animæ ſalutem, et Dei cultum tantò libentiùs non eſſe collaturos? Cùm præſertim certiſsima ſpe vitæ alterius erecti, et inflammati amore diuino, nihil præſenti vita longius, nihil morte ipſa tardius atque lentius ducant? Sicut ſeruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: Sic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Iob cap. 7. u. 2. & 3. *Verba ſunt Iobi illius, qui ſua tædia vitæ huius, et deſideria mortis haud vno loco teſtata, et cõſignata reliquit. Anguſtiarum, atque difficultatum plena vita viuitur homini iuſto, nec niſi in morte quies: ideoque talis vita iuſti comparata eſt homini, qui operam ſuam alteri locauit, vel quia pactam mercedem in operis fine lætus accipit, vel quia nimiùm ſera ei nox venit, quæ laboris finem, et principium quietis ferat. Ex quo intelligitur, mortem ijs, qui integrè ac ſanctè vixerunt, exitum eſſe ærumnarum, gratiſsimumque ſoporem, et quietem altam. Ecquid tandem mortalium rerum eſt, quod cum iuſtorũ*

ſe-

felicitate iſta comparari poſſit? Adoleſcentula ſimplex, ſenexve infirmus, et confectus ille morbo, diram faciem adſpectumque mortis minimè exhorreſcit. Timent feræ agreſtes mortem, ferociſſimaque earum, tigris, et leo terrore hoc franguntur: iuſti verò homines imperturbati, et impauidi manent. Armati Reges, et validiſſimi ſæpe exercitus hoc metu conciderunt: interimque Diuini homines alacritate mira prunas calcant. Non ſic impij, quos etiam periculorum vmbra

Dan. cap. 6. u. 16. *terrent. Quando vnquam iſti inter famelica ora leonum animo tranquillo ſupplicauere Numini?*

1. Reg. cap. 17. u. 44 & ſeq. *Quando vnquam inter eos adoleſcentula inermi ludibrio fuit gigas? Quando vnquam*

Ad Hebr. cap. 11. u. 33. & ſeq. *impij præconia hæc tulere*, Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, *nullo edito timoris ſigno, nullove argumento animi turbati? Hodiernæ celebritatis laudum pars minima hæc eſt, auditores, et radius hic gloriæ Chriſti in Cælum aſcendentis, qui peruenit illuc, quò greſſum et veſtigia verterat ſemper, ex quo laborioſũ huius vitæ iter ingreſſus fuit: hic demum Chriſtiano populi triumphi dies eſt, cuius gloria elati, ſpernunt tormenta mortis, vel potiùs ceù theſaurum ea ex-*

qui-

quirunt, atque exoptant. O ærumnoſam iuſtorum vitam! Sed ò felices animas, quibus ſtatim vbi ex corporis huius cuſtodia et carcere vita huius exitus contigerit, æterna bona contingent! Iam hinc ite, pij auditores, nec ſit veſtrum omnino vllus, quem non iſta, quæ dicta ſunt ad ſalutem, erudiant: iamque ego ritu Saluatoris ipſius, qui terras relinquens, gregi ſuo benedixit, vobis benedico, bonaque omnia gregi meo precor.

IN DIE PENTECOSTES.

DE OLEO GRATIÆ pectoribus Apoſtolorum infuſo.

CONCIO I.

4. Reg cap. 4. u. 1. *MVLTIS lacrymis, multoque gemitu infelix vidua apud Prophetam Eliſeum deplorauit olim ſolitudinem, egeſtatemque ſuam, quòd diſſoluere æs alienum, et creditoribus importunis ſatisfacere non poſſet. Tunc Propheta, permoto ad miſerationem animo, mulieri præcepit, vt multas ex tota vicinia ollas et vaſa corrogaret, haberetque domi, mox fore diuinitus, vt vaſa illa oleo complerentur; idque ita euenit. Pari ferè miraculo, auditores, cæleſtis Gratiæ oleum Apoſtolorum, Diſcipulorumque pectoribus in-*

Digitized by Google

inditum, infuſumque fuit, dum intra pauperis tecti anguſtias ſederent, de qua re ita legitur; Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. *Purus hic liquor fuit, vnde flamma charitatis pectora illa arſere: hinc eſt accenſa flamma, quæ terras omnes illuſtrauit: hinc ex pauperibus diuites, ex mœſtis alacres, hilareſque facti, ſuis alieniſque neceſſitatibus largè ſubuenerunt, ac Cælo ſimul, et terræ ſatisfecere.* Factus eſt repente de cælo ſonus. *Factum eſt id, quod tam multis ante ſæculis diuina vaticinia futurum eſſe denuntiarant;* Effundam ſpiritum meum, *quaſi oleum*, ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, *et quæ ibi ſequuntur. Alibi verò;* Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri. *Id autem ſonitu repentino factum eſt, vt intelligerent omnes, ſtrepitum eſſe illum humano maiorem, et ſupra elementa ipſa. Ac de Cælo fragor ille deſcendit, non ab terra prodijt, quò magis excitati, et erecti, et icti animi Diſcipulorum, ſicuti Theophylactus ait, agnoſcerent, rem eſſe diuinam, ac fortaſſe etiam, vt ex veterno ipſi noſtro excitaremur atque agnoſ-*

Act. cap. 2. u. 1. & ſeq.

Ioel. cap. 2. u. 28.

Ezech. cap. 36. u. 26.

ceremus, illico poſſe conuerti nos ad Deum, ſi velimus, poſſequè illico Deum id efficere, quoties nos ad eum conuertamur. Poteritne igitur dicere quiſquam, vel nondum veniſſe, vel iam abiſſe tempus ſeruiendi ei, qui tempus ipſum condidit? Ideo, nec de ſe, nec de alijs ſperet nimiùm vllus, ſiue deſperet. Caterùm, quid cauſa fuit cur ingentis procella inſtar fragor, ſtrepituſque ille ſuper Diſcipulorum capita incideret? Multa elegantes cauſa myſterij eius afferri poſſunt. Hac veluti pompa, magnificaque ſpecies Diuini Spiritus fuit, eaque referta myſterijs. Viri Principes, quandocumque in partem aliquam intendêre iter, complent omnia ſtrepitu, eaque moles et confuſio rerum, veluti praconium eſt, quo fortuna ſua magnitudinem teſtantur. Praterea, ſtrepitus ille erigebat, praparabatque animos, vti Theophylactus ait. Tale quiddam ob eandem fortaſſe cauſam Ezechieli euenit, an-

Ezech.cap.1.u.4. *te quam caleſtia viſa videret;* Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes ma-

Ibid. cap.2.u.1. gna. *Figuraque illa diuina oblata Vati animũ ſimul, corpusque eius magnopere turbabant, ſternebaturque humi... Ad Eliam item acceſsura*

3 Reg. cap.19. u.11. *Diuina Maieſtas antecurſores adhibuit, pramiſitque concitatos impetu magno ventos, ſpecieſque diſſilientium et proruentium ingenti lapſu*

mon-

montium Vati obiecta eſt. Atque ad pectora incredula multorum, neceſſe fuit huiuſmodi ſigna admoueri oculis; qua tamen irrita fuere, plenoſque Muſto Apoſtolos *eſſe dixerunt. Apparetque, magnum Doctorem, Patremque Chryſoſtomum ita cenſuiſſe, ſtrepitum, et fragorem fuiſſe tantum, vt ad Gentium quoque aures perueniret. Denique ſonus ille, veluti ſimulachrum, et figura ſoni erat, quem Apoſtoli ipſi in terras omnes poſtea diffundere debebant.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Notatum namque compertumque eſt, diuinas viſiones ea ſpecie formaque fieri, quam res ipſa poſtulant, quarum rerum cauſa mittuntur. Vidit Iſaias ſedentē in Regali ſolio Deum, quia tempus appropinquabat, quo de vniuerſo Iſraelitarum genere iudicium exerceri deberet. Rubum ardentem viderat Moyſes, neque ardentem tamen; à ſpecie oſtendebatur, media flamma calamitatum poſitam eſſe gentem, nec flamma tamen illa abſumi. Nos verò in tanto ſtrepitu immoti, et velut ſtupore defixi manebimus, auditores, atque dum tonat fulguratque et fulminat Numinis ira, dum pœna ingruunt, excitabimur, mouebimurque numquam? Calamitates, et anguſtia, manus Dei ſunt;* Et egreſſa eſt manus Domini contra me. *Ita ſapè hoc, paßimque diuina*

Act. cap. 2. u. 13.

Ad Rom. cap. 10 u. 18.

Iſaiæ cap. 6. u. 1.

Exodi cap. 3. u. 3.

Ruth. cap. 1. u. 13.

uina Littera manum Dei hanc appellauere. Quòd ſi leniter admota nobis ea manus, non flexit, domuitque pertinaces, fragor illico, ſonituſque tempeſtatum ſequuntur; Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt: *et alibi;* Intrauerunt aquę vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me. *Totumque id de fluctibus, atque vndis calamitatum diuinitus immiſſarum dicitur. Et iacebunt adhuc homines ſopore demerſi? Non grauiſſima Dei manus, non verbera, pœnaque atroces excitabunt? Sonitus verò ille, qui Ieroſolyma accidit, veluti ventus fuerat in partem eam ſpirans, qua congregati Apoſtoli ſedebant. Hic Spiritus Sanctus eſt, qui ſuper aquas etiam ferebatur, ſicuti Sanctus Baſilius interpretatur ad verba illa,* Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. *Affert Baſilius idem idonei auctoris vocem, qui in Syriaca voce interpretanda, qua Latina huic,* Ferebatur, *reſpondet, ait, aquas Spiritus calore vim frugiferam accepiſſe, dum ſcilicet ita Spiritus incubaret aquis, vt fouet columba partum ſuum, quò viuidior atque perfectior fiat. Ac ſanè Syriaca illa interpretatio grauiſſimi Scriptoris Ephram Hebraica quoque interpretatione confirmatur, ſi vim, ſen-*

Pſal. 41. u. 8.

Pſal. 68. u. 2. & 3.

S. Baſil. in Hexam. Hom. 2. Gen. cap. 1. u. 2.

ſenſumque vocis intueri velimus. Namque ſicut lingua eius gnari ſciũt, vox illa מרחפת Merahefet *non ſolùm motum eum ſignificat, quo quid volitat, ferturque huc illuc, ſed propriè ſignificat aues nido incubantes, vt vim, caloremve addant pullis, quos excluſere iam, quive intra breuis hora momentum excludendi ſint. Et Arabica vox* رفف Raphpha *motum eum ſignificat, quo aues non quidem volatum longè extendunt, ſed elata in ſublime leniter vibrant. Motuſque ille leniſſimus alarum refert ſpecie, ac ſimilitudine molles auras, tunc cùm ventuli velut quatiendo alas adſpirant; idque ne Poetarum quidem arte aptius explicari potuiſſe videtur. Dei Spiritus igitur erat, qui vigorem affundebat aquis, ita vt et vita communi et incrementis rerum ſalutares, ac fœcunda eſſent. Talis virtus et efficacia cæleſti huic, et diuino vento adfuit, dum pectora, animoſque Apoſtolorum, et Diſcipulorum ita ille affluit. Nam abſque vento illo tamquam ſteriles aquæ fuiſſent, non fœcundæ virtutum, non ad miracula efficaces: caloreque accepto iſto, quos poſtea fructus, quave miracula non dederunt? Hinc res inaudita, hinc potentia ſermonis, hinc cæleſtis aura ſapientiæ. Corporis ſimul animique vigor noua incrementa ſumebat, vt ad ſæua bella inuicti eſſent, hoſtemque triumpharent. Hoc*

Spiritu

Spiritu ſteriles campi fœcundantur, et ſqualentes per deſerta arenæ tot Anachoretarum flores dederunt. Ego quoque, enimverò nimiùm iamdiu votis irritis, Spiritum hunc in veſtra pectora deſcendere cupio, ita vt, flante Auſtro, non ſolùm triſtis egeſtas procul hinc à nobis pellatur, rigorque hiemis incaleſcat, ſed floribus, et copioſa meſſe cuncta impleantur. O dulces auræ inter diuinarum Litterarum monumenta figuræ et ſimulachra Gratiæ cæleſtis, adeſte præpetibus alis, et opem è Cælo nobis aliquam afferte, intereadum camino perturbationum mortalitas noſtra ardet.

Cant. cap. 4 u. 16. Veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. *O ſuauis aura, quæ, calore inſito, non tam inflammas pectora mortalium, quàm inflammata reſtinguis, accende mentes, animoſque noſtros, ſimulque glaciali rigore membra hæc imple, vt cùm gelidiſſima facta erunt, tunc maximè ſcateant diuinæ Gratiæ floribus vberrimoque prouentu.*

DE

DE MYSTERIIS
Cæleſtium Flammarum.

CONCIO II.

ET apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis. *Cùm linguarum hodie triumphus et læta ſolennia celebrentur, quomodo tandem linguam ipſe meam continere potero, quominùs arcana myſteria pandat? Cùmque ignea lingua ſint iſta cæleſtes, quænam iuſta excuſatio ſilentij eſſe poſſit? Inclytus Propheta Iſaias, cùm de rebus diuinis vaticinari ingrederetur, ſeque imparem ei muneri ob labia contaminata videret, ſupplex à Deo petebat opem, ſtatimque adſuit è Cælo Seraphinus, qui, arreptis ex ara prunis, tetigit vati os, ſtatimque ille purus expiatuſque manſit. Quòd ſi tanta vis carboni accenſo ex ara fuit, quantam ad purificandà hæc mea labia vim ſunt habituræ linguæ illæ cæleſtes, quæ ſuper Apoſtolorum capita inſederunt? De hoc igne agendum nobis hodie eſt, videndumque et quid ille ſignificet, et quænam ad animi noſtri profectum documenta ex cæleſti hac flamma petere poſſimus. Sanè credo ego, quoties in ſacris Litteris ſigna aliqua de Cælo miſſa, caſuſve inuſitati memorantur, non ſine myſterio id eſſe factū.*

Act. cap. 2. n. 3.

Iſaiæ cap. 6. n. 5. & ſeq.

Digitized by Google

Marci cap. 1. u. 1. *Ita in Baptiſmo Saluatoris columba illa ſignificabat Gratiæ fœcunditatem, quæ data illi diuinitus ad Mundi totius bona redundauit, vt donorum cæleſtium vbertate compleretur. Splen-*
Lucæ cap. 9. u. 34. *didaque illa nubes comitata transfigurationem ipſius, argumentum fuit vbertatis, et copiæ donorum, quæ Mundo toti dabantur. Atque hodie violentia venti, cæleſtisque turbo non ſuo myſterio caret. Significabat enim vim, potentiamque Apoſtolorum, tum in Sacramentis, et miraculis, tum in ſermone vehementi, ac diuino, tum aduersùs tormenta omnia, arteſque Inferorum, et aduersùs religiones inſanas. Noſter igitur ignis, et flamma iſta cæleſtes non caruere myſterio, neque myſterium vnum, ſed multa ſimul repræſentare poſſunt. Ac ſanè ſapienter in diuinis Litteris ea forma loquendi adhibita eſt, vt non propriè, ac definitè igneæ linguæ, ſed tamquã igneæ illæ appellarentur. Neque enim ſpecies tantummodo ipſa ſpectanda nobis eſt, ſed vis ipſa myſterij penetranda, neque ita accipienda res, quaſi verum illum fuiſſe ignem cenſeremus.*

Aliud oculi ſpectauerunt, aliud mentis acie percipiendum, intelligendumque eſt, ſcãdendumque
S. Chryſoſt. Hom. 4 in cap. 2 Act. u. 3 *altiùs ſupra ſedem elementi, quem ignem appellamus. A Chryſoſtomo, et Theophylacto ita ad-*
Theoph. in cap. 2. Act u. 2. *notatum eſt, adhibitam alibi eſſe formam dicendi*

hanc

hãnc, vt non ſpiritus, ſed tanquam aduenientis ſpiritus *figura diceretur. Ignea igitur hæc ſpecies Deum in primis ſignificabat, ſicuti Nazianzenus, et Chryſoſtomus interpretati ſunt. Dionyſiusque Areopagita ſupremam illam diuinamque Naturam elemento huic haud abſimili ratione comparauit. Diffunditur per omnia ignis, idemque à rebus omnibus diſcernitur atque ſeparatur: refulget idē, et latitat: nulla vi domari poteſt: vim inſitam habet, et quocumque peruaſit, vi ſua cuncta implet: vim eandem proxima quaque ſentiunt: vitali calore renouat, et illuſtrat: inhiberi non poteſt, diſſipat: immutabilis natura eius eſt, ſemperque in altum tendit: velox, ſubtilis ſordida cuncta aſpernans: immobilis idem eſt, et per ſe mouetur, et alia mouet, continetque, nec ipſe contineri poteſt, nullius rei egens, occultè creſcit, et prout materia admota eſt, vim ſuam exercet, potens, efficax, et vbique præſens, licet oculis non adſpiciatur: neglectus quaſi fugit, bonaque ſua dum alijs impertit, nihil de ipſius vi et potentia detrahitur. Talis natura Numinis eſt, inquit ſublimi ore Dionyſius. Vidiſtis, auditores, vt inter ſe comparentur ignes duo, cæleſtis et diuinus alter, alter concretione materia conſtans? Vidiſtis, vt Mens æterna Diuinitasque ipſa aſſimiletur huic corporatæ luci, quæ*

S. Greg Nazianz. Orat 44. in Pēc.
S. Chryſoſt. Ser. 2. de Pent.
Dionyſ. Areop. de cæleſt. Hier. cap. 15.

cuncta pererrat, et in Cælum vſque peruadit? Inſuper ignea hac forma erat figura Spiritus Sancti, ob nonnullam proprietatem, quam Baſilius in elemento ita contemplatur; Cæterùm Mundo neceſſariam ignis naturam eſſe, nemo eſt ita extra rerum naturam poſitus, vt longa id ſit oratione edocendus. Non ſolùm, quòd artes, quibus noſtra vita continetur, ac ſuſtentatur, ignis miniſterio vniuerſæ indigent, textoriam dico, ſutoriam, architecturam, & agriculturam: ſed non ipſæ germinare arbores, nõ fructus matureſcere, non animantium, quæ in terra, quævè in aquis degunt, generationes perfici, non horum alimenta aut initio conſiſtere, aut decurſu temporis conſeruari, calore deficiente potuiſſent. *Hac opera effectusque ignis non ita ſcintillant, ſicuti Gratia opera lucem ſpargunt, neque ſolertia mortalium artes vnquam potuit excogitare occultiores artibus eis, quas halitus iſte diuinus aſſiduè mirabiliter exercet. Hic admirãda virtute ventus humana natura agros infelices, et ſqualentia priùs deſerta fœcundat. Qua res, qua cauſa et virtus tanta illa miracula Apoſtolorum dedit? Quomodo ipſi noua procreatione Gratia tot diuinos partus edidere, niſi per calorem ignemque iſtum diuinum atque cæleſtem? Et hactenus*

S. Baſil. Hom. 3. in Hexam.

qui-

quidem demonſtratum à nobis eſt, quemadmodum accenſo hoc lumine Diuinitas ipſa ſignificetur, Spiritusque Sanctus. Nunc tertio loco demonſtrandum eſt, quemadmodum admiranda, Apoſtolorum charitas figura argumentoque illo ſignificata ſit, cùm ita dicatur; Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis. *Atque hic ille ignis eſt, de quo iam antea dixerat Chriſtus*; Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? *Talique igne Apoſtolorum pectora, loquente Saluatore, flagrabant. Neque tamen aut myſterium, aut viſio ipſa in id miſſa videbatur, vt Diſcipulorum animos eo tempore inflammaret. Et viſio iſta quid aliud eſt, niſi incendium, quod cernitur ſimul, et cerni non poteſt? Cùmque pectora Diſcipulorum ita arderent, tria quadam efficiebantur, atque apparebant propria elementi ipſius. Ignis namque noſter hic ſurſum tendit vnà cum materia ipſa, quam fuerit amplexus. Mortalium vnus erat Elias, et terreſtri pondere grauatus, in terris egerat ad eum diem, quo die Spiritu caleſti arreptus, curruque diuino euectus eſt in Cœlum.* Ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrumque. *Sic anima illi accidit, quam Spiritus Diuinus arripuit, atque erexit. Terreſtris ea priùs fuerat, immobiliſque, et annexa*

Act. cap. 2. u. 3.

Lucæ cap. 12 u. 49.

Ibid. cap. 24. u. 32.

4. Reg. cap 2. u. 11.

terra

terræ ipſi: mox altè ſubducitur euolatque in Cælum. Quid nunc dicere poßit auaritia mortalium de agilitate hac admirabili, de ſublimi curru Eliæ, ac de flammis, quæ in ſublimè tendunt, dum ipſi nihil tale tentant, atque audent? In profunda ſordium valle demerſi, nuſquam aſſurgere inde tentant: inter parietes ſuos tamquā in obſcuro carcere incluſi degunt: onuſtique gemmis et auro vix mouentur: pectoraque habent grauata, ſi minùs crapula et ebrietate, certè auaritiæ ſordibus. Altera proprietas ignis eſt vincere contraria ſibi, rumpere, ac diſſipare obſtantia cuncta, ne qua res motum vimque ipſius tardare, atque impedire poßit. Hæc ita fiunt, quia principium et origo igni ex ſublimi eſt, illucque tendens efficacia ſua et viſu disijcit, validèque eluctatur cuncta, quæ tardare, atque impedire cœptum iter poßint; totumque id mirificè Paulus Apoſtolus in charitatis motu expreſſit, qua ſcandit, tenditque in altum; Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? *En ſedes et principium ignis huius diuini, qui vt euolare ad principia ſua poßit, ſuperat cuncta, atque amolitur: de qua re ſic Apoſtolus;* Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculū? an perſecutio? an gladius? *Immo efficaciùs ita ſubdit;* Certus ſum enim, quia neque mors, ne-

Ad Rom. cap. 8. u. 35.

neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum: *deinde concludit*, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. *Admirandi ignis potentiam atque virtutem hanc nonne vidiſtis, auditores? Quàm penetret, vincatque et domet cuncta, orationis fortaſſe mea culpa nondum videtis? Conſiderent, atque conſpiciant homines dediti corpori, rebuſque humanis, ſtatum ſuum infelicem, qui cùm ad diuina et aterna creati ſint, cùmque natura etiam inſtinctu ferantur illuc, iacent humi tamen conſtricti ac deuincti vinculis, neque catenas amorum ſuorum abrumpunt vnquam. Hos occaſiones, et inuitamenta peccandi detinent: pudor impedimento eſt: voluptatum illecebra dubios ancipitesque animos eorum tenent. Habitus inueterati ſunt velut carcer eis: praua exempla perſtringunt aciem: et cuncta demum in id conſpirant, vt velut immobiles exanimeſque iſti detineantur. Id argumento eſt, nullam eos alere nobilem flammam, penituſque expertes eſſe charitatis. Nunc ad illud, quod in elementi natura tertium eſt, tranſire expedit. Ea certè ipſius per ſe proprietas, et natura nimirum eſt purgandi, atque abſtergendi ſordes corporum,*

qui-

quibuſcumque adhaſit : purgat aquas, aera, terram, argentum, et aurum, et denique cuncta : vimque et proprietatem hanc Apoſtolus idem

Ad Hebr. cap. 9. u. 13. & 14. *in Spiritus igne collocauit hiſce verbis :* Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundatio-nẽ carnis ; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum

Leuit. cap. 16. u. 14. Deo viuenti ? *Inter antiqua legis cæremonias ſanctiſſima habebatur expiatio ; quæ ſanguine victimarum cineribusque fiebat. Quantò magis eximia piamenta cenſeri debebunt, quæ non ſanguine, ſed Spiritu, non ſacrificijs animalium, ſed ſignis et miraculis fiunt, per quæ ſigna, et miracula donum hoc latè diſpenſatur ? Ideo Apoſtolus genera hæc vtraque purgandi cum intra ſe compararet, diſcrimen atque differentiam nihilo minorem inter ea notauit, quam quantò interuallo Cælum à terra ſeparatur : et ſicuti differt ob vmbra corpus, ſic inter ſe differre iſta Na-*

S. Greg. Nazian. Orat. in S. Lumina. *zianzenus oſtendit. Expiatioque et purificatio iſta Spiritus ab Iſaia deſcripta eſt in hunc modũ ;*

Iſaiæ cap. 1. u. 25. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. *O bonitatem Numinis*

infi-

inſinitam! Gentem Hebræorum ex ore Prophetæ ita alloquitur Deus: quandoquidem Babylonicæ captiuitatis pœna perculeram, admonueramque te, neque tamen ideo reſipuiſti, Conuertam manum meam ad te. *Tamquam ita diceret. Alia tentanda via eſt, vt melior fias: mittam è Cælo Spiritum meum: mittam mirificum illum ignem, ſordeſque tuas omnes purgabo, tollamque et exuram quidquid in animo tuo fœdũ maculoſumque eſt. Inde ſcilicet fit, vt in Apoſtolorum, et Diſcipulorum hodierno mirifico conuentu conuerſam ad Deum gentem, purgatam igne ſplendentemque videamus. Tales eſſe oportet eos, qui diuinam hanc flammam accepere, puros nempe, et corpore, et corde, et rebus factiſque ipſis. Quæ ſi tibi puritas obeſt, nullam huius diuinæ flammæ partem accepiſti. Acerrimam hoc loco meam eſſe caſtigationem, et verbera linguæ oporteret, qualis natura ipſa, et potentia elementi eſt. Ergone in tanto diuino ardore torpebunt adhuc pectora veſtra, et velut emortua languebunt? Quid vltra expectatis, niſi vt poſtquam myſteriorum ignis miſericordia diuina munere datus è Cælo vobis, irritus inaniſque erit, iuſtitia demum ignis è Cælo cadat? Si non vos charitatis flamma comprehendit, tormenta et pœnæ, comprehendent: niſi vos ea tol-*

lit in Cælum, præcipites ad Inferna ruetis. Niſi culparũ vincula rumpuntur, rumpetur citò veſtræ vitæ nodus. Sed malorum funeſtæ denuntiationes iſtæ faceſſant: ſaluſque corporibus pariter, animiſque ſit: et huic circumfuſæ multitudini populoque manſuetiſſimo vicina pœna timor ſufficiat, tormenta ipſa et pœnæ procul abſint.

DE ILLVSTRI DONO CÆLESTI; et cur forma linguarum venerit.

CONCIO III.

S*ANE mutus hodie ego eſſem, Mediolanenſes, ſi huius horæ momento lingua hæc mea ſileret. Celebratur enim hodie triumphus linguarum, quæ mutum per tot ſæcula genus humanum loqui docuerunt, linguarum, inquam, quæ ſemper adnexæ et coniunctæ fuere Verbo, de quo*
Ioan. cap. 1. u. 1. *dicitur;* In principio erat Verbum: *linguarum, inquam, triumphus, quæ linguæ potentia ſua, et virtute ſubegere Imperia, et deuicere Mundũ.*
Act. cap. 2 u. 3. *Linguæ ſunt iſtæ, de quibus dicitur;* Et apparuerunt illis diſpertitę linguæ tamquam ignis. *De quo admirando cæleſti euentu, duo quædam bre-*

breuiter vobiſcum hodie agendi mihi erunt, vt cuiuſmodi fuerit donum, quod tanta hodie luce, et ſplendore de Cælo mittitur, et cur ſub ſpecie formaque linguarum deſcenderit, intelligatis. Munera, quæ nobis dantur è Cælo, vel cernuntur, Gratiaque tantummodo donum aliàs animo accipitur, aliàs præter Gratiam, munera eximia liberaliſſimè conceduntur. Eſtque lex iſta in nutu diuino tantum, arcaniſque eius poſita, qua lege Gratia datur vnicuique expoſcenti eam, non autem id, quod oculis cernitur donum, quod ſingulari munere aliꝭs contingit, aliꝭs negatur. Hæc munera Chriſto, et Apoſtolis data fuere dimenſione ea, quæ et capiti illi, et ſanctæ Eccleſiæ membris, partibusque nobiliſſimis hiſce conueniebant. Dona manifeſta et cadentia ſub oculos dari ſolent ad hominum fere ſalutem, de qua re ab Apoſtolo Paulo fusè erudimur. Inde fit, vt mens ipſa conſiliumque diuinum, qua mente, et conſilio donum datur, per ſigna exteriora ſignificetur, vt ad ipſius doni adeptionem inde magis proficiat animus noſter. Inſuperque, vt eiuſmodi ſigno, tamquam tacito, et obſcuro quodam ſermone manifeſtentur ea, quæ à nobis exigit, requiritque Deus. Talium igitur hodie ſignorum voce nos Deus alloquitur, eiuſque rei cauſam ex parte demonſtrauimus. Verum enim 1. ad Cor. cap. 12. u. 17.

Iij 2 verò

verò ſinutus, ſignaque iſta veluti ſermo diuinus fuere, cur ſpecies, et ſimulacra linguarum potiſſimum adhibita ſunt? Sanè mens humana tardior hebetiorque eſt, quàm vt ad Numinis arcana perſpicienda volare poſſit: ſuſpicari poſſumus tamen magno id myſterio eſſe factum, vt intelligerent, viderentve Apoſtoli, ad gentium conuerſionem multarum linguarum inſtrumento opus eſſe, ac breui poſt tempore apparituros huius admirandi doni fructus effectuſque cæleſtes. Atque lingua illa fermè in hunc modum Apoſtolos allocuta fuiſſe videntur. Deſcendimus è Cælo, vt praeſto eſſemus infantibus vobis, qui nondum loqui didiciſtis. Nulla vobis terra, gentesve peregrinæ erunt, hodieque Mundi totius ciues facti eſtis. Tollit hic dies ope noſtra, atque emolitur impedimenta omnia, quæ gloriam curſumque Euangelij tardare potuerunt; impedimenta, quæ vetus illa confuſio linguarum pepererat. Pateſcit hodie terra Iudææ latius; fineſque in vlteriora Pſalm. 75. *proferuntur: neque vel Barbarus vllus iam ſermo vobis erit, vel Barbarica, et externa lingua* 1. ad Cor. cap. 14 u. 11. *loquentes vos gentes vlla audient. Ac ſicuti ſapientiorum hominum pauciſſima verba maximarum, plurimarumque rerum ſenſus includere poſſunt: ita ſignum vnicum à Numine miſſum tantam vim habet, vt plurimis ſaluberrimiſque*

præ-

præceptis nos erudire poſſit. Ideo variarum linguarum ſermo hic erat, ad gentes varias perferendum eſſe Euangelium, prædicationique Apoſtolicæ anguſtos eſſe fines Hebraicos, et ſpatia illis ampliora deſtinari. Id ab Apoſtolo Paulo non uno loco demonſtratum eſt; Græcis ac Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. *Et alibi ad Coloſſenſes;* Vbi non eſt Gentilis, & Iudæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber. *Ita mortalitas uniuerſa linguarum iſtarum quaſi vinculo comprehenſa, et ipſi ſecum iuncta eſt. Verè enim primis temporibus varietate linguarum fuiſſe diuiſam Chryſoſtomus ait, atque myſterio hoc in unum redire, ut una in Chriſto ſit. Verum non gentium, et linguarum tantummodo varietas, ſed munus et officium quoque Apoſtolicæ prædicationis ſignificabatur ſpecie illa linguarum: eamque prædicationem proprium aſſignatum eſſe munus Apoſtolis Theophylactus ait. Mundum uniuerſum victuri erant linguarum inſtrumento. Atque ante ipſos, Verbum diuinum victoriam ſibi hanc pepererat; halituque et ſonitu et obſcuro tubarum clangore Iericana mœnia ciderunt. Ita namque Origenes ait. O inclyta potentiſſimaque lingua, diuinus Scriptori diuino ſtylus, calamique et penna ſa-*

Ad Rom cap. 1. u. 14.

Ad Coloſſ. cap. 3. u. 11.

S. Chryſoſt. Ser. 2. in Pent.

Orig. Hom. 7. in Ieſu Naue.

Pſal. 44. u. 2.

cra-

crata; Apoſtolicæ vitæ honos, Euangelij miniſtræ, ſtupor gentium, nuntiæ Cæli, gratiæ diuinæ reconciliatrices! Ah cæleſtia ſimulacra hæc imagineſque ſpirantes diuini Spiritus, quantopere dedecorantur ſordibus, et impuritate linguarum, quæ vel torpent inutiliter, vel impiè exercentur! Infelices linguæ erunt, quæ modeſtiæ terminos egreſſæ, nudabunt ea, quæ tegenda, et occultanda eſſe Naturæ inſtinctus monet. Acerbam ſanè mihi triſtemque querelam huius patriæ charitas facit, quæ vti cogor; Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris; ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt. *Tollat atque depellat hic dies vitia, moreſque iſtos.* Diem Spiritui ſacrũ honori habe; linguam paululùm, ſi fieri poteſt, comprime, *ait Gregorius: ſubijcitque in extremo;* Has reuerere, vel extimeſce, videlicet cum igne conſpicuas. *Sed quantum ab illa ætate degeneratum eſt, et quanta mutatio rerum, et temporum facta. De Chriſtianorum moribus ita loquitur Paulus, vt ſtultiloquia, et ſuſurros in vitio ponat, eique vitio ne nomen quidem eſſe inter ſuos velit. Quid illa caſtiſſima lingua dixiſſet, ſi voces audiret eas, quæ deprauato hominum more, conſuetudineque impura pronuntiantur? Percurrat vnuſquiſque longinqua, et abdita terrarum, ſcandat montes,* in

Pſal. 78. u. 8.

S. Greg. Nazian. orat. 44. in Pét.

Ad Epheſ. cap. 5. u. 3.

in ima vallium deſcendat, Scytharum arenas, et ſpatia illa immenſa ingrediatur, qua ſæuit Sol, qua humani inceſſus rara veſtigia cernuntur. Ibi reperies inter vtrumque ſexum, inter ætatis diſcrimina cuſtodiri verecundiæ leges, ſanctoſque haberi non in agendo tantùm, ſed etiam in loquendo. Hunc tu morem violare audes, publicamque honeſtatem imminuere tentas, ac ſi factis id aſſequi nequeas, verborum vtique ſono aſsequi conaris. Iam ſi vrbis, conuentuſque hominum ingredi velis, et ciuilem ibi diſciplinam inſpicere, nihil reperies inter honeſtos homines inhoneſtius eſſe fœditate ſermonis, ita exclamante Chryſoſtomo; Vis igitur ſcire, quantum ſit malum turpia loqui? conſidera audientes, quomodo rubore ſuffunduntur, dum tu loqueris indecorè. *Quòd ſi nulla alia cauſa mouere tibi animum poteſt, vt à conſuetudine iſta ſermonis impuri deſiſcas, moueat ſaltem non aliena, ſed tua ipſius ſalus. Quid enim non mali facturum eſſe credemus eum, qui ne verborum ſono quidem, cuius vſus promptior, expeditiorque eſt, imitari mores honeſtos poteſt? Et velut vmbra animi ſemper noſter ſermo eſt, iſque mores, et facta noſtra fermè repræſentat. Ita turpiter loquendo, fœdam tui ipſius imaginem tua lingua effingis, ipſe tibi inuris infamiæ no-*

notam, aperiſque pectus, quod Natura ſapienter et prouidè clauſum eſſe voluit, ne paterent oculis aliorum ſordes, labeſque abdita intus. Pectus hoc fœdatum atque maculoſum in omnium conſpectu nudare voles? Niſi à vobis hodie impetro rem ſummopere mihi expetitam, quando vnquam impetrare continget? Ac niſi momento hoc hac mea lingua vigoris, ſplendoriſque partem accipit ex diuinarum linguarum flamma, igneque cæleſti, quando vnquam accipiet, quando vnquam vlla muneris ſui parte defungetur? Sed miſerrimi vos atque infeliciſſimi mortaliũ, ſi ne ignea quidem vi, præter rerum omnium naturam, purgati, et accenſi illuſtratique eritis.

DE-

DE SPIRITV SANCTO ſuper Apoſtolorum capita conquieſcente.

CONCIO IV.

POPVLVS ille Iſraelitarum, dilecta illa proles genſque ſancta olim, et muneribus diuinis inclyta, varijs temporibus, auditores, varijſque locis accepit è Cælo multa; quæ nuſquam alijs gentibus populiſve fere euenerunt. Populi, gentiſque eius cauſa panis, qui fuerat Angelorum, factus eſt hominum panis, Cælique panem terra excepit; cibo ſimul, et potui fuit imber, remigioque ventorum ad ipſos deuolauere aues copia et numero, qualis eſſe arenarum ſolet. Hæc tamē omnia minùs admiranda ſunt, quàm quæ puſillus hodie populus Apoſtolorum experitur; Erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Longiſſimè diſtat hic cœtus ab infelici illa, et miſera multitudine, quæ per deſerta vagabatur. Differunt hi venti ab Auſtro, et Aquilone: fœcunditas, et vbertas

Pſal. 77. v. 24.

Act. cap. 2. v. 1. & ſeq.

iſta differt à cibis illis, qui ora, et ſinus eorum impleuere. Igniſque iſte purus è Cælo delapſus, quantò lucidior, ſplendidiorque fuit, quàm manna candidiſſimum illud? Cibuſque iſte ſuauis, quem cæleſtium linguarū opera guſtarunt Apoſtoli, quantò ſapidior eo, qui ſapores ſecum omnes ferebat, omniumque labia iucunditate incredibili perfundebat? Sed exuperat, cumulatque munera omnia illud, quod ita dici audimus; Seditque ſupra ſingulos eorum. *Ventus, et vbertas, et ignis, et ſapores, linguæque iſtæ non ad exigui temporis vſuram, ſed diſceſſuræ numquam cœtui huic incubuere. De manſione, et quiete iſta Spiritus Sancti nobis hodie agendum eſt, auditores, attentèque videndum, quæ nobis ſalutaria præcepta peti poſſint ex eo, quòd Spiritus Sanctus ſuper capita Apoſtolorum placidiſſimè conquieuerit. Ac paulò altiùs repetita re, dicendum eſt vnà cum Theophylacto, Spiritus Sancti in eorum capita deſcenſionem, ſtationemque ipſam eò pertinuiſſe, vt intelligeretur;* non ex lateribus profluxiſſe, ſed de alto in conualles aquarum deſcendiſſe. *Addoque ego; cùm generis humani publici Doctores illi eſſent, celebratam fuiſse ſolenni ritu conſecrationem eorum, et cum per terras omnes concionaturi eſſent, etiam debuiſse Spiritum accipere, quo puri-*

Theoph. in Act. Apoſt.

rificarentur, atque expiarentur. Inſuper, Athanaſij, et Beda auctoritatem doctrinamque ſequendo, dicimus, ſedere ipſum, vſurpationem quandam eſſe dignitatis, et ſicuti Beda ait, regiæ poteſtatis inditium, quam tunc ipſi accepere. Namque Spiritus Sanctus arbitratu ſuo dominabatur in diſcipulorum animos, et pectora illa flectebat in partes omnes, eratque Spiritus Sanctus mentium illarum planè moderator. Eſt deniq; ſedere ſtabilitatis, atque firmitatis ſignum, ſicuti Teophylactus, et Beda, Chryſoſtomusque dixere. Hinc locus mihi, et occaſio datur, auditores, contemplandi, atque inquirendi quanã eſſet ſtabilitas atque firmitas, quæ cæleſtis huius auræ flatu effecta, diuinis Apoſtolorum animis ſediſſet. Altiſſimus ſanè locus, et tamquam in vaſto pelago difficillima pars, ex qua emergere atque educi peritiſſimi alicuius ductu velim. Dico igitur, tunc Apoſtolos in eo ſtatu collocatos fuiſſe, vt numquam poſtea peccare poſſent. Id vtique donum ab natura minimè proficiſcebatur. Nam inſitum atque ingeneratum hoc omnibus hominibus, vt peccare poſſint; extrinſecùſque venit, daturque illud, vt peccare quis nequeat. Sed neque ab habitu illo proficiſcebatur. Nam vt quis in hac, vel in illa re non peccet, poteſt habitus alicuius vi fieri, quæ ad bonum trahat; iiſque

S. Athan. de com. eſſent. Patr. & Fil. & Spirit. ſancti. Beda in cap. 2. Act. Apoſt.

habitus duplex eſſe poteſt, vel naturalis, vel ſupra naturæ vires. Vt verò peccandi etiam facultas adimatur, altior quædam eſt ſublimiorque facultas. Sanè Gratia vim hanc, proprietatemque habet, vt in eo contineat frænetque animum, ne ad peccata labatur: vt autem nulla poſſit ſuſcipi admittique culpa, longè diuerſum hoc eſſe conſtat. Non enim Gratia fixam immobilemque in bono animam tenet, atque de ea re principes Theologorum ita definiuere. Iam vt ex pelago hoc vtcumque emergamus, dicendum eſt id, quod de qualitate Gratiæ antea pronuntiauimus, ad viatores tantummodo pertinere, hoc eſt ad eos, qui mixta virtutibus vitia gerunt, contra quàm Gratia in gloria ſtatu ſe habebit. Perfecta namque erit, et abſolutiſſima quadam perfectione nos ei coniunget, quem vtì terminũ finemque vltimum ſpectat animus noſter. Inde fit, vt Gratia perfecta, quæ fini vltimo animum iungit, ſtabili, et fixa coniunctione adiunctum hoc habeat, vt peccare non poſſit. Sed vnio etiam iſta duplex eſſe poteſt; vel vt ſit eius, qui emenſo itinere, comprehenſaque Beatitudine, viator eſſe deſinit, vel vt ſit eius, qui arctiſſimè quidem animo complectitur vltimum finem, ſed nondum eſt aſſecutus, adhucque viator eſt: taliſque Gratia Apoſtolorum fuit. En altitudo

myſterij quidem aliqua ex parte declarata: totũ hoc verba illa ſignificant; Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. *O mirificam quietem, ſucceſſionemque diuinam! Hæc cæleſtis illa quies eſt, quam Iſaias de Chriſto prædicens, ita deſignauit;* Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. *Hæc ſunt promiſſa*; Et ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus. *Idque de iuſtis hominibus ita promittitur. Atque quies iſta Spiritus Sancti eſt*; Et qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcit. *Sicque verum dictum illud extat Sancti Ioannis*; Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. *Tum illud etiam*; Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Et ſuper capita noſtra quieſcens Spiritus Sanctus, non ſanè à peccandi periculo nos tutos præſtat, attollitve ſupra peccata ipſa, ſicuti Apoſtolis euenit, ſed quidem in recto firmos ita ſtabileſque facit, vt rectè agendi conſuetudine imbuti, aut numquam, aut certè rarò peccemus. Quid porrò de infelicibus illis dicendum eſt, qui temerè adeo et ſæpe peccant? Non ego à vobis exigo, vt facultatem eam è Cælo habeatis,*

Act.cap.2.u.3.
Iſaię cap 11.u.2.
Ioan. cap.14.u.23.
1.Pet.cap.4.u 14.
1.Ioan. cap.4. u. 12. & ſeq.
Ibid.u.16.

tis, quæ peccandi poteſtati, et licentiæ vos exi-mat, hoc enim donum Apoſtolorum fuit tribu-tum eorum ſanctitati diuinitus: ſed hoc à vobis peto, vt cùm peccare poſſitis, innocenter et ſanctè viuatis, neve in ſordibus et cœno peccatorum demerſi ſemper iacere velitis. Frequentia iſta peccandi naſcitur ex eo, quòd magnitudo culpa-rum minimè attenditur, neque attenditur hæc, quia peccata frequentantur, ac fermè aliud ex alio malum exiſtit. Quas hominum corruptelas optimè repræſentauit Iob ille antiquus ſub ſimili-tudine vnius, qui poculum aquæ demittat in fauces hauriatque protinus. Accuſat, damnat-que ſapientiſſimus ille ſuperbiam hominum, ait-que ſuperbiæ occaſionem omnem, iuſtamque cau-ſam ademptam eſſe improbis iuxta, et bonis: idque demonſtrare volens, argumento hoc vti-tur; Ecce inter ſanctos eius nemo immuta-bilis; & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius. Quantò magis abominabilis, & inu-tilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquita-tem? *Mos iſte improborum eſt, inquit Iob, peccata bibendi, non manducandi, proptereàquod numquam reputant ipſi ſecum, quàm venenata iſta epulæ ſint. In primis, vt peccata vites, po-tulo: ſed ſi aliquando incideris, noli peccatum ſorbere, ſed mandere potiùs. Cogita etiam, at-*

Iob cap. 15. v. 15. & 16.

que

que etiam delibera tecum ipſe: cura anceps, tremituſque multus tibi ſit. Hinc iuditium, hinc mortem propone tibi, breuem fluxamque voluptatem, et in hac etiam vita pœnas, pietatem in Deum, beneficia accepta, promiſſa vitæ alterius, honores demum, qui etiam in hac vita virtutem ſequuntur. Ita manducandum terendumque dentibus peccatum eſt, non deglutiendum ſtatim, atque demittendum in pectus. Ieremias item alia non minùs eleganti ſimilitudine id ipſum docet, quod Iobo docente didiciſtis; Omnes, dixit ei, conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. *Peccant ſanè nonnulli: ſed ita peccant, vt culpæ partem vel occaſio ipſa trahat, vel timor aliquis, vel ars Dæmonum, vel aliena fraus; tardique et lenti homines eò adducuntur anxio curis pectore, tyrannide ſenſuum preſſi, itavt cum ſuſpirijs et gemitu exclament;* Vim patior; reſponde pro me. *Alij verò geſtientes ac læti feruntur curſu ad culpas, neque velocitate pedum ad id contenti, curſus equorum effrænes imitantur. Sicuti currentem hominem currens equus ſuperat: ita perditi iſti in vitiorum curſu, cæteros vincunt. Currit homo, currit et equus: ſed ille moderatur ratione curſum, inhibetque arbitratu ſuo et ſiſtit: bellua autem ruit impetu, ſæpeque etiam in præceps*

Ierem. cap. 8. n. 6.

Iſaiæ cap. 38. n. 14.

Habac. cap. 1.

ceps fertur abſque modo reſpectuque vllo. Ita peccantes iſti veluti iumenta currant. Cumque Propheta ita dicat; quaſi equus impetu vadens ad prælium, *vim, naturamque peccati demonſtrat. Peccare enim nihil aliud eſt, quàm pugnare cum Deo, bellumque id capeſcere horribile, et atrox. Ideoque res à Iobo deſcripta eſt in hunc modum*; Tetendit enim aduerſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. *Hebraicè hoc apertius, ſententiaque perindè eſt ac ſi ita diceretur: ſingulare certamen cum Deo pugnauit, contulit cum eo ſigna, direxitque haſtam, ac ferire tentauit, ſed victoria penes Deum fuit. Hæc verò ſæua et infanda prælia temerè ita, facilèque adituri eſtis, auditores, ſceleraque ſorbebitis haud aliter, quàm quomodo in magna ſiti aqua hauriuntur? Sicuti frigida bibitur, ſic peccata ſorbetis? Veluti libera frenis bellua curretis ad peccandum? Taliaque ſub oculis habentes exempla Apoſtolorum, nihil proficere voletis? Neque attulerit mihi quiſquam enim excuſationem, vt dicat, deeſſe ſibi plenam illam, ſingularemque gratiam, qua iunctus atque annexus vltimo fini, terminoque teneatur. Poterit namque quilibet habere, et re ipſa habet tantum*

Iob cap. 15. u. 25. & 26.

Gra-

Gratia, quantum ſatis eſt, vt à peccato abſtinere poſsit; habituſque bonus inſuper et perſeuerantia in recto, et virtutes infuſa poterunt efficere, ne peccata admittas; vel certè rarò admittas. Ante omnia caue, ne ſicut aqua bibitur, ita peccatum bibas: ſed potiùs id comminue mandendo, vt amaritudine ipſa tardus, atque lentus, et curis anxius ad peccandum efficiare; eaque res haud dubiè minus exitioſa erit.

QVID EGERIT SPIRITVS SANCTI aduentus.

CONCIO V.

QVID cauſa eſſe dicamus, auditores, cur tantus hodie ignis è Cælo deſcendat? Iam Elias de hoſte ſuo victoriam magnam nobilemque reportarat, iamque triumphum Cæli pariter, et terræ plauſu tulerat, cùm in Carmeli montis vertice conſiſtens, familiarium ſuorum vni, quē ſecum adduxerat, mandauit, vt oculorum aciem ad mare intenderet, atque illuc attentè proſpectaret. Is paulò poſt nubeculam vidit, quæ in figuram faciemque hominis conuoluta ſe ſe attollebat: turbari poſtea vndique Cælum, obtendique nu-

3. Reg. cap. 18. u. 44.

nubes, et increbreſcere ventum vidit; demumque effuſus imber cadebat. Haud aliter, auditores, cæleſtis illa nubes Chriſti humanitatis, quam calor amoris traxerat è terra, aſſurgens in Cælum, dedit flammarum imbrem, quæ in ſinus decidêre noſtros; nouumque hodie iſtud fit, ut flamma terras fœcundet; neque incendiorum natura furax ampliùs depopulatrixque eſt. Ignemque hunc aquarum habere naturam, conſentaneum erat, Cæſar. Dial. 1. *inquit in Dialogo primo Cæſarius. Aquæ enim eliciunt è terra herbas, præbentque illis humorem,* ***et alimenta, et vitam, et poſtquam rigauere campos, cuncta ibi reuiuiſcunt, geluque ſoluto redeunt flores, priſtinique honores. Talem Spiritus diuini*** *effectum eſſe ille ait, tunc cùm huius pluuiæ tempore calefacta anima, vires aſſumit nouas, exuitque pertinaciæ glaciem, quam hiems aſpera vitiorum inuexerat. Cæterùm, magnus etiam imber ille fuerat, quem Eliæ puer vidit; latèque hodie exundat ignis, quem aquæ comparauimus. Dici namque ita audimus;* Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. *Flamma iſta fumum dedere illum, quo tota apud Iſaiam domus* Iſaiæ cap. 6. u. 4. *infuſcatur. Hinc nebula illa, quam inſidebat Numen, quæ deinde Tabernaculi partes omnes* 3. Reg. cap. 8. u. 11. Ibid. u. 10. *impleuit. Ac poteſt hodie dici;* Plena eſt omnis Iſaiæ cap. 6. u. 3. terra gloria eius. *Neque hoc loco quærendum*

eſt

eſt, potuerintne Apoſtoli, cùm iam Spiritu ſancto pleni eſſent, Gratiam adipiſci maiorem; et an eum Gratiæ cumulum alij adepti fuerint, ſicuti [a] *Ioſeph,* [b] *Daniel, et* [c] *Stephanus, an verò peruenire illuc, cæteris omnibus negatum: Non inquam diſputari attinet, dicine ſuperabuntia illa debuerit, an plenitudo: fueritne ſimilis ei Gratia, de qua dicitur,* Aue gratia plena, *an nihil ad eam: impletine fuerint ea Gratia, quatenus pro conditione, et munere iniuncto capiebant, an planè penituſque impleti: fuerit ne plenitudo Gratiæ reſpectu Gratiæ ipſius, an habita ratione eorum, qui nihil vltra capere poterant: debueritne propriè appellari ſufficientia Cæleſtium donorum, quia tantum inde habebant, quantum ſatis erat, an potiùs abundantia ſumma, et plenitudo. Poterant hæc omnia quæri diſputarique eleganter: ſed ad quæſtionis locique propoſiti explicationem, nihil iſta pertinerent. Spirituque implere perindè valet hoc loco, ac ſi diceretur Spiritus copiam præbere ingentem. Neque enim in ſacris Litteris cuſtoditur ſemper ea ſermonis proprietas, quæ propria Scholarum eſt: ſed ſæpe ibi ad quotidiani noſtri ſermonis conſuetudinem, atque familiaritatem verba accommodantur. Atque id quicumque minimè attenderunt, in errores incidêre magnos, et lapſi ſunt. Legimus*

a Gen. cap. 41. u. 38.
b Dan. cap. 5. u. 11.
c Act. cap. 6. u. 8. & cap. 7. u. 55.

Gen.cap.6.u.13. *alibi*; Repleta eſt terra iniquitate: *nec tamen iniquitas ea erat, qua nulla maior eſſe poſſet.*

Exodi cap.18. u. 3. *Cumque etiam affirmet diuina Scriptura, artifices, qui confecere Aaroni veſtem, impletos fuiſſe prudentia ſpiritu, non eſt id ita accipiẽdum, quaſi non potuerit etiam maior eſſe prudentia. Plenitudo igitur nihil aliud hoc loco ſignificat, quàm copiam ingentem atque ampliſſimam: ac ſicuti Chryſoſtomus ait,* Non vulgariter acceperunt gratiam Spiritus; ſed eo vſque vt implerentur.

Iſaię cap.44.u.3. Ioel cap.2.u.28. *Id effuſione declaratur, de qua Iſaias, et Ioel dixere: hodie namque theſauri ſpiritus effuſi prædicationem, et vaticinia illorum affirmant, Nec diuiduntur ſolùm, atque diſpenſantur opes: ſed cæleſtis hodie liquor ſuper capita Apoſtolorum effunditur. Tanta verò ea cæleſtis copia fuit, vt neque viſa ampliùs, neque audita in pectoribus animiſque eorum efficerentur. Culpæ diſſipantur omnes, abſumunturque igni illo: creſcunt, atque augentur munera, quibus antea præditi erant, et noua alia dona acceperunt: ſubducuntur in faſtigium culmenque illud, vt peccare ampliùs nequeant, participes nempe facti aliquo modo Gratiæ illius, de qua legitur;* Et requieſcet ſuper eum

Iſaiæ cap.11.u.2. ſpiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, *et quæ ibi leguntur. Præterea, rem ego ita contemplor, abſumptos fuiſſe diuino igni prauos*

ha-

habitus omnes, cunctaque dilapſa, quæ contagione terreſtri pectora animoſque eorum inficere et contaminare aliquo modo potuiſſent. Incendium namque diuini Spiritus hoc ſpiritualem fuiſſe generationem Nazianzenus ait. Arripuerat currus ignitus Eliam, membraque illius in ſublime tulerat; nec anima tantùm, ſed corpus etiam, et terreſtris concretio vatis diuini fuerat euecta illuc. Non aliter quidquid terreſtre, quidquid humile, quidquid prauè inueteratum ſederat Apoſtolorum animis, tollitur inde, atque diſijcitur, quò leuiores atque puriores in ſublime euadant. At infelicibus nobis etiam poſt Gratiæ adeptionem, nihil tale contingit, vnaque acerba peccatorum guſtata, et manducata olim ſtuporem dentibus diuturnum intulere. Hodierna verò die confirmatur illud, quod promiſſum antea fuerat; Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. *Nouum hodie Cælum, et noua terra facies apparet: terraque ipſa expiata, et purgata igni, lucidiſſimi chryſtalli ſplendorem accepit. Sed vnde nam piſcatores pauperrimi diuinam ſapientiæ, et eloquentiæ vim, et miracula patrandi facultatem, et fortes aduersùs imperia animos ſumpſere? Vnde arma, et acies aduersùs humana omnia? Vnde ciuilem prudentiam regendo Mundo, vitaque*

Gregor. Nazian. orat. 44. in Pét.

Ezech. cap. 18. u. 2.

Pſal. 103. u. 30.

Iſaiæ cap. 65. u. 17.

taque communi? Cæleſtis viua flamma, igniſque diuinus cuncta hæc dedit. Et cæleſtis promiſſi fides Abrahamo data, vt in gentem magnam et robuſtiſsimam ille foret, ad Chriſti quoque ſectatores pertinuit: Cum futurus ſit in gentem magnam, & robuſtiſſimam. *Ac de Apoſtolorum cœtu ita prædixerat Iſaias;* Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrũ exactoris eius ſuperaſti ſicut in die Madian; *tunc ſcilicet cum tanta militum paucitate, tantum hoſtiũ numerum ille occidit. Exiguus erat eo tempore fidelium numerus, et Apoſtolorũ corona illa intra pauciſsimos erat, pedeſque tamen eorum tam longè peregrinati fuerunt, ſonuſque vocis tam longè penetrauit, ſermonemque, et linguam eorũ facilè intellexere omnes. Quod vero ad mutationem linguarum attinet, primũ hoc fuiſſe ſignum videtur illius diuinæ flammæ ad ſenſus, oculoſque mortalium permouẽdos; ſiquidem pleni ſpiritu ſtatim,* cœperunt loqui varijs linguis. *Lingua illa antequam miracula aliena depromere inciperent, narrare ſua inſtiterunt. Nuntiæ fuere cordis, animique: maieſtatis et ſapientiæ plena verba erant, et ſicuti Sanctus Chryſoſtomus ait,* Apophthegmata erãt, quæ proferebantur. *Hæc omnia efficiebat diuinus ignis intra pectora Apoſtolorũ accenſus, et diuini ſermonis ſcintillas inde emittens. Quæ*

cùm

Gen. cap. 18. n. 18.

Iſaiæ cap. 9. n. 4.

S. Chryſoſt. Homil 4. in cap. 2. Act. Apoſt.

cùm ita ſint, ſi quis veſtrum inhoneſtè loqui perget, hunc hodie Spiritum diuinum non accepiſſe, id argumento erit. Nulla dici poteſt facta mutatio animi, niſi priùs mutata lingua ſit. Id animum meum magnopere angit, magnæ patriæ ciues chariſſimi, dum tam latè reſonare cuncta vocibus inhoneſtis atque abominandis audio. Præmia virtutem ſequuntur, ſicuti flagitijs parata pœna eſſe debet. Sed corruptus hodie Mundus inter cætera mala facit hoc etiam, vt præmia vitijs perſoluat. Hinc fit, vt et ſuperbiam falſæ laudes, nec debiti honores comitentur; et auaritia rem trahat alienam, gemmaſque et fundos, et pretioſa metalla occupet; et regnans in ſenſibus libido, mille illecebras, et alimenta habeat præmia impetus, violentiaque ſua. Accidere igitur ſolet, tunc cùm præmia vitijs dantur, vt bellum atrox aduersùs rationem exiſtat. Nam vtilitates omnes, et voluptates, et præſentis vitæ commoda omnia, et interdum ſpecies ipſa recti, et veri, ad prauè agendum impellit, atque ita culpa eleuatur: ſed vbi nihil tale mentem, animumque mouet, ſolicitatve ſenſus, eoſve captat inſidijs, tunc ſi quis peccat, aggrauatur culpa, fitque maior. Non adhuc fraudes, et fallaciæ hominum potuerunt reperire quod præmium intemperanti linguæ, obſcenoque ſermoni perſolui de-

debeat. Non quæſtus vllus, non laus, non pretium, ſpecieſve vlla: nulla hic bonorum imago, nulla ſenſuum illecebra, nulla corpori quies, non ſuperbia, non ganea, non cæteris humani animi perturbationibus pabulum vllum. Nullo propoſito præmio peccas, miſer: potiùſque multa ſtatim pœna ſequuntur, tum dedecoris et infamiæ apud homines, tum diuinæ indignationis, et refugiunt à te omnes, ſicuti à tetro ſordium odore cuncti ſe auertunt. Quamobrem cogor ita cum ſuſpirijs exclamare ego, et vociferari, Ad Gal. cap.5.u.1. Quis vos faſcinauit? *Non hæc culpa ſenſus eſt, quia nihil tale ſenſus ipſe ſuadere, ſiue appetere videtur: non item mentis deprauatæ vitium aliquod. Atque ideo cauſam, originemque eius non explicare poſſe videmur. Quæ igitur faſcinatio iſta, quodve incantamentum? Serò quidem ego, ſed clare video, non adhuc mihi domicilium, et ſedem in bene ordinata ciuitate fuiſſe, quæ honeſtos, et bene moratos ciues alat, cupidoſque pacis et mutua inter ſe concordia iunctos, ſed potius* Gen cap.11.u.9 *prope Babylonicam Turrim, quæ confudit, miſcuitque linguas, ſedes mihi domiciliumque eſt. Perſonant templa pſalmorum, hymnorumque cantu; et diuinarum laudum ſonus, ac cæleſte melos magna noſtra iucunditate auditur. Neque pia illa ora conquieſcere poſſe videntur: ad tem-*

tempore tamen eodẽ locus, ſedeſque eadem fœdiſſimis vocibus, dictisque contaminatur, quæ vulnerant bonorum aures. Heu Babylonicam turrim! Quænam iſta confuſio eſt? Qui cæcus horror, tenebræque denſæ? Quis gregem hunc mihi diuidit? Quando vnquam mihi continget, vt populum hunc populum verè vnum eſſe videam, terramque hanc labij vnius terram, ſicut Scriptura loquitur? Quando videbo vnquam terram hanc diuinis laudibus ita occupari, vt hoc ipſo teſtetur, non hunc locum eſſe confuſionis, neque diſcordiæ, ſed pacis? Cuius fructum vtinam, et breui huius vitæ tempore, et ſæculis innumerabilibus in altera vita ſentire, ac percipere contingat. Ibid.u.1.

Mmm DE

DE MIRACVLIS APPARITIONIS
Spiritus huius.

CONCIO VI.

RES *demum ita ſe habet, auditores eruditi, vt non perindè ſenſus hominum noua ſemper pabula appetant; quibus veluti vita ipſorum alatur, quàm aſsiduè animus humanus nouarum rerum ſubinde cognitione ſuſtentari, et ali cupit, idque pabulum perpetuò exquirit. Quòd ſi cauſas huius inſitæ cupiditatis aſsignare velimus, inprimis aſſignari ea poteſt, quòd ſciendi ſtudium adeo natiuum homini eſt, vt re aliqua noua conſpecta, ſtatim eius aſſequendæ rei cupiditas in animo noſtro excitetur, et mox certa ſpe moueatur animus per eam ipſam rem aſſequendi notitiam rei alterius, quæ antea, vel penitus, vel aliqua ex parte ignorabatur. Præterea id, quod tenetur manu, menteque percipitur, minoris fieri ſolet, quàm id, quod neque ſcimus, neque poſsidemus: atque ideo res non antea viſæ magis placent, quia ſcilicet noua cognitione ſic animus augetur. Ideo veneranda res eſt, et velut ſacra, ſilentium; ideo nempe, quia neſcitur quid ibi lateat in ſinu, nec noſtra ea res, ſed aliena*

vi-

Digitized by Google

videtur: cùm ex diuerſo audita verba, ceù poſſeſſa nobis, et noſtro iure iam vſurpata res accipiantur. Quàmque peregrina omnia precioſa ſint, vel ex eo manifeſtè apparet, quòd maxima quæque etiam contemnuntur, niſi noui aliquid habeant, deperitque ita pretium, et honos chariſſimis per ſe rebus. Conuertuntur aſſiduè caleſtes orbes, ardentque tot ſtellarum oculi, et immenſum mare lucis Sol fulget, neque tamen vllus ferè attollit oculos in Cælum, vt magna illa, et perpetua miracula contempletur. Quòd ſi accenſus aliquis repente vapor, et noua per Cælum flamma feratur, tunc vulgus adit eruditos, valdèque percunctatur vndè nouum id lumen nouuſque ſplendor. Sol quin etiam ipſe magis conuertit oculos, et ſe ipſo maior apparet, tunc cùm ſplendoris ſui parte diminutus incedit; admiramurque defectus eius, et tenebræ luci in Sidere anteponuntur. Solitos prouentus fœcunditatemque terrarum nullus fere admiratur, effuſiſſimaque dona, et liberalitas illius, et ſolita clementia fere contẽptui eſt. Verùm vbi quatitur terra, atque intremiſcit fremitque velut irata nobis, tunc ſtupor occupat animos, menteſque ſopita tunc tantummodo excitantur. Palatia quoque, et ſuperbas ædium moles; columnaſque et arcus, et monumentorum operoſos labores

 tantì

tantì fecit mortalitas, vt nonnulla eorum miracula Mundi appellarentur. Statuæ item, et ſigna figuras repræſentantia humanas, in admiratione habentur. Et nullus interea tamen excitatur, mouetur que, vt ora vultuſque noſtros, et ſupremi Artificis in corporis humani fabrica ſapientiam, artemque infinitam ſuſpicere, et contemplari velit. Atque naturalem hunc morem, conſuetudinemque admirandi ea, quæ noua, et inuſitata nobis offeruntur, reſpexiſſe viſa eſt diuina Benignitas, dum veterem Hebræorum gentem erudiret atque inſtitueret. Cæremoniæ enim, habituſque ſacrificales, et altare, templumque, et admiranda cætera tenebant nouitate animos eorum, magnopereque commouebant. Nouæ leges illis, et ſedes noua terrarum data fuit, noua imperij forma, nouique magiſtratus inſtituti, quibus populus ille gubernaretur. Euangelica quoque diſciplina talem ſecuta morem, dum Mundo, terriſque illuceſceret, viſa eſt nouarum rerũ inuitamento allicere ad ſe animos, tamquam ad naturam conſuetudinemque ſenſuum humanorũ ipſa ſe attemperaret. Quapropter ſupremus ille Euangelij magiſter, et præco, cuius tanta efficacia ſcriptorum, atque verborum in perſuadendo Ad Rom. cap. 6. n. 5. *fuit, ita dixerat*; Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in noui-

uitate vitæ ambulemus: *Alibi*; Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ: *Alibi item*; Nolite conformari huic ſęculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri: *Et apertius ad Epheſios*; Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt. *Nunc quoque inſitum humano animo, ſenſibusque appetitum Euangeliſta Ioannes reſpexiſſe viſus eſt, dum id præciperet, quod antiquitus etiam præceptum antea fuerat, vt ſcilicet proximos charitate mortales complecterentur. Id namque caput etiam in prima legis tabulis extabat: at veluti res noua tamen proponitur ab Euangeliſta atque inducitur, primaque illius epiſtola, in capitis huius explicatione fere conſumitur. Noſter igitur animus habet inſitum ac naturale hoc, vt mirificè capiatur ea voluptate, quæ tunc ſentitur, cùm non antea cognita res cognoſcitur, ſiue parua, ſiue magna ſit; neque vlla vnquam ex nouitate ſatietas eſſe ſolet. Quòd ſi aliqua reperirentur magna ſimul et noua, quantos animorum noſtrorum motus eâ efficere poſſunt? Diuini Spiritus hodierna apparitio mirifica ſanè fuit ob cauſas eas, quas ego allaturus ſum, verba Ioelis exponendo, qui de ea re planè vaticinatus fuit*; Effundam, *inquit ille*,

Cap. 7.u.6.

Cap. 12.u.2.

Ad Epheſ. cap. 4.u. 24.

1 Ioan. cap 2.u. 7.

Ioel cap. 2. n. 28. *ille*, Spiritum meum ſuper omnem carnē: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſeruos meos, & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum. *In animos, menteſque omnium dona Spiritus huius mittenda erunt, inquit Propheta, nec parcè, nec ſtrictim, ſed copioſiſſimè mittentur. Quæ tamen munera ob magnitudinem, altitudinemque ſuam, nihil aliud erant, quàm Spiritus ipſe Dei, non Eliæ, vel Eliſæi ſpiritus, aliorumve Prophetarum, per quos cæleſtia dona mortalibus impertita ſint. Neque debebunt tanta dona intra Ieroſolymæ mœnia contineri: ſed Hebræorum pariter et Gentium impura priùs et contaminata corpora diuini halitus virtute expiabuntur. Inſuperque Spiritus huius efficacia non paruis obſcuriſque rebus conſumetur, ſed magna, et alta, viſiones nempe cæleſtes ſpirituſque vaticinos dabit. Donaque iſta non illis tantummodo dabuntur, qui ſpiritu aduenicnte præſentes fuerint, ſed longa ſucceſſione ad eos quoque pertinebunt, qui voluentibus ſæculis naſcentur. Prætereà, pro varietate mortalium, conſiliorumque diuinorum varia etiam, et diuerſa munera cæleſtia erunt, ita vt neque ætas, neque ſexus, neque vlla infelix conditio hominum extra hono-*

res,

res, et munera iſta habeatur. Tanta porrò benignitas, atque demiſſio huius altiſsimi Spiritus erit, vt ſeruorum, et ancillarum pectora ſubire minimè dedignetur, cùm illuſtrium Prophetarũ mentes antea tantùmmodo inſidere ſolitus fuiſſet. Nulla poſſunt ampliora dona excogitari, auditores, neque etiam ampliora diuina manus effudit vnquam ſuper ſterilem terram hanc humani pectoris: Atque magnitudo et abundantia iſta donorum originem à Chriſto duxit; in quo plenitudo bonorum omniũm habitabat. De qua quidem magnitudine etiam humanitus conſiderata, Origenes ita ait; Quis igitur, modo exactius rerum naturam contempletur, non obſtupeſcat, eum eluctatum ex omnibus,quę poſſent officere gloriæ, & à tergo reliquiſſe omnes, qui vnquam fuere celebres; quamuis paucis hominum contigerit pluribus ſimul nominibus gloriam cõſequi. Nam alius ſapientia; alius imperatorijs artibus, barbari verò nonnulli incantationum potentia, & alij alijs rebus non multis admirationem ſibi parauerunt ad gloriam; Hic autem præter cetera mirandus eſt ob ſapientiam, ob potentiam, ob imperandi ſcientiam. *Ab hoc perenni fonte riui manauerunt munerum, quæ in Eccleſia militante variè diſpenſantur, eamque mirifi-* Orig. lib 1. contra Celſum.

ficè

ficè fœcundant. Quæ quidem militans Eccleſia nec tempore, nec loco vno, ſed ſemper, et vbique diuinam Benignitatem experitur: eaque Benignitas, et dona ipſius, nec vno modo tantùm, nec vni hominum generi tribuuntur, ſed et infinita ſunt, et communiter hominibus contingunt. Perdita ſectæ peruerſæque factiones numquam honores aſſequi iſtos potuerunt, inopeſque et anguſtis circumſcriptæ finibus, et breuis æui fuerũt.

Orig. ibid. *Nullus fuit, inquit Origenes, quin primis illis temporibus magnopere obſtiterit quò minùs Dei verbum per terras omnes latè diffunderetur. Reges, gubernatoreſque prouinciarum, exercituũ Imperatores, obſcura multitudo veritatem illam obterere ſtuduerunt, quæ neque obteri, neque opprimi poteſt. Ita fracti hoſtes, Græcique, et Barbari fuerunt, et agmina infinita animarum ad Chriſti caulas confluxere. Sed amplius dico: Chriſtiana fides nobiliſſimos quoſque populos in primis et ingenio excellentes, florenteſque gloria ſcientiarum, Græcos nempe, Italos, et Iudæos ſibi adiungere voluit, atque hos ipſos donis auxit innumerabilibus, quorum copia, et magnitudine cumulati, gloriam ingentem aſſecuti fuerũt;*

Pſal. 28. u. 3. Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

centia. *Hic Dei ſpiritus halituſque cæleſtis ſteriles Gentium aquas fœcũdauit, atque ſonora hac tuba tam venerabilem è Cælo ſonum fudit, vt omnium animos admiratione compleret, ſplendidaque, et magnifica ſe ſe Mundi intulit. Et quoniam culparum quoque vnda in terris erant, diſsipauit eas; diſsecitque ventus hic diuinus, ita vt rurſus fieret id, quod in dira terrarum omnium eluuione prius factum fuerat*. Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cũ eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutę ſunt aquæ. *Vaſtata terra erat, neque probum vllum ſemen excipiebat, vndis nempe demerſa latè reſtagnantibus. Vbi verò ex eluuione illa demerſit, fructus dedit aliquos, priſtinumque decorum recepit, nec florum honos, nec vberrima meſsis abfuere. Id noua lege factum fuit, quia Chriſti nomen, ſicuti Iuſtinus Martyr ait, hoc ipſum ſignificat, virtute, meritiſque eius Deum cuncta reſtituiſſe atque excoluiſſe. Ideo de Eccleſia Fideliumque cœtu veriùs, quàm de Synagoga dici poteſt*; Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. *Solùm vineæ huius pingue eſt, et apricum, radioſque Solis excipiens, quorum calore fœcundata tellus, bonorum omniũ copiam effundit. Hinc Spiritus Dei ſacratiſſimum*

Gen. cap. 8. u. 1.

Iuſtin. Mart. in defenſ. ad Sen. Roman.

Iſaiæ cap. 5. u. 1.

mum Eccleſiæ ſinum bonis omnibus impleuit, atque tunc Sponſa in conclauia ampla introducta eſt, et in penetralia illa plena cæleſtium opum;
Cant. cap. 1. n. 3. Introduxit me Rex in cellaria ſua. *Sic Sponſa in euangelico suo dicere poteſt. At Synagoga nullos huiuſmodi theſauros poſsidebat, parcèque et reſtrictè rem, et bona ſua diſpenſabat. Hæc verò liberaliſsima aurum gemmaſque manibus tenet, atque Sponſi ornatum et copias ita refert;*
Ibid. cap. 5. n. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis: *Terreſtres manus pauperiem afferunt nobis; taliſque dextera Mundi eſt, et Regum, et Imperatorum, qui dum congerunt in nos opes, diuitiaſque ſuas, nuſquam tamen aurum, gemmaſque dono dare poſſunt, quibus Sponſa Chriſti, iuſtique homines etiam in hac vita abundant. Eſau, cùm ob amiſſam paternæ benedictionis prærogatiuam, cuncta querelis impleret, patrij animi ſenſu ac benignitate fretus, talia verba dixit, licèt animum eum minùs ſibi propitium antea expertus;*
Gen. cap. 27. n. 38. Num vnam tantùm benedictionem habes pater? mihi quoque obſecro vt benedicas. *Victumque paterna miſericordia animum flexit, vt de fortuna ſua bonis nonnulla ei aſsignaret. Verùm, huius diuini ignis nulla ſterilitas timenda eſt, cùm fœcundiſsima ſit natura eius, cùmque tanta potentia eius, tantaque virtus*

tus

tus ſit. Patientes aduerſarum omnium rerum facit animos, et ipſos quoque nobis aduerſarios inimicoſque commendat: ſedat turbidos animorum motus, miracula edit, prouidetque futura: pollet eloquentiæ facultate, prudentia, et ſapientia ſua cuncta amplectitur, et bonorum omnium fons ille eſt. Quid maius antiquo noſtro Parenti datum fuiſſe arbitramur, tunc cùm ſua manu finxit eum Deus, lutumque in id è terra collegit? An quòd aſpectu decorus, quòd procero corpore colòreque iucundo, et delicato corporis habitu fuerit; quòdque in media Paradiſi ſede collocatus, et cuſtodiæ deliciarum illarum appoſitus fuerit? Hæc illius fuiſſe decora cenſemus? Non hæc fuère decora ſumma Adami, neque coniuncta hæc omnia ſimul æquare poſſunt id vnum, quod verbis hiſce ineſt; Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ & factus eſt homo in animam viuentem. *Sicuti videtis, ſummum Adami bonum ſummumque collatum ei munus, ratio ipſa fuit. Ita humano generi vniuerſo, noua per Gratiam creatione, ſummũ hoc, ampliſſimumque donum datum eſt, ſpirituſque vitæ, quem hodie Deus in pectora humana infundit, decus et honor humanæ naturæ fuit. Bone Deus, homone igitur iſte, ciniſque hic, et* Gen cap.2.n.7.

ſordes, et lutum, et fumus, tanta è Cælo mune-
Iob cap. 14. u. 1. *ra aſſequetur?* Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs: *Ita de hominis miſeria Iob antiquus: homoque iſte tot bonis, tanta diuinorum munerum copia cumulatus apparet. Fugax iſte, caducuſque flos, hæc vmbra, quæ prodit, euaneſcitque ſtatim, dona innumerabilia accipiet? Hic culpis ſceleribuſque coopertus homo, ne adſpici quidem à Deo dignus, præterquam in ſupplicia et pœnas, adeo propitium hodie Cælum habebit? Fuerant hæc olim maxima ſolatia bonis, præmiaque etiam*
Deut. cap. 28. u. 11. *idonea meritorum humanorum frumenti, oleique copia, pax, et proles, eaque tanti fuere, vt op-*
Ibid. u. 12. *portunos etiam imbres Scriptura diuina Cæli theſauros appellauerit. Hoc autem momento tem-*
Cor. cap. 2. u. 7. *poris longè maiora quædam è Cælo dona Chriſti fidelibus dantur, dum Euangelij Præcones per cuncta terrarum fiunt, interpreteſque legis, et varietate linguarum repente inſtructi prodeunt, miraculaque, tum expoſita oculis, tum animo incluſa contemplantur omnes, quæ Spiritus Diuini munere contigerunt. O felices Dei ſeruos, qui hæc de ſe profiteri poſſunt! Nobis hodie munera ampliſsima fluunt è Cælo: noſtra cauſa theſauri ingentes toti Eccleſiæ dantur: nobis aperta Dei manus munera ſpargit: in medio cordis humani*

ci-

Digitized by Google

cinere ſpiritus ſui puriſſimum ignem collocauit, accenditque Deus; qui Spiritus cum Patre æternum regnans, precandum optandumque nobis eſt, vt fauillas ſuas ſuper corda noſtra inijciat, quæ tenebroſa, et frigida nimium languent.

DE CERTAMINIBVS ASSIDVIS noſtri ſpiritus.

CONCIO VII.

PACEM *vnuſquiſque admiratur, eiuſque venerabile nomen, et ſpeciem auguſtiſſimam ſuſpiciunt omnes, atque in honore habent. Id cùm ita ſit, quæſitum tamen ciuilibus ingenijs ſæpe apud veteres, et noſtra etiam ætate eſt; pluſne momenti concordia, an diſcordia faciat in rerũ vniuerſarum conſeruatione, et vtra pars plus felicitatis, ſiue pulchritudinis, et elegantiæ Mundo afferat. Ac licet generis humani fere conſeruatrix et amica pax habeatur, non defuere tamen, qui diſsidium vitam verè Mundi appellarint, eoque firmamento niti et ſtare vniuerſa credidiſſe videantur. Sunt hæc mira auditu, poteruntque multorum fortaſſe auribus noua videri,*

nec

nec ſanè prima fronte videntur conſentanea verò; et ceu ſimillimam ſomnij ſpeciem cauilloſque diſputantium aliquis iſta repudiarit. Vera tamē ſunt iſta, quæ dico: ac ſi vultis planius dici firmarique argumentis rem, huic veſtro ſtudio ſatisfacere ſum paratus. Sicuti Deus infinita ſua potentia, numineque æterno cùm puriſſimas illas mentes, orbeſque cæleſtes crearet, ab omni contraria concretione naturam vtramque ſemouit, vt munere ſuo tranquilliſſimè defungerentur, pacemque retinerent eam, quæ ſempiterna ipſis manet: ita reliqua Mundi litibus inter ſe perpetuis miſcuit, atque confudit. Sic elementa perpetuo inter ſe diſſidio conflictantur, dum ignis vicinum aera conſumere vult: aerque victus, atque diſſipatus, veluti nimio dolore lacrymans, ſoluitur in imbres; et aqua bellum indixiſſe terris videtur, inundatque, et quatit eas, littoraque prodit; et terra rurſus aerem obſcurare ſolet, aquamque ipſam cauernis ſuis, velut anguſto carcere, premit, atque includit. Ac veluti elementa hæc gladijs et lanceis ad dimicandum inſtructa eſſent, contrarias qualitates exerunt inter ſe inimicas, atque infeſtas. Ita frigida et ſicca res ſibi contrarias pellunt, atque aduersùs vim eam omni contentione nituntur. Diſſidia tamen iſta nihil incommodi afferre rebus videmus, legeſque et

or-

ordinem, et pulchritudinem, et ſpeciem Vniuerſitatis huius minimè corrumpunt, aut fœdant. Inde enim vices et tempora anni diuerſa exiſtunt, iurgiaque hæc, et bella Naturæ efficiunt, vt verè primo veſtiantur viriditate colles, floreantque campi, ſoluantur niues, glacieſque liqueſcat. Quòd ſi contingat interdum, vt elementa diutius aſſueta inuicem miteſcant inter ſe, molliantque iras, tunc ex mutua conſuetudine eorum tenacique contextu innumeræ et formæ animalium, et naturæ herbarum exiſtunt, quæ inter ſe bello acerrimo diſcordijs conflictantur. Ac ſi à motu ſuo ceſſauere, operationemque ſolitam intermiſerunt, tunc veluti teſtari velint omnia Mundi huius dona in ſua manu eſſe, illico vegetabilia, et ſenſitiua cuncta diſſoluuntur, ſuaque vita deficiuntur. Sed non fortaſſe tam iucundum vobis erit arcana occulta naturæ cognoſcere, quàm moleſtum fortaſſe fuerit hoc, quod præter conſuetudinem meam, longiùs ita euagando, dicendi ordinem turbare videar. Quanam iſta ars, et dicendi via, inquiet fortaſſe doctus prudensve aliquis? Hæ ne igitur leges et præcepta dicendi, vagari ita, neque proponere quod dicturus ſis, neque in ſuas partes diuidere argumentum, quo clariùs, meliùſque intelligatur? Exponam vobis, Mediolanenſes, quid cauſa fue-

fuerit, cur in ſolenni hodierno diuini Spiritus cum ſplendore infinito ſuper Apoſtolorum capita deſcendentis, obſcuro et tenebricoſo hoc initio orationis vti vellem. Dum myſterium hoc altiſſimarum rerum ſanè plenum arcaniſque refertum intuerer, occurrit animo meo mirificus Apoſtoli Pauli locus, quo nihil mihi aptius eſſe videbatur; Spiritu ambulate, & deſideria carnis nō perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem: hęc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcunque vultis, illa faciatis. *In eius loci contemplatione ita mecum ipſe ratiocinabar. Ergone dimicandum aſſiduè nobis erit? Ergone Spiritus iſte conſolator, qui mox in terras è Cælo deſcendit, bella inteſtina feret ſecum? Video, auditores, loco hoc duos fortiſſimos exercitus, velut oppoſitis inter ſe caſtris, conſtitiſſe: implacabilibus odijs inter ſe ardent, et pars vtraque armatas acies habet: multùm ſanguinis factum apparet, ſtrageque cæſorum aperti campi ſunt. Id cùm ita conſideraſſem, ex parte altera turbam innumerabilem improborum video, præſertimque eorum, qui in ampliſsima fortuna delicijs commodiſque perfruentes, nullos labores, et incommoda belli nouerunt, dum ſcilicet ſenſibus ipſi ſuis obſecundantes, ignominioſa cum illis pace vi-*

Ad Gal. cap. 5. u. 16.

viuunt, importunaque tyrannide premi ſe patiuntur, nuſquam diuinæ legis imperio ſtudia ſua moderantes; nuſquamve rationis fræno inhibentes libidinum ſuarum intemperantiam. Tunc ego tã fœdo aſpectu conturbatus, ita mecum ipſe dixi: quomodo igitur Spiritus diuini partem hodie obtinuere iſti? Vbi audaciã militariſque vigor vllus? Quomodo Chriſti milites appellari iſti poterunt, quibus inſcriptam eſſe frontem oportet titulo belli, quòd gerunt? Sicut inferioris Mundi vita pugna elementorum, quemadmodum demonſtraui, continetur, pugnamque eam ad ſui conſeruationem Natura nutrit, atque alit: ita calor ſpiritus, animique, hoc eſt Gratia, fauorque diuinus in animis noſtris excitatur, nutriturque pugna, et dimicatione quadam. Quæ ſanè dimicatio et pugna, vbi ad pacem iniquam ſenſuum exceſſit, ita vt aduerſariam inimicamque rationem non vltra experiantur, ea iniqua pax, et quies ſimillima erit paci, et quieti ventorum, tunc cùm intempeſta obſcura nocte conciderunt. Affirmauere ſapientiores, numquam temporibus nocturnis inſurgere ad certamina cõſueta vim, naturamque elementorum, propterea quòd breui illo ſpatio, veluti ſopita, et victa ea vis et natura conquieſcat. In obſcuriſſima nocte demerſi improbi viuunt: Solque et lumen, et

calor Paradiſi radiorum ab ipſis longè abſceſsere. Nihil propius eſt, quàm vt inter tenebras illius æternæ noctis extinguantur, paxque damnoſa illa, et turpe ſilentium prope eſt, vt eorum vitam ſpiritumque vltimum conſumat. Non

Gen. cap. 6. u. 3.

permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. *Minitantis Dei hæc fuere verba, cùm inter primordia Mundi docere vellet, tunc moriturum eſſe hominem, cùm rationis, et ſenſuum pugna quieuiſſet. Dignus morte iſte eſt, aiebat Deus, quoniam carni de ſe triumphum conceſſit: nec iam conſtat ex duabus eis partibus, quæ partes ei datæ fuerant, cùm noſtra manu crearetur; ideoque breuem eius eſſe vitam oportet. Quomodo verò contendere, ac dimicare poſſunt homines dediti voluptatibus, et carni, cùm abſque prouiſu et monumento vllo viuant, langueantque inermes?* Propterea ac-

Ad Epheſ. cap. 6. u. 13.

cipite armaturam Dei vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite: & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei.) *Hæc verò Cæli munera vti nam*

per-

perditis et impijs, an ſanctis, et innocentibus data fuere? Vtra pars nuda, inermiſque eſt? Quæ virtus infelices eos tegit? Cæleſtis gratiæ vigor repreſſus in eis extinctuſque eſt. Non iſti fortes, et ſtrenui, ſed illi potiùs, de quibus ita legitur; En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi; vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. *Delecto milite, ſtationibuſque firmiſſimis cinctam eſſe Salomonis regiam, oportet, neque ſoluta ibi cuſtodia ſilentio noctis eſſe debent, imminente ſemper, et in ſingula momenta irrupturo hoſte. Regia Salomonis Eccleſia Dei eſt; ſimulque Chriſtiani cuiuſlibet anima, in qua Chriſtus ipſe diuerſatur; ibique omnia, quæ ad Dei cultum pertinent, collocata ſint. Itaque dictum fuit;* Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. *Eſt enim nobis in fidei noſtrà defenſione moriendum: atque ita bellum innatum nobis eſt Euangelij virtute, quod ſola morte finiri debet. Quis vnquam alius vitæ formam præſcripſit, qualem Saluator inſtituit turbidam, inquietam, in qua pax nulla ſenſibus datur, corpuſque totum, velut infenſiſſimus rationi ipſi hoſtis, odio habetur? Iam quæ*

Cant. cap. 3. u. 7.

Matth. cap. 10. u. 34.

Pſal. 67.u. 9. *turbatio iſta eſt, auditores chariſſimi?* Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael. *Sicuti feliciſſimis Iſraelitarum temporibus intremuit terra, cùm è Cælo dona mitterentur: ita intremiſcere hodie, valdeque conturbari noſtros animos oporteret, dum non manna, ſed ignis è Cælo fluit. Ideo* Act. cap. 2. u. 2. *namque Spiritus hic impetu ſtrepituque vehementi ſindens aera, irrupit illuc, vbi congregati Apoſtoli erant. Magna committitur pugna partium duarum, Natura nimirum, et Gratia; nec leue hoc, aut puerile ludicrum, ſed acerrima dimicatio eſt, iuſtúſque conflictus. Simillima* Exodi cap. 19. u. 16. *planè res alterius antiqua rei, cùm in Sinai monte lex prior acciperetur; qua ipſa lex, fulgurante, et tonante Cælo, deſcendit, nec placidi quidquam erat. Ingrediens item templum Deus totam eam molem à fundamentis ſtrepitu ingenti con-* Iſaiæ cap. 6. u. 4. *cuſſit, ſicut ab Iſaia deſcripta res eſt. Solicitudines iſtæ ſunt, iurgiaque, et ærumnæ, et animi noſtri tormenta, auditores, dum trepidè, pauidèque Deo inſeruitur. Intremiſcit ægra mortalitas, intremiſcúntque ſenſus periculorum imagine, quæ circumſtant, ſimulque pœnarum æternarum adſpectu, quæ denuntiata ſunt. Hic ſpiritus impetuoſus eſt, hic turbo, qui proruit montes, ſinditque ſaxa, ſternens iter auræ ſuaui; quæ diuina*

mu-

munera fert ſecum, ſi Eliæ exitum eius intueri 3 Reg. cap. 19 ui 20.
velimus. Hoc impetu motæ loco mentes hominum aliò transferuntur ad ſalutem ſuam, ſordibuſque vitiorum extractæ, atque erutæ, in loca puriora rapiuntur. Motuſque iſte, et fragor, et violentia tanta non mortem affert, ſed vitã. Neſcio, Mediolanenſes, an veſtra chriſtianæ diſciplinæ forma, vitaque facies ita mutata ſit, vt credere poſſim, ſalutiferum igneumque ventum in veſtros animos è Cælo deſcendiſſe. Videre tamen videor agrum meum viriditate, floribuſque veſtitum, qualis non antea eius facies fuerat. Impreſſo per deſerta aratro, ſulcata terra nitet, vepribuſque purgata eſt: inalbeſcunt etiam alicubi ſegetes ad meſſem, iamque certa ſpes in manibus, oculisque eſt. Ciuitas antiquiſſima, et nobiliſſima Mediolanum, ſi tuos ego mores antiquos rectè intueor, ita comperio, nihil vnquã hìc geſtum eſſe animis abiectis, nihil humiliter et fractè, nihil etiam mediocre geſtum eſſe video; ac ſi turbandum etiam, tumultuandumque fuit, vltra populorum aliorum tumultus, et turbas, et ſaua facta violentia veſtra exceſſit. In obſequio diuino igitur, in ſalutis veſtræ negotiatione tantùm torpor, et frigus, et glacies occupabit animos? Tellus en hæc illa eſt, quæ, quoniam diu quieuit, nec aratro tentata eſt, ſpem aratoribus

ribus vberiorem offert. Nec tua mala, quæ alium fortaſſe exterere poſſent, minuunt mihi ſpem, potiùſque augent; et acutæ oblongaque vepres, quæ paſſim in hoc campo horrent, ad id mihi ſunt, vt graues vberrimaſque ſpicas earũ longitudine et horrore metiar: quam tantam meſſem nutu, ac fauore ſuo hinc elicere poteſt Arator, qui terram vniuerſam excolendam ſibi ſuſcepit.

CVR MIRACVLVM LINGVARVM Ieroſolymæ acciderit.

CONCIO VIII.

I*EROSOLYMA infelix, quæ nunc ſordibus, et ſqualore obſita tyrannico imperio premitur, cinctaque ruinis ſuis, horret, anguſtèque habitatur, fuerat olim ampliſſima ciuitas incoliſque frequens. Id ſacra monumenta teſtantur, præſertimque verbis illis, quæ hodie recitantur;*
Act. cap. 2. u. 5. Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. *Aliudque inſuper frequentiæ eius argumentum populi ipſi externi, quos in eam ſedem hodie con-*
Ibid. u 9. *ueniſſe audimus;* Parthi, & Medi, & Ælamitæ,

&

& qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani. Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. *Poſſunt iſtæ ſanè linguæ de altitudine Cœli, de varijs animantium figuris, quibus adſperſa tellus eſt, de ſæuitia etiam impetuque maris loqui: diuinam verò magnitudinem, hodiernis mirificis, nec auditis antea caſibus, numquam ea ſatis explicare valebunt.* Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? *Quis Regum, Cæſarumve gloria, et magnitudine ſui nominis, tale quiddam efficere, ac moliri potuit, quale hodie Deus Optime Maxime feciſti? Quænam vel ſapientia, vel potentia comparari huic tuæ poteſt, qua miraculo quolibet admirabilius opus feciſti, non tam quòd Apoſtoli ignotis antea ſibi linguis loqui potuere, quàm quòd tempore procedente ad ſalutem humani generis huius operis miracula propagata ſunt. Quòd tam varijs linguis hodie loquuntur Apoſtoli, fiuntque repente momento penè vno tot vrbium ciues, incolæque prouinciarum, et linguarum externarum magiſtri, id*

Exodi cap. 15. u. 11.

id ſine exemplo miraculum dici poteſt, credoque ego maius hoc fuiſſe miraculum, quàm illud, de quo Iſaias loquitur, licèt res ipſa ſimillima ſit;

Iſaiæ cap. 50. u. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo, erigit manè, mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. *Non ab hominibus inſtituta, ſed è Cælo profecta hæc lingua eſt: eaque adeo erudita, vt de rebus diuinis nullus vnquã ſapientiùs loqui potuerit: nec ſolum de myſterijs diuinis hæc lingua diſputat, ſed mirificè perſuadet etiam quidquid ei viſum eſt, ſolaturque ægros, et pari virtute languentes excitat atque confirmat. Diſcitur autem hæc lingua non vulgato ritu, et exercitatione ſcholarum, ſed noua quadam, et inuſitata ratione, per quam in dies, et momenta ſingula erudimur, atque docemur, et magiſter eius linguæ Deus eſt. Nullus hic labori locus, cùm à magiſtro cæleſti res agatur. Quòd ſi attendere velimus ea, quæ ſpectauit, atque egit hic diuinus ſermo, varietasque linguarum, rationemque ipſam, qua linguæ iſtæ vim, potentiamque ſuam oſtendere debebant, videbimus tantam altitudinem eſſe ſapientiæ, vt humana ingenia vinci, et opprimi neceſſe ſit, ſi ad eam accedere velint. Utile tamen erit quærere, quam ob cauſam daturus hodie Mundo tanta rei mi-*

ra-

raculum Deus, non Bethlehem, non Nazareti, inclyta maioribus miraculis, partuque Virginis loca, ſedem ei miraculo deſtinauerit, ſed Ieroſolymam vrbem tunc florentiſſimam elegerit, vbi Diſcipulorum huiuſmodi voces audirentur. Id ego exiſtimo eſſe factum, quia non tantummodo miraculum ingens, quale prius illud fuerat, ſed omnium quoque oculis apertum, atque manifeſtum parabatur. Atque ideo ſummus Prophetarum Iſaias voces Apoſtolorum tubæ æquiparandas putauit, cuius ſonus longè lateque audiretur; Et erit: In die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui eiecti erant in terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem. *Quæ manifeſtatio miraculi magnam deinde auctoritatem præconibus Euangelij apud omnes conciliatura erat. Non enim ſatis erat, ſi myſteria noſtræ fidei altiſſima eſſent, niſi etiam doctores, et magiſtri myſteriorum accepti omnibus, venerabileſque eſſent. Id vt ita eſſet, varijs modis diuina Maieſtas effecit, tum miracula patrandi vim eis facultatemque præbendo, tum protegendo eos, ac tuendo ſingulari cuſtodia, ne inſidijs, doliſque circumuenirentur. Huius tutelæ fidem obligauerat eis Deus, obſtrixeratque promiſſo illo;* Dominus

Iſaiæ cap. 27. u. 13.

Ppp dabit

Digitized by Google

Pſal.67.u.12. dabit verbum euangelizantibus, virtute multa. *Et pſalmo quadrageſimo quinto de Apoſtolica prædicationis fructu dicitur, ſecuturum eſſe motum ingentem regnorum et gentium, tremitumque terræ, conſternationemque imperiorum, proptereaquòd voce ſua loquutus eſt Deus, ita vt non humana, ſed diuina ea vox agnoſceretur. Quæ diuina vox, ſignumque illud cùm nuſquam antea ſpectatum fuiſſet, vim eam habuit, vt in tanta multitudinis conſpectu frangeret eorum audaciam, qui Saluatoris opera, doctrinamque oppugnare tentabant. Neque minore potentia opus fuit, vt impetus, rabieſque hoſtiũ illorum infringeretur. Namque illi miracula ipſa carpentes, abroganteſque fidem rebus adeo manifeſtis affirmabant, Chriſti Diſcipulos eſſe* Pſalm. 45.u.7.

Act.cap.2.u.13. *temulentos, ſicuti illa verba declarant;* Alij autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti. *Furioſi tamen impetus eorum nullam vim aduersùs Euangelium habuere, cùm multitudo innumera peruerſitatem, et portenta illa mendaciorum abominata, Euangelio adhaſerit,*

Iſaiæ cap. 27.u.6. *legemque Chriſti ſequi voluerit;* Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit, & germinabit Iſrael; & implebunt faciem orbis ſemine. *Statimque fracti hoſtes, et linguæ adoratrices Idolorum diuino Spiritu confirmatæ, mutauere*

Google

nere ſermonem. Et deſolabit Dominus linguã maris Ægypti, *dixit Iſaias*, & leuabit manum ſuam ſuper flumen, in fortitudine Spiritus ſui. *Quam mutationem abſque mora vlla fieri in ciuitate ampliſſima ſalutis hominum interfuit, vt variarum gentium homines, qui ibi erant, teſtari poſſent id, quod audiuerant, ſpectauerantque ipſi. Exterique et alienigenæ iſti, licèt chriſtiana myſteria non ſatis aſſequi, et explicare narrando poſſent, precurrêre tamen, et anteuertêre Apoſtolorum, Diſcipulorumque celeritatem, ita vt in ſuas quique terras inde auolarent*; Et volabunt in humeros Philiſtijm per mare, ſimul prædabuntur filios Orientis. Idumæa & Moab præceptũ manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt. *Curſus celeritasque ea gentium ſimilis flammæ fuit, quæ ab Oriente Sole ad Occidentem momento vno tranſcurrens, permeat ſecatque inane illud*. A Solis ortu vſque ad occaſum: ex Sion ſpecies decoris eius. *Decus hoc, et gloria Iſraelitarum per terras illico omnes diſſipata eſt, ſicuti Sol lumine ſuo cuncta illuſtrat. His igitur de cauſis huius diei myſterium, atque celebritas Ieroſolymæ vrbi conueniebat: hæc ſunt, quæ prædicationibus Euangelij honorem atque auctoritatem apud omnes conciliare debent*. Quis ſimilis tui in fortibus Domine?

Iſaiæ cap. 11. u. 15.

Ibid cap. 11. u. 14

Exodi cap. 15. u. 11.

Quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? *Supremi Artificis in altero Gratiæ Mundo ſapientiam, impari quadam ſimilitudine, nonnulla ex parte intelligere, et aſſequi poſſumus, auditores*. Sol eſt naturæ gratia, *inquit Sanctus Pater Ambroſius. Quotus verò quiſque eſt, qui Solis opera, vimque excelſam planè intelligat? Suprema illa virtus, penetranſque potentia, quæ nullo noſtro viſu corpora ſuſtentat, atque alit, nimium eſt ab intelligentia, ſenſuque noſtro diſiuncta, vixque arcana nonnulla eius, motuſque mirifici apparent, atque elucent in rebus, quæ noſtris oculis ſubiecta ſunt. Dixitque Clemens Alexandrinus, Mundum hunc ab æterno Artifice quadam harmonia fuiſſe conſtructum, eſſe hoc Numini veluti muſicum inſtrumentum, quo aſſiduè vteretur, quod ipſum ita ſentientem Cleantem Philoſophum in id inclinaſſe, vt Solem,* ΠΛΗ'ΚΤΡΟΝ, *appellaret*, deducens *videlicet* lumen in concinnum, & aptum curſum: *ita tamen, vt arcana Mundi alterius lateant mentes, animoſque noſtros, velut à ſenſibus remotiſſima, omneque id refugientia cõmercium, ſicuti Philoſophorum antiquiſſimus ait, quo nec naturalia, nec diuina ſubtiliùs quiſquam perſpicaciùſque vidit*; Porrò ad me dictum eſt verbum

S.Ambroſ lib. 4. Hexameron, cap. 1.

Clem. Alexan. in Protrept.

Ibid. in lib. 5. Strom.

Iob cap 4. n. 11.

bum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. *Et paulò inferiùs*; Et vocem quaſi auræ lenis audiui. *Hæc ſuprema prouidentia, ſicuti celeberrimi Patrum dixere, figura eſt immenſæ magnitudinis, cuius ſi quis partem vnam contemplatur, non poteſt proportionem eius, formamque contemplari: atque ideo ad Artificis magnitudinem ſapientiamque contemplandam, et myſteria aſſequenda, quæ lineamentis illis ipſe deſignare voluit, totam in conſpectum dari neceſſe eſſet; idque quandiu tenebris, et carcere hoc clauſi tenemur, negatur. Cùm igitur ſtatua hæc, et figura nuſquam tota cerneretur, quis vnquam dixiſſet, voluiſſe Deum huius diei myſterio, quo potentiæ ſuæ partem declarauit, trahere ſub imperium ſuum vniuerſa, idque per linguas iſtas eſſe aſſecutum? Hic Deus ille eſt, Filij, qui nulla vnquam ſuſcepta pugna vincit;* Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulę, & quaſi momentũ ſtateræ reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. *Quàm citò diſſipatur atque euaneſcit humanus hic puluis, quandocumque percuſſus fuerit halitu diuino!* Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput gentium. Populus, quem non cognoui,

Iob u. 16.

Iſaię cap. 40. u. 15

Pſal. 17. u. 43.

ui,ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. *Inuictas alioqui Græcas, Romanasque acies nulla alia re, quàm linguarum iſtarum precibus deiectas, atque proſtratas fuiſſe video, auditores. Fremebat aduerſus Chriſti nomen violentia Imperatorum, tuncque linguæ accenſos furore animos delinire, ac placare cœperunt. Agmina armatorum in eas linguas ibant; ipſæque lenitate ſua retundebant ferrum. Imponebantur Dei amicis turpiſſima criminum notæ; ipſæque decorabant, extollebantque eos. Vinculis cohibebantur; et ipſæ Paradiſi aditum aperiebant. Catenis, funibuſque onerati; linguæ vindicabant eos in libertatem. Fame enectis, cibum et nectar præbebant. Verberabantur; eæ munierant pectora, ne violari poſſent. Vulneribus icti; ſanabant illos. Occidebantur; eæ immortalem nominis eorum memoriam in animis hominum efficiebant. Diſſipabantur denique et euertebantur; ipſæque facta per terras omnes ſemente, multiplicabant meſſem, quam in cœleſti Regno denique colligerent. Quod cùm ita ſit, apparet, magna tum bona, tum mala poſſe ad alios proficiſci ex ciuitatibus, quarum nomen et fama ampliſſima eſt. Suntque urbes iſtæ magnæ, velut in Cœlo ſidera comparata partibus, quæ ſtellis carent. Ex nobili namque illo ſtellarum igne, fauſti, ſiue noxij influxus*

fluxus

fluxus manant. Ieroſolyma vrbs ea fuit, quæ tot ſcelera admiſit in Meſſiam tantopere expectatũ, illumque flagitioſè violauit. Ea fuit vrbs, in qua Dei Filius contumelias, et ludibria ſæua perpeſſus, affixuſque Cruci eſt. Sol, Lunaque, et Stella horrendo eo die lumen occultauere ſuum, horrorque, et imago noctis ob tanta rei atrocitatem inceſſit. Sed ex diuerſo quanta bona indidem manauere? Ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. *Hæc vrbs Apoſtolos emiſit, qui Euangelij facem intulere Mundo. Ea prima omniũ de ſacris myſterijs agere inſtituit: ſubſidit eius vrbis cauſa hodie quodammodo Cœlum, terriſque omnibus hanc anteferre videtur. Itaque inclytas huiuſmodi vrbes libenter ego eis aſſimilauerim Paradiſi fluminibus, de quibus ita legitur;* Sed fons aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. *Si dulces, et ſalubres iſtæ aquæ ſint, haud dubiè proxima pariter, et longinqua camporum meſſem vberrimam dabunt: ſin autem noxius ille, peſtilenſque humor manat; ad multos haud dubiè populos peſtis illa redundabit, ſicuti de Babylonicæ vrbis veneno, et tabe diuinus Euangeliſta Ioannes dixerat;* De vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & Reges terræ cum illa fornicati ſunt. *Deinde,*

Iſaię cap. 2. n. 3.

Gen. cap. 2. n. 6.

Apoc. cap. 18. n. 3.

Vera

Apoc. cap. 19. u. 2. Vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua. *Non ſatis fuit, inquit Propheta magnus, flagitijs fœdari omnibus, niſi etiã fieret vltro magiſtra flagitiorum, venenumque ſuum latè ſpargeret, inficeretque ſuo halitu proxima pariter, et longinqua. Planè, et frequentia populi, et opes veræ, Mediolanenſes, faciunt, vt magnam hanc vrbem dicere poßim. Illud tamẽ ambiguum mihi eſt; pars ne iſta ciuitatis, quæ mihi concionanti nunc aures præbet, an partes cæteræ magnæ dicendæ ſint ob bona, ſiue potiùs ob mala, quæ ab eis manant, atque proficiſcuntur. Subit memoria animum tantam Ieroſolymæ fuiſſe multitudinem, gentiumque concurſum, vt Saluatori per eam vrbem incedenti, non ſatis loci relinqueretur*; Et contingit, dum iret, à turbis comprimebatur: *Paulòque inferiùs*; Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? *Vellem ſanè patriæ meæ ſignum in primis hoc eſſe magnitudinis, et gloriæ, quòd non poſſet per vias incedere Saluator; turbæque in eum irruentes moleſtæ, et importunæ eſſent. Magnitudinis veſtræ ſignum hoc eſſet, ſi ad menſam altaris, fame ſtimulante, accederetis: ſi certatim ad tribunalia ſacra confitendi cauſa accederetis: ſi frequentes ad templa: ſi charitate*

Lucæ cap. 8. u. 42.

Ibid. u. 45.

tate erga agros, liberalitate erga pauperes, erga captiuos, erga viduas, erga pupillos, erga miſeros omnes inter vos quodammodo certaretis. Hæc vobis imitamenta Chriſti, hæc veſtra ſolennia, hæc veſtra certamina videre cupio: hæc vobis ſalutaria, et honeſta eſſent. Neque ſinat vnquam Deus certamina hic alia, violentiaſque, et tumultus alios in hac vrbe exiſtere, qui Saluatorem opprimant verè, et turbent. Opprimunt te turbæ, Mundi Saluator, confluuntque ad te multi non adorandi cauſa, ſed premendi, atque vrgendi, quantum in ipſis eſt, dum vi potentiaque ſua aduersùs honeſta, et iuſta nituntur. Adeſte pupilli, adeſte viduæ, miſerique et infelices. Nunc ius veſtrum ad Chriſti tribunal exequi tempus eſt: querelaſque veſtras nunc ille audire conſtituit. Num fortaſſe vos illudunt afficiuntque contumelijs, et iniurijs homines præpotentes? Iudicia fortaſſe æqua reperitis? Leges humanæ tacent vobis, an loquuntur? Deus Optime Maxime, Magiſter humani generis, improbi cum ſceleribus, flagitijsque ſuis ita ad te accedunt, vt vrgeant nimis, et premant. Temporeque tamen iſto, potentiſſime Rex, diſsimulabis importunitatem violentiamque tantam, ſicuti turbarum olim importunitatem impetumque ſimulabas? Diſsimulabiſque nobilium hominum

ſaui-

ſæuitiam, qui fraudant mercede operas, qui infirmioribus inſidiantur, vt ſubſidia vitæ extorqueant? Siccine Chriſtum adoratis, Mediolanenſes? Siccine premitis, vrgetiſque Saluatorem? Ciuitas magna videre potuiſti, quantum mali, et quantum boni manauerit ex ciuitate alia, quæ tui ſimilis fuerat. Enitere nunc, atque effice, vt ex ea hinc lateque diffundatur Orientis Solis lux, quæ non orbem modò noſtrum hunc, ſed terras omnes illuſtret atque fœcundet.

IMPRIMATVR.

Inquiſitor Mediolani.

Anton. Ruſca Can. Ord. Theol. pro Reuerendiſs. Capitulo Sede vacante.

Comes Maioragius pro Excellentiſs. Senatu.

Digitized by Google

Errata ſic corrigito.

Pag.	24.	lin. 3.	intetegumento	integumento
	101.	20.	eſt	es
	140.	12.	pœnæ	pene
	191.	16.	circumcides	circumcide
	233.	3.	cuciatus	cruciatus
	305.	25.	repreſentet	repræſentet
	353.	12.	diudicanda	dijudicanda
	358.	2.	ſeptra	ſceptra
	370.	25.	iudit	Iudith
	372.	6.	indagatur	indagator

Cætera prudens Lector dijudicabit.

ADT 1462806

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

i 21.

Digitized by Google